This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

TRENT,
COUNCIL
OF,
1545-1563

DIARIORUM,
ACTORUM,
EPISTULARUM
TRACTATUUM
NOVA
COLLECTIO

Digitized by Google

B204s012s001

Digitized by Google

The University of Iowa Libraries
fBX830
1545
A1901
v.7
pt.2
no.1

Digitized by Google

UNIVERSITY OF IOWA
3 1858 028 842 874

DATE DUE

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

Digitized by Google

The University of Iowa Libraries
fBX830
1545
A1901
v.7
pt.2
no.1

Digitized by Google

UNIVERSITY OF IOWA
3 1858 028 842 874

DATE DUE

GAYLORD			PRINTED IN U.S.A.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCILIUM TRIDENTINUM

DIARIORUM, ACTORUM, EPISTULARUM TRACTATUUM

NOVA COLLECTIO

EDIDIT

SOCIETAS GOERRESIANA
PROMOVENDIS INTER GERMANOS CATHOLICOS
LITTERARUM STUDIIS

TOMUS SEPTIMUS

ACTORUM PARS QUARTA
VOLUMEN SECUNDUM

EX AEDE ET SUMPTIBUS HERDER
FRIBURGI BRISGOVIAE MCMLXXVI

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCILIUM TRIDENTINUM

TOMUS SEPTIMUS

VOLUMEN SECUNDUM

Digitized by Google

CONCILIUM TRIDENTINUM

DIARIORUM, ACTORUM, EPISTULARUM TRACTATUUM

NOVA COLLECTIO

EDIDIT

SOCIETAS GOERRESIANA
PROMOVENDIS INTER GERMANOS CATHOLICOS
LITTERARUM STUDIIS

TOMUS SEPTIMUS

ACTORUM PARS QUARTA

VOLUMEN SECUNDUM

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMLXXVI
EX AEDE ET SUMPTIBUS HERDER

Digitized by Google

CONCILII TRIDENTINI
ACTORUM

PARTIS QUARTAE

VOLUMEN SECUNDUM

ORATIONES ET VOTA THEOLOGORUM
PATRUMQUE ORIGINALIA
IN CONCILIO ITERUM TRIDENTUM CONGREGATO
PROLATA VEL IN SCRIPTIS DATA

QUOTQUOT INVENIRI POTUERUNT
CUM ACTIS MISCELLANEIS

COLLEGIT EDIDIT ILLUSTRAVIT

THEOBALDUS FREUDENBERGER

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMLXXVI

EX AEDE ET SUMPTIBUS HERDER

Digitized by Google

Volumen hoc typis exscriptum est
adiuvante Societate promovendis inter Germanos studiis constituta
(Deutsche Forschungsgemeinschaft)

Omnia iura reservantur
© Verlag Herder KG Freiburg im Breisgau 1976
Imprimatur. — Friburgi Brisgoviae, die 8. Septembris 1975
Vicarius generalis: Dr. Schlund
Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae
ISBN 3-451-27067-6

Digitized by Google

f3X
830
1545
H1161
V.7
pt.2
fol

IOACHIMI BIRKNER

VIGINTI TRES ANNOS HUIC INCEPTO DEDITI

MEMORIAE SACRUM

Digitized by Google
The University of Iowa
LIBRARIES

Digitized by Google

PRAEFATIO

Ioachimus Birkner, cui Acta periodi secundae concilii Tridentini edenda et Aloysio Postina sua sponte ab incepto desistente et Stephano Ehses Vincentioque Schweitzer mortuis anno 1932 concredita erant, die 30. Ianuarii anni 1956 gravi morbo diu tolerato confectus in pace Christi obiit, dum tomi septimi volumen prius sub prelo est. Continuatio laborum ex inopinato interruptorum a Societate Goerresiana eodem anno mihi demandata est. Postquam manuscriptum reliquum nondum prelo subiectum denuo accurate recognovi commentariumque supplevi, opera libri typis describendi tam prospero eventu redintegrata est, ut volumen prius cum indice nominum et rerum anno 1961 ineunte in lucem proferretur.

Ad *appendicem* autem componendam, ad quam multis in adnotationibus voluminis lectores revocantur, scripta ab Ioachimo Birkner relicta adeo non sufficiebant, ut alterum volumen subsequi continuo non posset. Quamvis multa enim iam Ehses et Birkner vota originalia in archivo Vaticano invenissent, maiorem partem eorum nondum transscripserant eoque minus investigaverant, si forte extra Romam vota adhuc incomperta exstarent. Quamobrem sine mora per litteras Acta Tridentina in aliis archivis et bibliothecis servata percontari conatus sum. Annis vero sequentibus in secundo et tertio volumine Bononiensis concilii Actorum conficiendo animum debebam habere tam occupatum, ut praeparatio huius voluminis reponeretur atque retardaretur. Sed mihi contigit, ut interim editiones principes orationum coram patribus concilii habitarum reperirem et complura vota in lucem protraherem, praesertim contra exspectationem relationes Iacobi Beurlin et Iodoci Neuheller, theologorum Wirtembergensium.

Unde numerus rerum recipiendarum ita crevit, ut praeter orationes et vota nonnisi tredecim Actis miscellaneis permagni momenti locus in hoc volumine dari posset. Cetera Acta, id est mandata ac instructiones episcoporum et principum, litterae praesidentium, oratorum, episcoporum, theologorum in volumen tertium reponenda erant, quod, si Deus voluerit, suo tempore sequetur.

Cum Bononiensia vota et summaria, quae in voluminibus secundo et tertio tomi sexti annis 1972 et 1974 edita sunt, typis describerentur, orationes et vota secundae periodi concilii Tridentini transscripta, commentariis illustrata, prelo tam opportune parata sunt, ut mense Octobri anni 1974 typographi operam huius voluminis inirent, quae autumno anni 1975 paene ad finem perducta est; sola prolegomena et indices componenda in posterum translata erant.

Memoriae Ioachimi Birkner, amici boni et fidelissimi, qui abhinc quadraginta quattuor fere annos has res gerendas aggressus est, hoc volumen dedicare officium pietatis meae sanctum atque solemne est.

Moderatoribus Societatis ad sublevanda inter Germanos studia constitutae *(Deutsche Forschungsgemeinschaft)*, sine cuius subsidiis hoc volumen emitti non potuit, gratiam sinceram refero. Maximas gratias ago etiam praefectis et officialibus archivorum et bibliothecarum a me consultarum, imprimis Archivi Vaticani, qui thesauros suos liberalissime mihi patefaciebant, necnon bibliothecae Universitatis Wirceburgensis, qui libros innumeros partimque rariores libentissime expositos mihi praebebant.

In prolegomenis Latine concipiendis Iosephus Henricus Sandmann amicus fideliter me adiuvit. Complura manuscripti paginarum milia Hedwigis Reiter qua antea diligentia probata descripsit iterumque ad indicem locorum Sacrae Scripturae componendum sollertiam consuetam subtilitatemque exquisitam adhibuit, qua opera egregia navata semper me obligatum habebit.

Aedis Herderianae lector Franciscus Johna eiusque administri de hoc libro difficillime typis describendo more solito optime meriti sunt.

Wirceburgi, die 30. Ianuarii MCMLXXVI

THEOBALDUS FREUDENBERGER

Digitized by Google

Hoc volumine continentur:

Orationes et vota theologorum Patrumque in concilio iterum Tridentum congregato prolata vel in scriptis data, quotquot inveniri potuerunt

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENA

Digitized by Google

Prolegomena
in volumen prius

I. De nostra editione Actorum concilii iterum Tridentum congregati

In expositione rerum ab instituto Societatis Goerresianae Romano anno 1895 gestarum Stephanus Ehses die 29. Septembris anni 1896 referre potuit negotium acta concilii Tridentini edendi coeptum curamque trium maiorum huius operis sectionum in tres editores ea ratione divisam esse, ut ipse acta periodi primae ad editionem praeparare exordiretur, Sebastianus Merkle ad Acta concilii Bononiensis (a. 1547–1548) edenda accederet, laborem Acta concilii iterum Tridentum congregati (a. 1551–1552) colligendi Woldemarus Hoffmann subiret[1], qui vero eodem anno currente institutum reliquit. Eius in locum anno 1898 ineunte Aloysius Postina successit, qui statim munus Acta secundae periodi Tridentinae praeparandi suscepit[2].

Aloysius Postina die 18. Ianuarii anni 1865 in pago *Niederbetschdorf* in Alsatia sito natus, die 10. Augusti anni 1892 ordinatus, annis 1894 ad 1897 in universitate Monacensi philosophiae et theologiae studiis deditus ibidemque ad gradum doctoris theologiae promotus erat scripto libro de Everhardi Billick OCarm. vita et scriptis, quem ut componeret, a Nicolao Paulus, amico in Alsatia nato, adductus erat[3]. Romae autem Acta a Massarello, secretario concilii, in ipsis congregationibus scripta secutus simul recensiones posteriores cum illis conferre cogitavit[4]. Quamvis non modicum tempus in repertorium eorum archivi Vaticani voluminum, quae ad propositum pertinebant, faciendum impenderet, maiorem Actorum a Massarello litteris mandatorum partem eo consilio transscripsit, ut in patriam reversus talibus exemplaribus usus manuscriptum sufficiens prelo pararet. Illo tempore Postina sperabat se totam materiam istius periodi in archivo Vaticano custoditam usque ad festum paschae 1899 collecturum esse[5]. Quatenus hoc ei contigerit, certum non habemus, quia relationes eius de rebus ab ipso gestis non supersunt[6]. Si Stephano Ehses credere fas est, Postina integram fere copiam Actorum periodi ab eo tractatae possedit, cum vere anni 1899 in Argentoratensem dioecesim revocaretur. Sed haud scio, an rei actae modum verbis auxerit.

Etiam aestate anni 1900 Ehses se promittere posse putavit Aloysium Postina labores praeparatorios usque ad finem anni sequentis eo absoluturum esse, ut tomus Actorum septimus paulo post prelo subiceretur[7]. Quod vero ad effectum adductum non esse aegrius ferendum non est, quia secundum consilium Stephani Ehses Postina in animo habebat protocolla Angeli Massarelli eodem modo edere, quo Ehses in tomis V, VIII, IX usus erat, inserendo videlicet illa pauca vota Patrum et theologorum originalia, quotquot ad id tempus Romae inventa transscripserat, in medium textum Actorum a Massarello conscriptorum.

[1] Jahresbericht der Görres-Ges. für das Jahr 1896, Köln 1897, 27.

[2] Jahresbericht der G.-G. für d. J. 1898, Köln 1899, 46.

[3] „Der Karmelit Eberhard Billick" [EEJ II 2–3], Freiburg 1901. Aliorum librorum ab eo editorum mentionem fecerunt *H. Keiter — J. Dorneich*, Kathol.-Literaturkalender XV, Freiburg 1926, 278s. Cf. praeterea eius commentariolum: „Die Stiftskirche von Weißenburg nach der Revolution", in: Archiv f. Elsäss. Kirchengeschichte I (1926) 413s. Die 21. Nov. 1897 ab episcopo Argentoratensi petivit, ut ei permitteret Institutum Societatis Goerresianae Romanum ingredi. Quibus precibus Adolphus Fritzen episcopus indulsit petenti respondens: „Auch ist es eine Ehre für unsere Diözese, daß ein Priester derselben zu diesem wissenschaftlichen Institut berufen wird", Argentorati, Arch. ordin. episcop. (id quod per litteras a G. Knittel datas accepi).

[4] Vide infra p. XXI, 31ss.

[5] Vide relationes a *Stephano Ehses* mense Iunio 1898 exeunte et die 4. Ian. 1899 datas, Jahresbericht der G.-G. für das Jahr 1898, l. c. 46ss. 49.

[6] Etiam Postina ipse neque in Röm. Qu.-Schr. XII (1898) 299–305; 453–454; XIII (1899) 337–346; XVIII (1904) 385–390, neque in: *Festgabe Hermann Grauert*, Freiburg 1910, 233–244 („Der Straßburger Weihbischof Johann Delfius 1553–1582") de laboribus in Acta concilii edenda impensis mentionem fecit.

[7] Cf. relationes a *St. Ehses* mense Augusto 1899 et die 26. Sept. 1900 datas in: Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1898/99, 28. Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1900, in: *H. Cardauns*, Die Görresgesellschaft 1876–1901, Köln 1901, 104.

Digitized by Google

Annis sequentibus Postina officiis ecclesiasticis impeditus esse videtur, ne labores interruptos continuaret. Die 1. Iulii anni 1899 Argentoratum vocatus est, ubi discipulos gymnasii episcopalis in doctrina religionis erudire iussus, a die 7. Octobris anni 1900 munere vicarii in parochia Selestadiensi *(Schlettstadt)* functus, die 7. Februarii anni 1901 parochiae *Münchhausen* in Alsatia inferiore sitae praefectus est. In his tamen ministeriis opus susceptum adeo non desinere coactus est[8], ut aestate anni 1903 archiva quaedam Francogallica ac Belgica adiret, praesertim Bruxellense[9], ubi eum frustra codicem a Carolo de Langhe scriptum, e quo iam saeculo XVIII exeunte Iudocus Le Plat vota theologorum Lovaniensium originalia deprompserat (vide infra p. XXIX, 17ss.), quaesivisse opinandum est.

E relationibus Stephani Ehses intellegitur Aloysium Postina etiam annis 1905 ad 1908 ab his laboribus non destitisse[10], immo vero hieme anni 1909 usque ad annum 1910 eos persequi voluisse, in spem certissimam adductus se ab episcopo suo impetraturum esse, ut postea per dimidium unius anni a munere pastorali liberaretur, intra quam vacationem manum extremam manuscripto imponere cogitaret[11], quin etiam, ut id commodius perageret, anno 1910 sedem cum parochia *Wanzenau* permutavit, unde saepius bibliothecam Argentoratensem propinquam frequentare potuit, cuius bona librorum copia ei labor commentaria conscribendi aliquanto minueretur[12]. Anno 1912 ei facultas Monachii satis diu morandi data est, ubi exemplaria votorum Friderici Nauseae in bibliotheca regia asservata inspicere simulque commentaria textus collectos illustrantia crebris locis ditare ei licebat[13].

Dum labores progrediuntur, magis magisque apparuit acta originalia in Vaticano archivo exstantia iterum diligenter perscrutanda esse, antequam manuscriptum absolveretur. Iam Postina aestate anni 1914 curam necessariam in novi itineris Romani apparatus intendebat, cum bello exorto non solum hoc consilium dimittere sed etiam propter sedem belli propinquam ab omni studio scientiarum desistere coactus est[14].

Postquam die 1. Maii anni 1918 ad parochiam *Weißenburg* in Alsatia sitam promotus et decanus nominatus est, muneribus officii multiplicatis adeo onerabatur, ut libenter se paratum ostenderet res Tridentinas a se collectas instituto Romano reddere[15], id quod non sine longa mora factum esse videtur. Nam quattuor demum annis post Stephanus Ehses rettulit Acta concilii a Postina congesta aede Herderiana intercedente Aemilio Göller tradita et ab eo Romam translata esse; cum autem ille negotium imperfectum persequi conatus exemplaria a Postina reddita cum codicibus contulisset, mox eum intellexisse ad omnia absolvenda opus esse, ut diutius Romae versaretur, quam vacatio ab officiis suppeteret[16]. Quapropter exinde Ehses, postquam anno 1923 tomus nonus prelum reliquit, etiam septimum tomum elaborandum suscepit, qui rationis edendi expertus ab ipso Pio papa XI invitatus, ut vere et aestate anni 1924 ad opus promovendum Romae degeret, facultatem habebat labores in archivo Vaticano et bibliothecis Romanis continuandi, quos et autumno et hieme anni 1925/26 denuo Romam profectus se ad finem perducturum esse sperabat[17]. Sed antequam eos absolvere posset, die 19. Ianuarii anni 1926 morte avocatus est[18].

In eius locum subrogatus Vincentius Schweitzer autumno anni 1926 Romam se contulit[19], ubi collationem Actorum transscriptorum cum codicibus pergebat atque exemplaria nonnullarum epistularum ad concilium pertinentium collectioni adiungebat. Bibliothecam civicam Tridentinam mense Decembri eiusdem anni adiens nil fere novi invenit. Vere anni 1927 Acta in archivis et bibliothecis Germaniae et Austriae fortasse dispersa requirebat, qua de causa mense Aprili exeunte et Maio Oenipontem, Salisburgum, Vindobonam profectus est, sed item prospero eventu

[8] Cf. relationes a *St. Ehses* diebus 16. Maii 1901 et die 1. Oct. 1902 datas in: Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1901, Köln 1902, 29; Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1902, Köln 1903, 47.

[9] Cf. relationem a *St. Ehses* Argentorati die 6. Oct. 1903 datam in: Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1903, Köln 1904, 37.

[10] Cf. relationes a *St. Ehses* diebus 3. Oct. 1905 et 12. Oct. 1908 datas in: Jahresbericht d. G.-G. für das Jahr 1905, Köln 1906, 29, et Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1908, Köln 1909, 48.

[11] *Idem*, Relatio die 4. Oct. 1909 data in: Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1909, Köln 1910, 46.

[12] *Idem*, Relatio mense Octobri 1910 data in: Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1910, Köln 1911, 41.

[13] *Idem*, Relationes diebus 4. Oct. 1911 et 31. Dec, 1912 datae in: Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1911. Köln 1912, 43, et Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1912, Köln 1913, 44.

[14] *Idem*, Relationes die 22. Sept. 1913 et autumno 1914 datae in: Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1913, Köln 1914, 35, et Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1914, Köln 1914, 16.

[15] Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1918 in: 3. Vereinsschrift 1918, Köln 1919, 81. Aloysius Postina die 28. Decembris anni 1940 Weißenburgi in Alsatia obiit.

[16] *St. Ehses*, Relatio die 30. Nov. 1922 data, Jahresbericht d. G.-G. für d. J. 1922, in: 2. Vereinsschrift 1922, Köln 1922, 83.

[17] *Idem*, Jahresbericht d. G.-G. für 1923/24, Köln 1925, 36. Jahresbericht d. G.-G. für 1924/25, Köln 1926, 61.

[18] Cf. *H. Bastgen*, Röm. Qu.-Schr. XXXIV (1926) 83–88. *H. Ries*, Archiv f. mittelrhein. Kirchengesch. VII (1955) 388–408.

[19] Jahresbericht d. G.-G. 1925/26, Köln 1927, 107.

Digitized by Google

caruit. Etiam Berolinam, Dresdam, Citium, Monachium, Schaffhusiam, Bruxellas, Lutetiam Parisiorum visitare animo intenderat[20], sed necessitatibus quibusdam coactus hoc consilio destitit; nam operam studiumque tomo septimo navandum desinere et omne suum tempus in primum tractatuum tomum (tomum XII) prius prelo parandum transferre ei opus erat.

Ne labores tomo septimo impendendi prorsus desererentur, deinde Hubertus Jedin adiutor accitus est, qui mense Octobri anni 1928 institutum Romanum ingressus vires vero animique intentionem et in concilium Tridentinum et monographiam de Hieronymi Seripandi vita et scriptis eodem tempore orituram dividere debebat[21]. Ideo paulo post Ioachimus Birkner ei in partem curarum additus est, qui anno 1930 exeunte ut stipendiatus Societatis Goerresianae institutum Romanum inierat, in primo litteras ad ultimam concilii periodum pertinentes colligere iussus[22].

Vincentio Schweitzer die 5. Decembris anni 1931 immature mortuo[23] munerum distributio hac ratione facta est, ut Hubertus Jedin ad tractatus edendos se conferret, cum protocolla periodi secundae concilii sextis vel septimis manibus, Ioachimi Birkner videlicet, mandarentur[24].

Stephanus Ehses, cui res ab Aloysio Postina praeparatae et instituto Romano redditae non omni ex parte placebant, omnia ab illo collecta non solum retractanda sed etiam exemplaribus novis manu propria ex codicibus archivi Vaticani exscriptis commutanda esse putaverat, id quod ad finem perducere ei non licuerat. Forsitan inde intellegere possumus, cur nihil fere totius operis ab Aloysio Postina elaborati ad nos pervenerit. Ut eo celerius procederet, Ehses sola ultima forma protocollorum iam ab ipso Angelo Massarello retractata, quae facilius legi poterat, nisus primam eorum formam ab eodem inter congregationes theologorum Patrumque litteris minus claris scriptam neglexerat. Praeterea pari edendi modo usus erat, quem in tomis Actorum V VIII IX adhibuerat. Non enim sibi proposuerat, ut protocollorum Massarelli cursum continuum in editione sequeretur, sed illa vota originalia ab ipsis theologis et Patribus propria manu conscripta multoque uberiora, quae in codicibus archivi Vaticani invenerat, omissis prooemiis et epilogis in medium protocollorum Massarelli textum inserere, excerpta vero brevia a Massarello in eisdem protocollis tradita suis locis praeterire volebat.

Ioachimus Birkner hanc edendi rationem optimo iure improbavit. Itaque duplices suas partes esse existimabat, cum ubique formam protocollorum a Massarello primo descriptam sequi, insuper autem formas postea ab eodem limatas atque politas non neglegere, tum opus Massarelli integrum proprio eius scribendi more conservato lectori proponere nec votis aliorum interiectis discindere. Quo consilio tota materia in duas partes dividenda erat, in quarum priorem protocolla Massarelli integra recipienda, in altera autem, quam Birkner *appendicem* nominavit, omnia vota originalia secundum ordinem rerum a singulis auctoribus tractatarum coniungenda erant. Hac ergo ratione manuscriptum funditus instaurandum erat.

Ioachimus Birkner igitur initium operae a protocollis Massarelli denuo describendis fecit, diligentiam convertens praecipuam ad constituendum textum cum codicibus ex omni parte congruentem, variis eorum lectionibus in apparatu critico suis locis additis[25]. Vota originalia interim reponenda erant. Labores in protocolla edenda impensi adeo promoti sunt, ut anno 1936 primus manuscripti fasciculus prelo subici posset, cui annis sequentibus alii paulatim succedebant[26]. Sed mox difficultatibus inexspectatis progressus operis retardatus est. Commentaria enim textum illustrantia, quae Ehses concipere vix coeperat, Birkner Romae, ubi tunc habitabat, tempore ad hoc praedestinato prelo parare nequivit, quia neque libelli reformatorum Germanorum neque libri catholicorum ad eos respondentium in bibliothecis Romanis inveniebantur. Cum anno 1940 tandem Monachium revertisset et bello urgente opera typographica interrumperetur, profecto plagulae viginti tres (paginas 1–368 complectentes) prelum reliquerant[27]. Quae ut exceptis duabus omnes flammis absumerentur, cum aedes Herderiana die 27. Novembris 1944 pyrobolis demissis incensa conflagraret, dira sorte accidit[28]. Cum demum dono liberali Pii papae XII et Societate ad sublevanda inter Germanos studia constituta *(Deutsche Forschungsgemeinschaft)* adiuvante difficultates nummariae superatae essent, anno 1953 plagulae incendio deletae ratione phototypica restitutae et recentes manuscripti partes, ut typis describerentur, officinae traditae

[20] Jahresbericht d. G.-G. 1926/27, Köln 1928, 90s.

[21] Jahresbericht d. G.-G. 1927/28, Köln 1929, 104. Jahresbericht d. G.-G. 1928/29, Köln 1930, 87. Jahresbericht d. G.-G. 1929/30, Köln 1931, 29.

[22] Jahresbericht d. G.-G. 1930/31, Köln 1932, 31s. Jahresbericht d. G.-G. 1931/32, Köln 1933, 30.

[23] Wirceburgi obiit 58 annorum; cf. *S. Merkle*, HJG LI (1931) 574s.

[24] Jahresbericht d. G.-G. 1932/33, Köln 1934, 15s. Cf. *S. Merkle* l. c. 575.

[25] Jahresbericht d. G.-G. 1934, Köln 1935, 18.

[26] Jahresbericht d. G.-G. 1935, Köln 1936, 13. Jahresbericht 1936, Köln 1937, 36. 59. Jahresbericht 1938, Köln 1939, 11s.

[27] Cf. Jahresbericht d. G.-G. 1939, Köln 1940, 12.

[28] Cf. Jahresbericht d. G.-G. 1949, Köln 1950, 22.

Digitized by Google

sunt[29]. Tamen ne tunc quidem opera multum proficere potuit, quia editor non solum officiis pastoralibus in parochia *Fürholzen* mense Novembri anni 1946 sibi collata distentus, sed insuper morbo mortifero affectus est, cui viribus lente contabescentibus die 30. Ianuarii anni 1956 succubuit, 51 tantum annorum[30].

Vere anni 1956 cura tomum tot casibus expositum perficiendi a Societate Goerresiana mihi delegata est[31], quae tanti laboris quanti temporis sumptus erat, cum, quamquam maior textus reliqui adnotationumque pars (pag. 369–489) iam in paginarum columnas dispertita erat, non solum textum fere integrum rursus cum codicibus conferre sed etiam commentaria quasi nova rescribere opus esse videretur. Ut series protocollorum concilii tandem compleretur, volumen prius quam maturrime conficiendum erat, id quod fieri non potuit, nisi vota originalia in altero volumine separatim edere decrevissem. Cum enim neque Ehses neque Birkner vota in archiva et bibliothecas extra Romam delata collegissent, impossibile erat ea brevi tempore conquirere.

Quae cum ita essent, nihil restabat nisi, ut primum protocolla tantum Massarelli ederem sine votis originalibus, quae in *appendicem* recipere Ioachimus Birkner in animo habuerat. Tamen tempore rei gerendae parce mihi utendum erat. Nam Birkner viribus morbo gravi paulatim languescentibus postremo neque lacunas in commentariis patentes, quae inter belli tumultus clausae non erant, explere neque plagulas quidem ab officina typographica ad eum missas corrigere valuerat. Postquam annis 1957 et 1958 reliquas manuscripti partes cum codicibus archivi Vaticani contuli, ultima Massarelli protocolla (pag. 491–542) ex eisdem codicibus prompsi, commentaria ea illustrantia multis in locis partim additamentis auxi, partim integravi, partim nova et recens conscripta adiunxi, haec omnia demum prelo subiciebantur[32].

Dum ultima singularum plagularum specimina percenseo, *addenda et corrigenda* (pag. 543–545) componi, denique *index nominum et rerum* (pag. 546–558) adici potuerunt, quorum laborum maxima pars mense Iunio anni 1960 expedita erat. Anno tandem 1961 ineunte *Actorum partis quartae volumen prius* complectens *Acta concilii iterum Tridentum congregati a Massarello conscripta (1551–1552)* exiit in lucem.

2. De ratione et modo protocolla Massarelli edendi[1]

Angelum Massarellum secretarium omnibus concilii congregationibus interfuisse constat, inter quas excerpta ex sententiis singulorum theologorum et Patrum in Acta referenda litteris consignare iussus erat, id quod industria assidua et diligentia singulari exsequebatur. Omnia eius protocolla inter ipsas congregationes secundae periodi Tridentinae descripta adhuc exstant. Ex eorum forma exteriore evidenter apparet ea propere excepta esse, dum singuli theologi Patresque sententias viva voce dicunt. Litteris enim cursivis velocissima manu parum accurate annotata generis dicendi interdum asperi sunt. Compositiones verborum nonnumquam imperfectae, abruptae, vitiosae non ex legum dicendi inscientia deducendae sunt, sed Massarellum operam dedisse testantur, ut expositiones singulorum quoquo modo breviter, sed curiose complecteretur.

Cum autem Massarellus protocolla inter Bononiensem concilii periodum excepta uno volumine (cod. *Conc. 63*) comprehendi faceret[2], ea Acta, quae inter congregationes secundae periodi Tridentinae (annis 1551 et 1552) litteris mandavit, eum in compluribus fasciculis non colligatis asservavisse manifestum est. Nam in *Inventario librorum et scripturarum repertarum penes D. Hannibalum Margarutium de S. Severino, maritum D. Sulpiciae Massarellae, neptis et in parte haeredis quondam b. m. Angeli Massarelli, episcopi Thilesini, sacri concilii Tridentini secretarii* (circa annum 1612 scripto) inter alia memorantur: *Congregationes et acta quaedam concilii Tridentini sub Iulio III originalia in fol. pag. 226*[3]. Iam Sebastianus Merkle, quia volumen hoc titulo inscriptum et tales res continens inter libros ab archivo Vaticano partos reperire non poterat, optimo iure compertum habuit dictos fasciculos per alia archivi volumina dispersos esse. Cum enim illi quondam fasciculi *Congregationes et acta quaedam concilii Tridentini* complectentes una cum aliis libris a Massarello relictis in archivum Vaticanum pervenissent, sine dubio divisi et ad complura volumina easdem materias continentia alligati sunt, in quibus Acta ex aliis concilii periodis orta easdem res tractantia coniuncta erant. Ac profecto in archivo Vaticano haec protocolla a Massarello inter secundam periodum Tridentinam scripta adhuc exstant:

[29] Cf. Jahresbericht d. G.-G. 1951, Köln 1952, 11. Jahresbericht 1953, Köln 1954, 74. Jahresbericht 1954, Köln 1955, 89.

[30] Cf. HJG LXXVI (1957) 623–625.

[31] Cf. Jahresbericht d. G.-G. 1955, Köln 1956, 70.

[32] Cf. Jahresbericht d. G.-G. 1958, Köln 1959, 72. Jahresbericht 1959, Köln 1960, 73.

[1] Cf. *Joachim Birkner*, Die Akten des Trienter Konzils für die zweite Tagungsperiode unter Papst Julius III., in: Quellen u. Forschungen aus italien. Archiven u. Bibl. XXIX (1938–39) 297–311.

[2] Cf. Conc. Trid. tom. I, p. CXI, 1–4; CXXII, 1; tom. VI, III, p. XIV, 29ss.

[3] Ibid. tom. I, p. CVIII, 29s., n. [IX].

Digitized by Google

Conc. 10. In fol. 193^{r} Congregatio generalis die 24. Ian. a. 1552 habita[4]; in fol. 196^{r}–203^{v} Congregationes generales diebus 2.–14. Ian. a. 1552 habitae; in fol. 204^{r}–206^{r} Congregatio generalis die 30. Apr. a. 1552 habita; in fol. 206^{v}–207^{v} Congregatio generalis die 31. Aug. a. 1551 habita; in fol. 210^{r}–213^{r} Congregationes generales diebus 24. 26. 27. Apr. a. 1552 habitae[5].

Conc. 14. In fol. 210^{r} ACTA SACRI CONCILII TRIDENTINI POST SECVNDAM SESSIONEM SVB IVLIO III PONT. MAXIMO. *Celebrata secunda sessione*... ARTICVLI HERETICORVM SVPER SACRAMENTO eucharistiae... In fol. 211^{v} *Congregatio prima theologorum super examinatione articulorum de s^{mo} eucharistiae sacramento* [habita die 8. Sept. a. 1551]. Usque ad fol. 217^{v} sequuntur congregationes theologorum diebus 9. 10. 11. 12. 14. Sept. habitae. In fol. 218^{r} *Prima congregatio generalis super examinatione suprascriptorum articulorum de sacramento eucharistiae cum iudicio theologorum* [habita die 21. Sept. a. 1551]. Usque ad fol. 225^{v} sequuntur congregationes generales habitae diebus 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 30. Sept. a. 1551. In fol. 226^{r} *Congregatio deputatorum super confectione decreti de sacramento eucharistiae* [habita die 1. Oct. a. 1551; cf. Conc. Trid. VII, I 176s. infra lineam]. In fol. 227^{v}–232^{v} sequuntur congregationes generales et deputatorum habitae diebus 6. 7. 8. 9. 10. Oct. a. 1551. In fol. 233^{r}–233^{v} sequuntur congregationes theologorum habitae diebus 15. et 16. Sept. a. 1551.

Conc. 18. In fol. 55^{r}–75^{r} Congregationes theologorum super examinatione articulorum de sacrificio missae et de sacramento ordinis habitae diebus 7.–12. 14. 16.–23. 29. Dec. a. 1551. In fol. 78^{r}–79^{v} Congregationes generales habitae diebus 23. et 24. Ian. a. 1552[6]. In fol. 83^{r}–130^{v} Copia Actorum a Massarello in ipsis congregationibus usque ad finem mensis Decembris a. 1551 scriptorum[7].

Conc. 22. In fol. 192^{r} ACTA SACRI CONCILII TRIDENTINI POST 3. SESSIONEM SVB IVLIO PAPA 3. *Celebrata superiori*... *Articuli de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis per DD. theologos examinandi*... In fol. 194^{r}–195^{r} *Congregatio theologorum. Incipit examinatio articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis* [habita die 20. Oct. a. 1551]. In fol. 195^{v}–208^{r} sequuntur congregationes theologorum super examinatione articulorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis habitae diebus 21.–30. Oct. a. 1551. In fol. 210^{r}–226^{r} sequuntur congregationes generales et deputatorum de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis habitae diebus 5.–21. 23.–24. Nov. anni 1551.

Massarellus has primas protocollorum annis 1551 et 1552 a se scriptorum formas ligandas non curavit, sed eas tamquam supervacaneas seposuerat, quia earum loco monumenta omnium rerum in secunda periodo a reductione concilii Tridentum (die 14. Nov. a 1550) usque ad suspensionem (die 28. Apr. a. 1552) gestarum accuratius scripta collegerat, quae in uno volumine coniuncta nunc in archivo Vaticano (cod. *Conc. 118*) exstant.

Hic codex 479 folia chartacea complectens, quorum unaquaeque pagina 22 lineas habet, ab ipso Massarello manu propria litteris magnis, claris, facile et perspicue legibilibus a primo ad extremum curiosissime scriptus est[8]. *Ea omnia et singula*, quae liber continet, praeter Massarellum ambo quoque concilii notarii Nicolaus Driel et Vincentius Torfaninus *uti vera et originalia et authentica ad pleniorem eorum fidem et testimonium* subscripserunt et solitis eorum signis roboraverunt ac muniverunt[9]. Cum autem Nicolaus Driel ante diem 10. Aprilis anni 1554 canonicus ecclesiae collegiatae S. Victoris extra muros Maguntinos factus paulo post discesserit[10], hunc codicem ante id temporis confectum esse patet. Massarellum iam Tridenti concilio nondum suspenso, cum omnes fere synodi actiones a die 26. Ianuarii usque ad diem 18. Martii et iterum a die 20. Martii usque ad diem 24. Aprilis anni 1552 intermissae et paene destitutae essent, maiorem huius codicis partem conscripsisse verisimile est.

Cum textus protocollorum in codicem *(Conc. 118)* recipiendorum recenseret, non solum consulebat, ut primam eorum formam interdum mendosam corrigeret, sed etiam, ut lectoribus modo scribendi clariore facultatem daret ea melius intellegendi. Locos ex operibus s. patrum allegatos, quorum in prima protocollorum forma properantius scripta minorem tantum partem notare potuerat, tunc multo auxit simulque indicationes, quibus e fontibus loci deprompti essent, partim falsas correxit, partim desideratas supplevit. Praeterea, ut locos quam plurimos colligeret, a librario quodam exemplaria protocollorum mense Decembri anni 1551 in congregationibus exceptorum, in quibus theologi de missa et ordine egerant, facienda curavit, quorum complura folia singulis theologis misit, ut ipsi relationes, quas de eorum votis in protocolla inseruerat, supplerent et emendationes inscriberent.

[4] Cf. ibid. tom. VII, I 469, adn. 3.
[5] Cf. *J. Birkner* l. c. 304s.
[6] Cf. ibid. 304.
[7] Cf. Conc. Trid. VII, I 375, adn. 1. *J. Birkner*, Die Akten l. c. 308.
[8] Cf. *J. Birkner* ibid. 300s.
[9] Cf. Conc. Trid. VII, I 536, 26–44.
[10] Cf. *C. Jaenig*, Liber confraternitatis B. Mariae de Anima, Romae 1875, 144. *St. Ehses*, Conc. Trid. V, p. XXV, adn. 3.

Digitized by Google

Quorsum haec exemplaria spectent, ex eo apparet, quod Massarellus precibus in margine adnotatis a singulis theologis supplenda quaedam petivit. Exempli gratia his verbis ad marginem exemplaris protocolli die 7. Decembris anni 1551 excepti (*Conc. 118*, fol. 83^{r}) manu propria ascriptis theologos Societatis Iesu Lainez et Salmeron sic rogavit: *Obsecro, ut ponantur hic illi auctores.* Et paulo inferius (ibidem fol. 84^{r}) eandem precem ad marginem scripsit: *Obsecro, ut ponantur ii patres.* Salmeron his precibus eo modo obsecutus est, ut in illis foliis tam ad sententiam Patris Lainez quam ad propriam locos deficientes adderet et utrumque votum multis in locis emendaret ac suppleret. Exemplar protocolli ita emendati Massarello reddidit, qui illa supplementa in ultimam protocolli formam recepit[11]. Eodem modo Massarellus in ceteris quoque protocollis emendandis usus esse videtur. Cum in relatione de Salmeronis voto die 20. Octobris anni 1551 super sacramento poenitentiae dato, quam ultima protocolli forma exhibet, duplex fere numerus testimoniorum ex operibus s. patrum allatorum inveniatur quam in forma prima, Massarellum etiam hoc in loco auxilium a Salmerone petivisse coniciendum est[12]. Vice versa res quasdam gestas, quas in forma protocollorum prima commemoraverat et deinde etiam in formam retractatam inseruerat, postea ex hac (*Conc. 118*) sustulit, quia parum aptae esse ei videbantur, quae in Acta concilii publica reciperentur, exempli gratia eum locum, ubi in prima protocolli forma narraverat Maximilianum, regem Boemiae, ex Hispaniis reversum, cum die 15. Decembris anni 1551 cardinalem Crescentium visitaret, *elephantum iuvenem 12 tantum annorum (quem ei rex Portugalliae dono dederat)* secum duxisse, qui *aulam ultimam et cubiculum ipsius legati secretum intravisset* ibique *nonnullas actiones peregisset*[13].

Ex his exemplis prolatis intellegi potest Ioachimum Birkner iusto iure statuisse in editione Actorum codicem *Conc. 118* sequi, sed in apparatum criticum omnes varias primae protocollorum formae lectiones vel ad rem vel ad genus dicendi pertinentes sub littera *M* recipere[14], ut non solum textus integer in medio poneretur, sed etiam lectores cognoscere possent, quam laborandi rationem Massarellus inierit.

Acta integra secundae concilii periodi etiam codex *Conc. 119* continet, qui folia 619 chartacea complectitur (in unaquaque pagina 22 lineae leguntur). Maiores huius codicis partes, id est protocolla congregationum, ex codice *Conc. 118* a compluribus librariis descriptae sunt, quorum alius alii succedebat, plerumque inde a singulis quaternionibus. Massarellus ipse paginas 103^{v}–106^{v}, 562^{r}–569^{v}, 578^{r}–581^{r}, 588^{r}–608^{v} propria manu scripsit. Ioachimus Birkner, cum codices *Conc. 118* et *119* diligentissime perspiceret, animadvertit folia 562–569 et 590–605 codicis *Conc. 119* primo a Massarello eo consilio scripta esse, ut in codicem *Conc. 118* reciperentur, id quod e numeris in margine superiore ascriptis cognoscere potuit. Quia in describendo decreto prorogationis in sessione quinta (die 15. Ianuarii a. 1552) publicato non ab omni errato minoris momenti sibi caverat[15], folia 562–569 commutavit anxie attentus, ne ullum mendum neque vitium in ultimam Actorum formam irreperet. Folia 590–605 e codice *Conc. 118* dempta et in codicem *Conc. 119* inserta sunt, quia Massarellus prooemium litteris, quibus Iulius III concilium die 15. Aprilis anni 1552 suspendit, praemittendum postea multis verbis auxit[16].

Duo Acta longius diffusa, quae in codice *Conc. 118* desunt, in *Conc. 119* inveniuntur, videlicet fol. 323^{r}–337^{v} prima forma doctrinae de sacramento poenitentiae et extremae unctionis examinanda die 16. Novembris anni 1551[17] et fol. 492^{r}–536^{r} *Libellus exhibitus ab oratoribus ducis Wirtembergensis s. synodo Tridentinae, in quo eorum fidem explicant et fatentur* (id est *Confessio Virtembergica*), de quo Massarellus in ultima Actorum forma (*Conc. 118*, 405^{r}) haec annotavit: *Qui quidem libellus cum sit multis modis impius et multa contineat, quae sacrae catholicae fidei adversantur, non est mihi visum illum hic describere, tum ut brevitati studeam (est enim satis longus), tum ne mea haec scripta huiusmodi impietatibus et monstris commaculem*[18].

Codex *Conc. 119* eodem fere tempore quo *Conc. 118* factus est. Librarii Acta e codice *Conc. 118* iam describere coeperunt, antequam Massarellus ipse ultimam eius partem confecit; interdum etiam illum praecurrisse videntur. Nam librarius quidam, cum protocollum congregationis post meridiem diei 12. Decembris anni 1551 habitae describeret, non eius novam formam a Massarello in codicem *Conc. 118* insertam secutus est, sed primam formam, quae nunc in codice *Conc. 18* exstat, sine dubio propterea, quod Massarellus eo tempore in protocollis retractandis nondum

[11] Cf. Conc. Trid. VII, I 379, 13–16 cum adn. i; 381, 12–21 cum adn. i. *J. Birkner*, Die Akten 308.
[12] Cf. *J. Birkner* ibid. 308.
[13] Cf. Conc. Trid. VII, I 408, adn. r. *J. Birkner* l. c. 310.
[14] Cf. *J. Birkner* l. c. 311.
[15] Cf. Conc. Trid. VII, I 493, 31ss.
[16] Cf. ibid. 493, 31ss.; 515, adn. 1; 516, 13ss. cum adn. b ss. et adn. 1. *J. Birkner*, Die Akten 301ss.
[17] Cf. Conc. Trid. VII, I 324, adn. 4; 343, adn. 3. *J. Birkner* l. c. 301.
[18] Conc. Trid. VII, I 469, 34–37. Massarellus tamen exemplar *Libelli* in Conc. 119, 536^{r} manu propria *in fidem et testimonium* a se subscribendum esse putavit; cf. *J. Birkner* l. c. 301, adn. 2.

Digitized by Google

usque ad illum diem processerat[19]. Omnes lectiones varias in codice *Conc. 119* occurrentes Ioachimus Birkner mendis librariorum dumtaxat neglectis accuratissime in apparatum criticum novae editionis rettulit.

Massarellus aliis officiis impeditus protocolla inter sex sessiones sollemnes diebus 1. Maii, 1. Septembris, 11. Octobris, 25. Novembris anni 1551, 25. Ianuarii, 28. Aprilis anni 1552 habitas scribere non potuit, quae ubi primum finitae sunt, etiam res in his sessionibus gestas litteris consignavit vel potius notis in chartam coniectis excepit, quorum commentariorum nonnulla fragmenta *(minutae)* adhuc in codice *Conc. 146* inveniuntur[20]. Idem codex multa partim a Massarello manu propria scripta exemplaria Actorum et decretorum continet, quae in sessionibus recitata vel approbata sunt[21].

Ex hac copia uberrima Massarellus tempore opportuno Acta sessionum publica composuit eaque librarium quendam antea diligenter instructum perscribere iussit, quae in libro pretiosissimo, indumento scorteo purpureo et frontibus deauratis insigniter exornato, 477 folia membranea complectente coniuncta nunc in archivo Vaticano (codex *Conc. 123*) asservantur sub hoc titulo (fol. 4r): SESSIONES SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI ET BONONIENSIS SVB PAVLO III IVLIO III ET PIO IIII PONT. MAXX.[22] Acta uniuscuiusque sessionis Massarellus in fine manu propria subscripsit *in fidem et testimonium praemissorum*[23]. Fol. 150r legitur hic titulus: SESSIONES SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI SVB IVLIO III PONT. MAX. ANN. DOM. MDLI ET LII. Fol. 152r–219v sequuntur Acta concilii iterum Tridentum congregati.

Ioachimus Birkner ad editionem novam faciendam omnia fere sex sessionum Acta ex hoc codice deprompsit[24], nisi si in aliis voluminibus litteras authenticas invenerat, quae ei ad Acta componenda vel transscribenda maiori usui erant, exempli gratia in codice *Conc. 89* mandata Caroli V, Ferdinandi regis Romanorum, oratorum electoris Brandeburgensis, ducis Virtembergensis, in codice *Conc. 133* litteras Ioannis regis Portugalliae, in codice *Conc. 146* litteras regis Gallorum et scripturam lectam a nuntio eiusdem regis[25].

Cum Pius papa IV annis 1564 et 1565 id ageret, ut Acta concilii Tridentini typis describerentur, Massarellus cardinalibus ad hoc consilium deliberandum deputatis ea Acta proponere debuit, quae ad manum erant. Diu deputati constituere non poterant, utrum Acta concilii integra in lucem edenda essent an excerpta tantum ex eis. Quod ad secundam concilii periodum attinebat, Massarello, cum omnia huius periodi protocolla iam prompta essent, nihil aliud agendum erat, nisi ut librarios Summarium quoddam Actorum annis 1551 et 1552 collectorum conscribere iuberet. Ut in scribendo ex eius sententia procederent, librarios instructione diligenter excogitata instituit, quid reciperent quidque omitterent. Quae instructio adhuc exstat in codice *Conc. 43 (libellus indicis)*, qui a Massarello circa annum 1565 manu propria scriptus 238 folia chartacea in quarto complectitur[26]. Ad annos 1551 et 1552 spectant folia 163r–178v, quae fol. 163r sic inscripta sunt: ACTA SACRI OECVMENICI CONCILII TRIDENTINI SVB IVLIO III PONT. MAX. 1551 1552 IMPRIMENDA. C.

Hac instructione librariis praeceptum est, ut imprimis Acta publica in Summarium reciperent, praesertim bullas et litteras breves papae, decreta sessionum concilii, mandata Caroli V, Ferdinandi regis Romanorum aliorumque principum, canones sacramentorum etc. Singula Acta prooemiis brevibus, quae ipse Massarellus conceperat et in codice *Conc. 43* manu propria praescripserat, praemissis in modum diarii inter se coniungenda erant. Disputationes theologorum Patrumque concilii per multas congregationes et sessiones diffusas in epitomas minutas coegit, quibus res maioris momenti tantum memoriae tradendae ita comprehendebantur, ut omnia in formam ac figuram Summarii redigerentur. Librarii singula Acta publica e codice *Conc. 118* transscribere iubebantur, ad quem Massarellus omnibus in libello indicis (*Conc. 43*) ascriptis notis paginarum numeros designantibus eos remisit. Huic instructioni obsequentes librum summam

[19] Cf. Conc. Trid. VII, I 404, adn. q s t ss. *J. Birkner* l. c. 303.

[20] Cf. Conc. Trid. VII, I 89, adn. 1; 197, adn. 1.

[21] Cf. ibid. 89, adn. 3; 93, adn. 3; 95, adn. 1; 97, adn. 1s.; 101, adn. 1; 197, adn. 1 et 5; 493, adn. 3; 529, adn. 2 et passim.

[22] De hoc codice cf. Conc. Trid. V, p. XXIV, 42ss.

[23] *Conc. 123*, fol. 160r. 170r. 180v. 198v. 206r. 218r. Cf. Conc. Trid. VII, I 41, 41ss.; 104, 30ss.; 212, 13ss.; 364, 7ss.; 496, 35ss.; 532, 19ss.

[24] Cf. Conc. Trid. VII, I 21, adn. 1; 31, 1ss.; 89, 1ss.; 197, 1ss. cum adn. 1.

[25] Cf. ibid. 95, 4ss. (*Conc. 89*, n. 10); 97, 14ss. (*Conc. 89*, n. 28); 100, 11ss. cum adn. 1 (*Conc. 146*); 101, 40ss. cum adn. 1 (*Conc. 146*); 197, 34ss. cum adn. 5 (*Conc. 89*, n. 23); 467, 33ss. (*Conc. 89*, n. 5); 511, 17ss. cum adn. 1 (*Conc. 133*, 62r). An Birkner etiam codice *Conc. 25*, qui fol. 83ss. DECRETA SACROSANCTI OECVMENICI CONCILII TRIDENTINI SVB IVLIO III PONT. MAX. ab ipso Massarello scripta continet, usus sit, certo cognosci non potest.

[26] De hoc codice cf. Conc. Trid. V, p. XXXVI, 38ss.; VI, III, p. XVI, 18ss.; IX, p. XVII, 14ss. *J. Birkner*, Die Akten 306.

Digitized by Google

Actorum complectentem ad Massarelli voluntatem conscripserunt, quod Summarium adhuc in codice *Conc. 4* archivi Vaticani exstat[27].

Cum ergo ad solum codicem *Conc. 118* librarii revocati essent, omnia, quae codex *Conc. 4* continet, ex illo codice (*Conc. 118*) transscripta sunt, quem Ioachimus Birkner quoque in editione facienda secutus est. Itaque in codicibus *Conc. 4* et *Conc. 43* nihil novi invenire potuit.

[27] Cf. *J. Birkner* ibid. 307.

Digitized by Google

Prolegomena
in volumen secundum

I. Orationes Patrum et theologorum

Ioachimus Birkner cum in volumine priore opus Massarelli pari eademque forma, in quam auctor ipse id redegerat, edere vellet, eos tantum sermones Patrum et theologorum recipiendos esse existimabat, qui in duobus codicibus *Conc. 118* et *Conc. 123* inveniuntur. Massarellum autem nonnisi eas orationes in hos codices inseruisse apparet, quas ei ipsi contionatores promptas expositasque praebuerant.

Codice *Conc. 118* non plures quam sex orationes continentur, videlicet oratio Petri Fragi habita in festo ascensionis Christi (die 7. Iunii), oratio Francisci Salazar in festo pentecostes (die 17. Iunii), oratio Martini Olavei in festo trinitatis (die 24. Iunii), oratio Melchioris Vosmediani in festo apostolorum Petri et Pauli (die 29. Iunii), oratio Iacobi Ferrusii in festo assumptionis b. Mariae virginis (die 15. Augusti), oratio Antonii Florebelli in festo Ioannis Evangelistae apostoli (die 27. Decembris anni 1551) habitae[1].

Praeterea quattuor orationes in sessionibus concilii sollemnibus recitatae inter Acta sessionum in codice *Conc. 123* coniuncta inveniuntur, videlicet oratio Sigismundi Phaedri Diruta in sessione prima die 1. Maii anni 1551, oratio Salvatoris Salapusii, archiepiscopi Turritani, in sessione tertia die 11. Octobris anni 1551, oratio Coriolani Martyrani, episcopi S. Marci, in sessione quarta die 25. Novembris anni 1551, oratio Ioannis Baptistae Campegii, episcopi Maioricensis, in sessione quinta die 25. Ianuarii anni 1552 habitae[2].

In sessione secunda (die 1. Septembris a. 1551) et sexta (die 28. Aprilis a. 1552) sermones habiti non sunt. Quia Birkner in editione sua tantum codices *Conc. 118* et *Conc. 123* secutus est, praeter decem orationes enumeratas in volumine priore aliae non inveniuntur. Quare Massarellus has decem tantum orationes in Acta concilii inseruerit, nihil aliud fuisse videtur, nisi quod ceterae orationes a Patribus et theologis concilii Tridenti habitae forte praesto non erant, cum codicem *Conc. 118* conscriberet.

Propterea mihi etiam attemptandum erat orationes a Massarello omissas in hoc volumen congregare, quotquot inveniri poterant. Iam Massarello non contigit, ut omnes orationes eo tempore Tridenti habitas colligeret. Contionatores enim haud raro omisisse videntur exemplaria sermonum suorum ei tradere. Nonnullae autem orationes concilio nondum suspenso typis exscriptae sunt. Itaque in bibliothecis quibusdam permanserunt (vide infra).

Exemplaria autem manu scripta orationum eiusmodi ad nos non pervenisse videntur praeter excerpta quaedam singuli sermonis, quae notario inquisitionis Hispanicae debemus. Cum enim Bartholomaeus Carranza OP. in suspicionem haereseos incidisset, e libello quodam sermonum eius aliquot loci exscripti et iudicibus propositi sunt, inter quos erant complura capita sumpta ex oratione die 28. Martii anni 1552 ad Patres concilii habita (suspecta fortasse, quia *Harmonia evangelica* Andreae Osiandri allegata est)[3].

Circiter medium saeculum XVIII exemplaria quaedam duorum sermonum Alexandri Candidi (Nicolai *Blanckaert*) OCarm. exstabant. Nam P. Norbertus a s. Iuliana (cognomine *N. Hermans*, qui die 5. Martii anni 1757 obiit[4]) in opere inscripto *Batavia desolata Carmelitana* eorum titulos memoriae prodidit et promisit lectores *has duas orationes in collectione conciliorum, tomo ultimo editionis Parisiensis* inventuros esse[5]. Sed neque in Parisiensem neque in alias conciliorum collec-

[1] *Conc. 118*, 50^{r}–60^{v} (Petrus Fragus, die 7. Iunii); 61^{r}–66^{r} (Franc. Salazar, die 17. Iunii); 66^{v}–74^{v} (Martinus Olaveus, die 24. Iunii); 78^{v}–83^{r} (Melch. Vosmedianus, die 29. Iunii); 85^{v}–93^{r} (Iacobus Ferrusius, die 15. Augusti); 368^{v}–374^{v} (Antonius Florebellus, die 27. Dec. 1551). Cf. Conc. Trid. VII, I 45–56; 56–60; 60–65; 69–73; 75–81; 430–435.

[2] *Conc. 123*, 156^{r}–160^{r}; 183^{v}–189^{v}; 201^{v}–203^{v}; 209^{r}–211^{v}. Cf. Conc. Trid. VII, I 35–41; 216–229; 368–371; 500–504.

[3] Vide infra p. 87–91, n. 9.

[4] Cf. *G. Wessels*, Analecta ord. Carmelitarum VIII, Romae 1932–1936, 369.

[5] Vide infra p. 5., adn. 33.

tiones insertae sunt. Quare eas tum ad editionem praeparatas esse coniciendum est, quae tamen rebus quibusdam adversis obstantibus in lucem emissae non sunt. Ex eo tempore ne vestigia quidem ambarum orationum apparuerunt. Quamvis permultas bibliothecas iterum atque iterum inquirerem, eas nusquam repperi. Quam ob causam monasteriis Bataviensibus ordinis Carmelitarum sublatis eas interisse opinor.

Praeter decem orationes a Massarello in codicibus *Conc. 118* et *Conc. 123* traditas, de quibus supra feci mentionem, fortuna secunda octo aliae usque ad nos permanserunt, cum paulo post, quam Tridenti habitae sunt, Coloniae vel Venetiis typis describerentur et deinde in bibliothecas pervenirent. Septem earum separatim prelo subiectae sunt, ut editiones principes testantur, quas in nonnullis bibliothecis invenire mihi licuit, videlicet 1. Paulus Passota, *Oratio apud Ill^{mum} card. Crescentium . . . plena episcoporum concione habita* [die 28. Iunii a. 1551], sine l. et a. [Venetiis 1551][6]. — 2. Franciscus Heredia, *Oratio in solenni die omnium sanctorum* [die 1. Novembris a. 1551] *ad patres habita*, sine l. et a. [Venetiis, ad signum Spei, 1551?][7]. — 3. Everhardus Billick OCarm., *Oratio de circuncisione Domini habita in concilio Tridentino* [die 1. Ianuarii a. 1552], *Coloniae, apud Iasparem Gennepaeum, 1552*[8]. — 4. Ioannes Gropper, *Oratio in solenni epiphaniae Domini die tribus illis, quos Colonia complectitur Agrippina, sanctissimis magis sacro* [die 6. Ianuarii a. 1552] *ad patres Tridenti habita, Coloniae, apud Iasparem Gennepaeum, 1552*[9]. — 5. Adeodatus Senensis OESA, *Oratio in die cinerum* [2. Martii a. 1552] *ad patres habita in concilio Tridentino, Venetiis,* [apud Aldi filios] 1552[10]. — 6. Marianus Rocha Feltrensis OESA, *Oratio ad patres habita in concilio Tridentino dominica tertia quadragesimae* [20. Martii] *MDLII, Venetiis, ad signum Spei,* [1552][11]. — 7. Cornelius Mussus, episcopus Bituntinus, *Predica . . . fatta in Trento nella chiesa de' Tedeschi presente tutto'l sacro concilio et molti de' Protestanti il dì XXIIII di Marzo, che era il mezzo di Quaresima . . . . In Venetia, al segno del pozzo, 1552* (per Giovan. Griffio)[12].

Mihi non evenit, ut exemplum alius orationis, scilicet octavae, fortasse etiam separatim typis descriptae invenirem. Sed saltem in collectionem Actorum concilii Venetam inscriptam: GENERALE CONCILIVM TRIDENTINVM CONTINENS OMNIA QVAE AB INITIO VSQUE AD FINEM IN EO GESTA SVNT, VENETIIS, *Ad signum Spei 1552*[13], recepta est, ubi fol. Ee 6^r — Ee 8^r legitur sub hoc titulo: *De christiana professione oratio & ad Sanctissimum magni illius Praecursoris Servatoris nostri imitandum exemplar, in Tertia Adventus Dominica* [die 13. Decembris] *1551, Viro Christiano a sancta Ecclesia propositum & recitatum Humilis & pia Hortatio ab Augustinensis Familiae ordinis Eremitarum Religioso Habita ad amplissimos patres concilii Tridentini, F. Leonar[do] Aret[ino]*[14]. — In eadem collectione, ad quam prelo subiciendam Christophorus cardinalis Madrucius pecuniam contulisse videtur[15], inter alia continentur fol. F^r–F^v oratio Pauli Passota (iterum typis descripta; cf. supra n. 1) et fol. F 2^r–F 8^r oratio Everhardi Billick die 1. Ianuarii anni 1552 habita (cf. supra n. 3).

Multo maiorem orationum numerum complectitur collectio Lovaniensis huius tituli: *Concilium Tridentinum, Hoc est Canones & Decreta sacrosancti oecumenici & generalis Concilii Tridentini . . . S. Patrum & Doctissimorum Virorum tum ad S. Synodum, tum ad Patres ibi congregatos Orationes & Conciones elegantissimae, Lovanii, apud Petrum Zangrium Tiletanum sub Fonte, 1567*, quae non minus quam sex orationes, quarum supra meminimus, comprehendit, videlicet p. 71–75 orationem Leonardi Aretini (supra n. 8); p. 75–80 orationem Mariani Rocha (supra n. 6); p. 80–82 orationem Pauli Passota (supra n. 1); p. 82–95 orationem Everhardi Billick (supra n. 3); p. 95–105 orationem Francisci Heredia (supra n. 2); p. 392–399 orationem Adeodati Senensis (supra n. 5).

Eaedem sex orationes ex hac editione Lovaniensi in collectionem Actorum conciliorum a *Labbe - Cossart* editam receptae sunt, unde postea etiam *Ioannes Dominicus Mansi* et *Iudocus Le Plat* eas hauserunt[16]. — Quamobrem neque oratio Ioannis Gropper neque oratio Cornelii Mussi in his tribus collectionibus occurrunt.

[6] Bibl. Vat., *Raccolta I, IV 1688*, n. 13; vide infra p. 3, adn. 1. Hanc tantum orationem Pauli Passota in *Appendicem* (App. I, n. 10) inserere Ioachimus Birkner in animo habuit; cf. Conc. Trid. VII, I, p. 67, adn. 2.

[7] Exemplum huius libelli inter libros meos proprios est. Vide infra p. 6, adn. 1.

[8] Eodem tempore haec oratio etiam Venetiis typis exscripta et recepta est in collectionem inscriptam: *Generale concilium Tridentinum* . . ., Venetiis, ad signum Spei, 1552, ubi legitur fol. F 2^r–F 8^r. Vide infra p. 22, adn. 1.

[9] Vide infra p. 37, adn. 1.

[10] Bibl. Vat., *Aldine II 52*, 13^r–24^v. Vide infra p. 50, adn. 1.

[11] Bibl. Vat., *Raccolta I, IV 2177* (int. 21). Vide infra p. 58, adn. 1.

[12] Romae, Bibl. Vallicelliana. Vide infra p. 63, adn. 1.

[13] Monachii, Bibl. rei publ., *4° Conc. 198*. Cf. *G. Calenzio*, Documenti inediti e nuovi lavori letterarii sul concilio di Trento, Roma 1874, 529s. Vide infra p. 3, adn. 1.

[14] Nescio, an haec sit editio princeps. Vide infra p. 17, adn. 1.

[15] Vide infra p. 22, adn. 1.

[16] *Labbe-Cossart* XIV (Parisiis 1672), col. 1073–1079 Leon. Aretinus; 1079–1085 Mar. Rocha; 1086–1088 P. Passota; 1088–1107 E. Billick; 1107ss. Fr. Heredia; 1524–1535 Adeodatus Senensis. — *Mansi* XXXIII, col. 349 C — 355 C Leon. Aretinus; 355 D — 361 C Mar. Rocha; 362 A — 364 D P. Passota; 364 E — 383

Digitized by Google

Illis octo orationibus supra dictis excerpta e sermone Bartholomaei Carranza OP. sumpta, quae antea commemoravi, addidi[17] et denique ultimam partem *Orationis funebris habitae Veronae per R. Patrem Franciscum Salazar, episcopum Salaminensem, Ord. Minor. in exequiis Ill*^{mi} et *R*^{mi} *cardinalis Crescentii, Legati S.D.N. Iulii III pont. max., XXVIII Maii 1552*[18].

Ex Actis, diariis, epistolis Sleidani et oratorum Mauritii ducis Saxoniae cognoscimus alias orationes non minus undecim Tridenti a theologis et patribus concilii habitas esse, quae aut litteris non mandatae aut typis non descriptae sunt aut in bibliothecas non pervenerunt aut neglegentius asservatae interierunt. Die s. Laurentii [10. Augusti a. 1551] *in ecclesia S. Laurentii* Octavianus Praeconius, *episcopus Monopolitanus, concionatus est*[19]. Die dominica prima adventus [29. Novembris a. 1551] *s. theologiae magister Desiderius de Verona OP.*, die dominica secunda adventus [6. Decembris a. 1551] *s. theologiae magister Sigismundus Phaedrus Diruta OMConv., concionator cardinalis Tridentini*, orationes habuerunt[20]. In festo s. Stephani protomartyris [die 26. Decembris a. 1551] *s. theologiae magister Franciscus de Toro Hispanus, familiaris archiepiscopi Granatensis, orationem habuit*[21].

Sermone, quem Ambrosius Pelargus OP. die 7. Februarii anni 1552 in ecclesia Germanorum S. Petri habuit, Protestantes magnam iniuriam sibi illatam esse putabant. Quapropter oratores Mauritii ducis Saxoniae de eo apud cardinalem Madrucium et oratores Caroli V Caesaris tam vehementer conquesti sunt, ut Pelargus die dominica sequenti [14. Februarii] ibidem se excusare deberet[22].

Die dominica prima quadragesimae [6. Martii a. 1552] *s. theologiae magister Hieronymus Vannusius OP. de Fano Fortunae, familiaris archiepiscopi Calaritani*, die dominica secunda quadragesimae [13. Martii a. 1552] *s. theologiae magister Antonius de Ulloa OMin. de observantia Hispanus oraverunt*[23]. In festo annuntiationis b. Mariae virginis [25. Martii a. 1552] Petrus Guerrero, *archiepiscopus Granatensis, in ecclesia b. Mariae maioris celebrata missa concionatus est*[24]. Die dominica quarta quadragesimae [27. Martii a. 1552] *s. theologiae magister Alexander Candidus OCarm. Flander oravit*, die Veneris in parasceve [15. Aprilis a. 1552] Ioannes Iubinus OMin., *episcopus Constantinensis*, suffraganeus episcopi Barchinonensis, *orationem ad patres habuit*[25].

An etiam die dominica passionis [3. Aprilis a. 1552] oratio ad patres habita sit, parum comperimus[26]. Die dominica palmarum [10. Aprilis a. 1552], in qua *episcopus Veronensis, tertius* concilii *praesidens*, (*aegrotante* cardinali Crescentio *legato*) *palmas benedixit ac distribuit*, sermo omissus esse videtur[27].

Diebus dominicis extra adventum et quadragesimam missae concilii in ecclesia cathedrali celebratae non sunt. Sed singulae nationes in ecclesias parochiales suas ad sacra his diebus facienda convenisse videntur, id quod de ecclesia S. Petri parochiali Germanorum cognoscimus, in qua Ambrosius Pelargus OP. semel iterumque sermonem fecit. Sed valde dolendum est, quod harum orationum nulla ad nos pervenit.

Praesidentes concilii ad sacra et orationes diebus festis in ecclesia cathedrali habendas per litteras patres vocabant[28]. De sermonibus, quos in aliis ecclesiis habituri erant, ipsi contionatores occasione data patres per litteras certiores fecerunt[29].

II. Vota Patrum et theologorum originalia

1. Exemplaria votorum inter res ab Ioachimo Birkner relictas inventa

Ioachimus Birkner, cum e media opera, quam edendis Actis ab ipso Massarello conscriptis navabat, praemature decederet, collectionem votorum originalium ut inchoare, ita non perficere potuerat. Ne satis quidem temporis ei obtigerat, ut omnium votorum in secunda concilii periodo a theologis et Patribus datorum, quae in archivo Vaticano adhuc asservata esse cognoverat, exemplaria faceret. In adnotationibus vero, quas ad congregationum Acta in volumine priore

B E. Billick; 383 C — 397 B Fr. Heredia; 800 D — 810 A Adeodatus Senensis. — *Le Plat* I, Lovanii 1781, p. 166–169 P. Passota; 193–209 Fr. Heredia; 209–216 Leon. Aretinus; 216–238 E. Billick; 245–256 Adeodatus Senensis; 256–263 Mar. Rocha.

[17] Cf. infra p. 87–91, n. 9.

[18] Romae, apud Antonium Bladum; cf. infra p. 92, adn. 1.

[19] Cf. Conc. Trid. II 241, 8s.; vide infra p. 5, adn. 33.

[20] Cf. Conc. Trid. VII, I 372, 6. 9s.; vide infra p. 16, adn. 165.

[21] Cf. ibid. 430, 11s.; vide infra p. 22, adn. 107.

[22] Vide infra p. 48, adn. 229.

[23] Cf. Conc. Trid. VII, I 510, 14s. 23s.; vide infra p. 58, adn. 246.

[24] Cf. ibid. 515, 9 et infra p. 86, adn. 268.

[25] Cf. ibid. 515, 11s. 28 et infra p. 86, adn. 268; 91, adn. 54.

[26] Cf. infra p. 91, adn. 54.

[27] Vide ibid. Cf. quae Massarellus in Diario III de sacris die dominica palmarum [18. Apr.] 1546 in ecclesia cathedrali celebratis adnotavit: *Non fit oratio*, Conc. Trid. I 538, 1.

[28] Cf. infra p. 6, adn. 1.

[29] E. gr. Cornelius Mussus, episcopus Bituntinus, die 23. Martii 1552; cf. infra p. 63, adn. 1.

Digitized by Google

edita addidit, lectoribus saltem indicavit, quibus sub numeris sententiae singulorum theologorum et Patrum in *appendice* invenirentur[1]. In animo enim habuit protocollis *appendicem* in quattuor partes dispertitam adiungere, quarum secunda sententias de sacramento eucharistiae, tertia sententias de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, quarta sententias de sacrificio missae et de sacramento ordinis datas complecterentur. Nusquam autem lectores docuit, in quibus codicibus archivi Vaticani illa vota reperirentur, id quod non opus esse ei videbatur, quia sperabat se una cum ipsis protocollis Massarelli *appendicem* ad ea pertinentem emissurum esse, ut altera pars titulo eius, scilicet *appendix*, responderet.

Hoc vero consilium ab Ioachimo Birkner primo institutum exsequi mihi non licuit, quia amico meo mortuo inter res ab eo relictas non omnia vota inveniebam, quorum in adnotationibus voluminis prioris mentionem fecerat, exceptis compluribus votorum exemplaribus partim a Stephano Ehses partim ab ipso I. Birkner manu propria scriptis. Uterque enim ea tantum vota collegerat, quae in archivo et bibliotheca Vaticana et in bibliotheca Angelica exstabant, non tamen investigaverat, si forte votorum exemplaria etiam aliis in locis asservata ad nos permansissent. Nonnullas sententias theologorum Lovaniensium et Ehses et Birkner e collectione *Iudoci Le Plat* (tom. IV, Lovanii 1784, 227ss. 337ss.) transscripserant neque codicem indagaverant, quo ille quondam usus erat. Itaque utrumque fugerat *Iudocum Le Plat* non omnia vota in illum codicem inserta edidisse[2]. Ne exemplar quidem voti a Bartholomaeo Carranza OP. die 29. Decembris anni 1551 dati, quod in duobus codicibus bibliothecae Vallicellianae exstat[3], inter res a Birkner relictas inveni. Huc accedit, quod Ehses, cui in animo erat singula vota originalia in medium textum protocollorum a Massarello conscriptorum inserere, hoc consilio coactus erat singulorum theologorum praenotationes et prooemia interdum gravia ac valde nobis exoptata eorumque epilogos, quibus fidem certam et constantem affirmabant atque asseverabant[4], una cum eorum subscriptionibus tamquam ad rem non pertinentes omittere et supprimere.

Quare pernecesse erat omnia votorum exemplaria ab Ehses facta recognoscere, cum codicibus conferre, partes deficientes supplere. Maius etiam incommodum attulit, quod et Ehses et Birkner vix coeperant vota ab eis transscripta commentariis sufficientibus illustrare. Quae ut componerem, praeparationes tam subtiles et tantum temporis exigentes aggredi mihi opus erat, ut eas brevi absolvere non possem.

Quibus causis commotus sum, ut tomi septimi volumen prius, quod eo tempore iam longe processerat, sine *appendice* emitterem, vota autem originalia una cum orationibus in concilio ad Patres habitis in altero volumine posterius secuturo — hoc videlicet — edenda reponerem. Hac enim ratione moram temporis necessariam nactus sum, ut interim omnia votorum exemplaria ab Ioachimo Birkner relicta cum codicibus, quibus usus erat, conferrem, diligenter recognoscerem emendaremque. Ad hanc rem gerendam e codicibus *Conc. 5*, *Conc. 14*, *Conc. 18*, *Conc. 78*, *Conc. 106*, *Conc. 146* archivi Vaticani, praeterea e codice *Vat. lat. 3916* bibliothecae Vaticanae et codice *lat. 425* bibliothecae Angelicae Romanae imagines lucis ope factae mihi comparandae erant[5].

Maior votorum pars in codicibus *Conc. 5*, *Conc. 14*, *Conc. 18* coniuncta est.

Conc. 5. In fol. 4^{r} legitur haec rubrica: *Articuli haereticorum super sacrificio missae et sacramento ordinis collecti per theologos in concilio Tridentino mense X^bris 1551 SVB IVLIO PP. III.* In fol. 8^{r}–36^{v} inveniuntur undecim tabulae errorum haereticorum inter se differentes, quas vide infra p. 345–370[6]. Deinde in fol. 53^{v}–76^{r} sequuntur tria vota theologorum minorum super articulis de sacramento ordinis autographa, videlicet Rogerii Iuvenis OESA, Stephani Sestinatis OESA, Alexandri Candidi OCarm.[7]

Conc. 14. In fol. 4^{r} legitur haec rubrica: SENTENTIAE ET VOTA PATRVM QVORVNDAM SVPER ARTICVLIS DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE EXAMINATIS MENSE SEPTEMBR. ANNO 1551. In fol. 5^{r}–137^{v} inveniuntur 31 vota Patrum et theologorum super articulis et canonibus de eucharistia[8].

[1] Conc. Trid. VII, I, p. 128, adn. 2 et 5; 129, adn. 12; 134, adn. 3 et 11; 135, adn. 1; 185, adn. 1–3 etc.; 248, adn. 1; 254, adn. 2; 257, adn. 1; 258, adn. 4 etc.; 386, adn. 6; 395, adn. 1 et 4; 397, adn. 1; 399, adn. 14 etc.

[2] E. gr. *Sententia et iudicium magistrorum theologiae per Caes. Mtem missorum ex ditionibus Inferioris Germaniae super tribus articulis* [*eucharistiae*] *sibi per R^mum et Ill^mum D. legatum propositis*, infra p. 228–234, n. 34 a.

[3] Infra p. 510–530.

[4] Vide e. gr. infra p. 100, 33ss.; 108, 44ss.; 117, 23ss.; 127, 3ss. 15ss.; 141, 26ss.; 193, 1ss.; 204, 1ss.; 395, 10ss. 13ss.; 415, 1ss.; 433, 13ss. 24ss.; 465, 6ss.; 471, 12ss.; 478, 15ss.; 486, 27ss.; 492, 21ss.

[5] Vide tabulam codicum infra p. 743ss. De codicibus *Conc. 5* et *Conc. 14* cf. Conc. Trid. VI, III, p. XXII, 41ss.; XXV, 3ss. De cod. *Conc. 18* cf. Conc. Trid. I, p. CVI, 40ss.; CVII, 1ss. 10s.; CXXI, 25.

[6] Cf. Conc. Trid. I, p. CVI, 36ss. De hoc codice vide Conc. Trid. VI, III, p. XXII, 41ss. De articulis de missa et ordine cf. *Th. Freudenberger*, Zur Benützung des reformatorischen Schrifttums im Konzil von Trient, in: R. Bäumer, Von Konstanz nach Trient, Paderborn 1972, 593s.

[7] Cf. Conc. Trid. I, p. CVI, 40ss. Vide infra p. 428ss.; 433ss.; 481ss.

[8] Cf. Conc. Trid. I, p. CVIII, 1s. 35ss. De hoc codice cf. Conc. Trid. VI, III, p. XXV, 3ss. Vota ipsa vide infra p. 97–226; 235; cf. tabulam codicum, infra p. 744.

Digitized by Google

Conc. 18. In fol. 3^r legitur haec rubrica: SENTENTIAE ET VOTA THEOLOGORVM MINORVM IN CON° TRIDENT° SVB IVLIO 3° SVPER ARTICVLIS DE SACRIFICIO MISSAE ET DE SACRAMENTO ORDINIS, EXAMINATI MENSE DECEMBRI. 1551. In fol. 5^r legitur haec altera rubrica: SENTENTIAE ET VOTA PATRVM QVORVNDAM SVPER ARTICVLIS DE SACRIFICIO MISSAE ET SACRAMENTO ORDINIS, EXAMINATI MENSE IANVARIO 1552[9]. In fol. 7^r–52^r sequuntur quinque vota Patrum originalia, quae vide infra p. 588ss. 604ss. 634ss. 669ss. De iis, quae in fol. 55^r–130^v leguntur, vide supra p. XXI, 17–21. In fol. 151^r–359^v sequuntur 23 vota Patrum et theologorum originalia[10].

De iis votis, quae in codicibus *Conc. 78*[11], *Conc. 106*, *Conc. 146* et in cod. *lat. 3916* bibliothecae Vaticanae inveniuntur, vide tabulam codicum, infra p. 745.

Quibus ex codicibus vota haud pauca denuo transscripsi. Ceterorum votorum exemplaria a matre Ioachimi Birkner mihi tradita cum eisdem codicibus contuli, qua potui diligentia recensui, multis in locis emendavi, prooemia et epilogos deficientes supplevi. Postquam hoc modo textum illorum votorum certum redegi et commentaria eum illustrantia composui, manuscripto extrema manus accessit.

Multo longiore tempore mihi opus erat, ut ea vota originalia investigarem et comprehenderem, quae extra civitatem Vaticanam in archivis et bibliothecis incomperta latebant.

2. Vota extra civitatem Vaticanam inventa

Primum mihi eruendum erat, ubi illum codicem *tabularii regii Bruxellensis* reperirem, quo olim *Iudocus Le Plat* usus erat[12]. Rectores huius tabularii (cui nunc titulus est *Algemeen Rijksarchief*) per litteras interrogati responderunt eum iam saeculo decimo nono ineunte Vindobonam exhibitum esse. Gubernatores archivi rei publicae Austriacae Vindobonensis exinde eadem de re litteris consulti certiorem me fecerunt illum codicem pretiosissimum adhuc apud eos asservari hoc numero designatum: *Haus-, Hof- und Staatsarchiv, Religionsakten fasc. 14 C, n. 152*. Deinde precibus meis officiosa voluntate obsecuti eum codicem ad tempus commodantes Wirceburgum facultatem mihi dederunt librum indagatum accuratius exquirendi, pro qua liberalitate magnanima sinceram habeo gratiam.

Hic codex 153 folia continet, quae a primo ad extremum a Carolo de Langhe secretario manu propria exarata sunt. In fronte tegumenti eius membranei haec inscriptio legitur: *Besoigne au concile de Trente 307* et inferius: *Praesentatur le 24* [?] *Mars 1554*. In fol. 2^r invenitur hic titulus: *Rapport de Charles de Langhe du besoigne au concille de Trente 1551 1552*. In fine codicis (fol. 151^r) idem ipse Carolus de Langhe sic subscripsit: *Haec omnia uti acta, gesta exhibitaque in concilio fuere, ita hoc volumine supra relata descriptaque esse Ego Carolus de Langhe, u. i. licentiatus, commissariorum Inferioris Germaniae ad dictum concilium per Reginalem* M^{tem} *deputatus ac missus secretarius, teste nomine ac signo manuali meo hic subiecto certifico et assero. C. de Langhe subscripsit*. Carolus de Langhe die 7. Iulii anni 1551 iussus est munere secretarii fungens legationem Germaniae Inferioris ad concilium missam sequi[13].

Quae hoc codice continentur, in fol. 5^r sic designata sunt: *Ordo et contextus actorum et publice exhibitorum in concilio Tridentino a Cal. Maii anni 51 usque ad Cal. Maii anni 52*. In fol. 5^v–6^v legitur bulla reductionis concilii (inc. *Cum ad tollenda*, data die 14. Novembris a. 1550). In fol. 7^r incipiunt Acta sessionis secundae die 1. Septembris anni 1551 habitae. In fol. 13^r sequuntur *Articuli de sacramento eucharistiae per DD. theologos examinandi*, fol. 15^r–22^r *Sententia et iudicium magistrorum theologiae . . . super tribus articulis* [*eucharistiae*][14]. In fol. 27^v incipiunt Acta sessionis tertiae, fol. 42^r articuli super sacramentis poenitentiae et extremae unctionis. Deinde in fol. 45^r–89^v sequuntur vota Ruardi Tapper aliorumque theologorum Lovaniensium super articulis de poenitentia iam a

[9] Cf. Conc. Trid. I, p. CVI, 45ss.

[10] Vide infra p. 379ss.; 415ss.; 448ss.; 487ss.; 583ss.; 599ss.; 631ss.; 673ss.; cf. tabulam codicum, infra p. 744s. Conc. Trid. I, p. CVI, 40ss.; p. CVII, 1ss. 10s.

[11] De hoc codice cf. Conc. Trid. XII, p. XX, 29s.

[12] Cf. *Iud. Le Plat*, Collectio IV 277.

[13] In litteris die 7. Iulii anni 1551 datis, quibus munus secretarii ei mandatum est, haec praecepta sunt: „Sa M^{te} Reginalle devement informee des prudence, letterature, diligence et experience de notre Charles de Langhe, licencie es loix, le a commis et commect par cestes en l'office de secretaire desde deputez de l'estat ecclesiasticque des pays de pardeça pour se transporter avecq eulx aude concille general, rediger et mectre par escript telles lettres, memoires, advertissemens et propositions, que luy seront par eulx ordonnees et commandees du tout tenir regie, signamment des actes, sessions, conclusions et resolutions, qui se seront et traitteront au dict saint concille, et generallement faire tout ce que bon et leal secretaire sus de peult et doibt faire. Au traittement de deux florins *Philippus* de 25 pattars piece par jour, et d'en estre paye par R^{end} pere l'abbe du Parcqk lez Louvain, commis a la recepte generalle des deniers accordez par lesde ecclesiasticques de pardeça, a commencer avoir cours du jour, qu'il se mectera en chemin, durant le temps, qu'il sera au dict concille et jusques a son retour. Sur quoy et de s'y bien et leaulment acquicter il sera tenu faire le serment pertinent es mains de M. Viglius de Zwychem, chief et president du prive conseil de Sa M^{te} imperiale", Bruxellis, Arch. reg. (*Algem. Rijksarch.*), *Papiers d'état n. 491*, 154^r (*copia coaeva*), 155^r–156^r (*minuta*).

[14] Cf. infra p. 228–234, n. 34 a.

Digitized by Google

Iudoco Le Plat edita[15]. In fol. 104^{r} leguntur articuli de sacrificio missae et de sacramento ordinis, fol. 107^{r}–126^{r} vota Ruardi Tapper et Iudoci Ravesteyn Tiletani de his articulis[16], fol. 128^{r}–128^{v} mandatum oratoris rei publicae Argentoratensis[17]. In fol. 146^{r}–147^{v} sequitur *Declaratio oratorum Wirtembergensium, priusquam Tridento recederent* (die 7. Aprilis a. 1552), inc.: *Ill*^{mi} *et observandissimi*[18]. In fol. 147^{v}–151^{r} addita sunt decretum suspensionis concilii et schedula exhibita ab archiepiscopo Turritano (die 28. Aprilis a. 1552)[19]. Deinde in fol. 151^{r} Caroli de Langhe *Rapport* sic finitur: *Soluta itaque sessione ac data omnibus discedendi potestate plerique patrum eo ipso die* [28. Aprilis a. 1552], *qui iam coactis sarcinis ad sessionem convenerant, abierunt.*

Archivo Vindobonensi non tradita sunt, sed in *Algemeen Rijksarchief* Bruxellis remanserunt duo volumina Acta magni momenti complectentia (*Papiers d'état et de l'audience n. 490* et *491*) inscripta: *Concile de Trente*, quorum prius inter alia haec continet: *Lettres écrites de Trente par les députés envoyés au concile 1551 et 1552* (fol. 36–118), volumen vero alterum: *Instructions et correspondance relatives au subside à demander au clergé des Pays-Bas et au choix des députés 5. Mai – 28. Nov. 1551.* Ex Actis in his duobus codicibus coniunctis pauca tantum exemplaria ad hoc nostrum volumen spectant[20]. Maior ideo eorum pars in volumen tertium posthac ut spero secuturum reponenda fuit.

Rerum a Christophoro Metzler, episcopo Constantiensi, relictarum haud exigua pars nunc Caroliruhae in archivo rei publicae generali asservatur. Inter quas votorum eius originalium super articulis et canonibus de poenitentia et super articulis de missa et ordine datorum formas varias ab eo propria manu scriptas et usque adhuc incognitas inveni. Postquam enim primo e materia undique collecta formas eorum latius fusas concepit, sententiam denique in formam brevissimam contractam in congregatione Patrum generali viva voce recitavit[21]. Inter eandem materiam etiam exemplar sententiae Pauli, episcopi Zagrabiensis, et Friderici Nauseae, episcopi Viennensis, de poenitentia et extrema unctione exstat, quod sine dubio Christophorus Metzler e concilio domum reversus secum rettulit[22].

Citii (*Zeitz*) in bibliotheca collegii canonicorum (*Stiftsbibliothek*) libros aliasque res ab Iulio de Pflug, episcopo Naumburgensi, qui inde a die 20. Novembris anni 1551 usque ad diem 26. Martii anni 1552 concilio Tridentino aderat[23], relictas asservari constat. Inter Acta ab illo his quattuor mensibus conscripta praestant excerpta e voto Ioannis Gropper de sacrificio missae die 14. Decembris dato[24]. Iulius de Pflug, dum Ioannes Gropper sententiam dicit, voti eius tenorem excepisse videtur. His accedit copia haud parva annotationum, quibus ille articulos de missa et ordine et primam formam doctrinae de missa et ordine conceptam excussit et vota de eis danda praeparavit. In eis tam multa correcta, rescripta, iterum atque iterum emendata, deleta, in margine aliis verbis expressa, coartata, contracta, denuo dilatata sunt, ut interdum difficilius fuerit textum in formam utcumque apertam ad intellegendum redigere[25]. Condicionis paulo melioris sunt ultima forma *Sententiae super articulis de missa et ordine* die 8. Ianuarii anni 1552 ab eo dictae[26] et *Iudicium de doctrina reformata, quantum ad articulum de sacrificio missae* [*pertinet*], quod circa diem 20. Ianuarii conscripsit[27]. Bibliothecam Citiensem adire mihi ipsi non licuit. Quod annotationes et vota Iulii de Pflug infra primum edita in hoc volumen recipere potui, liberalitati eximiae Huberti Jedin et Georgii Pfeilschifter debeo, qui imagines e codicibus Citii asservatis lucis ope suis impensis factas mihi promptas expositasque praebebant. Gubernatores eiusdem bibliothecae saepius per litteras interrogati ad singulas percontationes meas officiosissime responderunt.

Centum circiter annis ante Augustus Druffel Actis uberrimis in archivo rei publicae Dresdensi asservatis frequenter usus erat[28], praesertim iis, in quibus de consiliis Mauritii ducis Saxoniae ad religionem spectantibus agitur, ac potissimum tribus tomis inscriptis *Trientisch concilium I-III*, qui forte fortuna incolumes usque ad nos permanserunt. Administratores illius

[15] Vide tabulam codicum, infra p. 745.
[16] Vide infra p. 370ss.; 408ss.
[17] Vide infra p. 714s.; 724.
[18] Quam vide infra p. 732s.
[19] Vide Conc. Trid. VII, I 529–531.
[20] Vide infra p. 236, n. 37; 710–712; 714s.; 732s., n. 6. 8. 13.
[21] Vide infra p. 311–314, n. 11; 339, n. 17; 649–657, n. 28b; 741. Christophorus Metzler die 22. Octobris anni 1551 Tridentum advenit, Carolus de Langhe ad Viglium Zuichemum die 24. Octobris; cf. Conc. Trid. VII, III.
[22] Vel Caspar Hervagius, eius amanuensis, qui antea secretarius Friderici Nausea die 6. Februarii Tridenti mortui fuerat; de quo cf. infra p. XXXIII, 1ss. 15. Vide infra p. 288–299; 743.
[23] Cf. *H. Jedin*, Das Konzilstagebuch des Bischofs Julius Pflug von Naumburg 1551/52, in: Röm. QuSchr. L (1955) 22ss. *J. V. Pollet*, Johann Gropper und Julius Pflug nach ihrer Korrespondenz, in: Paderbornensis ecclesia. Festschrift für *Lorenz Kard. Jaeger*, Paderborn 1972, 233ss. Iulius Pflug Tridento die 26. Martii anni 1552 discessit; cf. *V. Ernst*, Briefwechsel des Herzogs Christoph v. Wirtemberg I, Stuttgart 1899, 466, n. 441.
[24] Vide infra p. 442–447, n. 8 a. Cf. *H. Jedin* l. c. 27s. *J. V. Pollet* l. c. 235s.
[25] Cf. praesertim infra p. 618ss.; 624–630.
[26] Vide infra p. 615ss.
[27] Vide infra p. 684ss.
[28] Cf. *A. v. Druffel*, Briefe und Akten zur Geschichte d. 16. Jahrh. I, München 1873, XI s.; 341ss. 383s. etc.

Digitized by Google

archivi taeniolas photographicas (quae vulgo *microfilmi* dici solent) mecum commutantes facultatem mihi dederunt omnia inspiciendi, quae hi tres codices continent. Inter ea praeter permultas epistolas et Acta, quorum nonnulla in ultimam huius voluminis partem inserere visum est[29], fragmentum relationis sine auctoris nomine scriptae de disputationibus theologorum concilii circa articulos de missa et ordine mense Decembri anni 1551 Tridenti habitis inveni, quod cum accuratius exquirerem, primam partem relationum quarundam esse cognovi[30], quae a duobus theologis Wirtembergensibus, videlicet Iacobo Beurlin et Iodoco Neuheller, conscriptae nunc Gottingae exstant.

In codicis enim *theol. 162* bibliothecae Universitatis Gottingensis fol. 355r–378r et 389r ad 414r relationes quaedam sine nomine auctoris inveniuntur, quae in Indice codicum manuscriptorum huius bibliothecae *Disputationen auf dem Concil über Messe und Priesterweihe vom 14. 17. 10. 11. 12. 9. 10. Dec. 1551* et *Disputationen über die Messe vom 8. 19. 22. 23. 29. Dec. 1551* appellantur[31]. Omnes eadem manu librarii cuiusdam scriptae sunt, qui, cum parum peritus litterarum esset, earum auctor procul dubio non fuit. E ratione res gestas describendi adhibita auctores in congregationibus theologorum concilii mense Decembri anni 1551 convocatis praesentes affuisse eosque doctrina theologica instructos, non catholicae vero, sed protestanticae confessioni deditos fuisse apparet[32]. Mense autem Decembri anni 1551 duo tantum theologi Lutherani Tridenti aderant, qui a Christophoro, duce Wirtembergensi, ad concilium missi et expressis verbis ita instructi erant, ut neve publice neve privatim disputationem cum quoquam ingrederentur, sed domi versantes quietos se gererent, neve in itinere neve Tridenti detegerent se theologos Lutheranos esse, disputationibus tamen publicis perattente audituri interessent. Qui die 16. Novembris anni 1551 a Christophoro duce legati die 28. Novembris Tridentum advenerant. Die 13. Ianuarii anni 1552 clandestino domum redituri Tridento profecti sunt. Sleidanus litteris die 22. Decembris ad senatum Argentoratensem datis scripsit eos, qui essent, dissimulantes quotidie congregationes theologorum adisse ac summo studio, quae noscenda viderentur, ex eisdem congessisse[33]. Neminem igitur illarum relationum auctorem fuisse nisi hos duos theologos perspicuum est.

Annotationes ab eis manu propria scriptae nescio quo modo amissae sunt. Eo maioris pretii sunt exemplaria Gottingae forte fortuna conservata, quae mense Ianuario anni 1552 a Leonhardo Badhorn, oratore Mauritii ducis Saxoniae, Tridento Norimbergam missa[34] et postea cum rebus a Philippo Melanchthone relictis in bibliothecam Gottingensem delata sunt. Etsi illi theologi Wirtembergenses non integram expositionem omnium votorum de missa et ordine datorum memoriae tradiderunt, tamen excerpta ex non minus quam 28 votis theologorum concilii litteris custodiverunt. Votorum a ceteris 13 theologis mense Decembri anni 1551 Tridenti datorum neque in codice Dresdensi neque in Gottingensi mentio fit. Exemplaria, quae relationes duorum Wirtembergensium de eis continebant, fortasse perierunt, quia bibliothecis servanda non tradebantur, aut illorum relationes partim descriptae non sunt[35]. Quia ambo Wirtembergenses spectantes et audientes aderant, dum illi 28 theologi concilii loquuntur, eorum commentarii cum protocollis Massarelli, secretarii concilii, comparandi et certe haud spernendi sunt, praesertim cum non solum e contraria parte de iis, quae audissent, iudicarent, sed etiam nonnulla litteris mandarent, quae Massarello commemoratione non digna viderentur[36]. Quapropter hae relationes integrae in hoc volumen recipiendae erant, ita videlicet, ut fragmentum in codice archivi Dresdensis inventum, quod relationem de votis duorum theologorum Societatis Iesu Iacobi Lainez et Alphonsi Salmeron die 7. Decembris anni 1551 datis in codice Gottingensi desideratam memoriae prodidit et ceteras partes modo nobis valde exoptato supplet, illis anteponeretur[37].

In bibliotheca egregia monasterii S. Laurentii intra domum regiam *Escorial* non procul a Madrito sitam duo monumenta rara asservantur, videlicet Petri Ponce de Leon, episcopi Civitatensis (*Ciudad Rodrigo*), *Protestatio, ne concilium a reformatione abusuum desistat*, dicta in congregatione generali die 24. Aprilis anni 1552 habita, et instrumentum Bartholomaei de

[29] Dresdae, Arch. rei publ., *1 B 10324, Trientisch conc. 3*, 220r ss. Vide infra p. 715ss.; 725ss.; 729ss.

[30] Vide infra p. 530ss. *Th. Freudenberger*, Berichte protestantischer Theologen von den Beratungen der Trienter Konzilstheologen über Meßopfer und Priesterweihe im Dezember 1551, in: Annuarium historiae conciliorum VI (1974) 352–368.

[31] Verzeichnis der Handschriften im Preussischen Staate I 2: Göttingen 2, Berlin 1893, p. 391–396.

[32] Vide infra p. 546, 6: Iodocus Ravesteyn (die 11. Dec. 1551) *ad probandum missam esse sacrificium reicit nostrorum definitionem testamenti*. Cf. *Th. Freudenberger*, Berichte l. c. 357.

[33] Sleidanus ad tredecim senatores (die 22. Dec. 1551): „Die zween gelerten, so er [Christophorus, dux Virtembergensis] hieher gesandt, halten sich still, gohnt täglich in die disputation, hören zu und verzeichnen, was sie können", *H. Baumgarten*, Sleidans Briefwechsel, Straßburg 1881, 192. De duobus theologis Virtembergensibus cf. *Th. Freudenberger* l. c. 353s. 360.

[34] Cf. *Th. Freudenberger* l. c. 355s.

[35] Cf. ibid. 364.

[36] Cf. ibid. 364s.

[37] Vide infra p. 530–582, n. 17 a.

Digitized by Google

Vilches notarii de *schedula contradictionis* episcoporum Hispanorum contra decretum suspensionis concilii in sessione sexta habita die 28. Aprilis anni 1552 ab archiepiscopo Turritano *(Sassari)* ex scripto recitata (cod. *& II 8*, 127^{r} et 128^{r})[38]. Administratores huius bibliothecae precibus meis comiter obsecuti mihi imagines lucis ope expressas promptas expositasque praebuerunt.

Monachii *(München)* in archivo ordinariatus archiepiscopalis in codice *B 563* exstant *Acta posteriora concilii Tridentini a prima Maii anni 1551 usque ad 28. Aprilis anni 1552 sub Iulio III summo pontifice* a Simone Hunger secretario scripta[39]. Maiorem huius codicis partem exemplaria Actorum sessionum concilii occupant, quae omnia fere in volumine priore (id est Conc. Trid. VII, I) edita inveniuntur. Ad hoc secundum volumen nonnisi exemplar formae brevioris sententiae super articulis de eucharistia pertinet, quam Fridericus Nausea in congregatione die 21. Septembris anni 1552 habita recitavit[40].

Quanti vota Nauseae Tridenti dicta suo tempore aestimata sint, codice *Clm 11053* saeculo XVI scripto bibliothecae rei publicae Monacensis (olim ecclesiae Pataviensis) demonstratur, in quo non minus quam octo exemplaria votorum eiusdem coniuncta sunt[41]. Hic codex autem minoris pretii est quam codex *gener. 40* bibliothecae civitatis Schaffhusiae, qui quondam cum rebus ab ipso Friderico Nausea relictis Constantiam delatus (vide quae paulo inferius de eo commemoravi) praeter multas alias res eadem octo vota Nauseae continet.

Romae in bibliotheca Vallicelliana asservantur duo codices, qui idem votum originale Bartholomaei Carranzae OP de sacrificio missae continent: cod. *K 39* in fol. 70^{r}–85^{r} sub hoc titulo: *ARTICVLVS DE SACRIFICIO Missae examinatus Tridenti in generali congregatione patrum anno Domini 1552* [potius die 29. Dec. a. 1551] *per Fr. Bartholomaeum Carrançam de Miranda praesidente Ill*^{mo} *card. Marcello Crescentio, S. Sedis Apost. legato*, exemplar a librario quodam scriptum, sed ab ipso auctore sic subscriptum: *fr. B[artholomaeus] Toletanus*. Idem votum eiusdem tituli continet cod. *K 41* in fol. 48^{r}–61^{r}, exemplar ab altero quodam librario scriptum, sed ab ipso Bartholomaeo Carranza manu propria subscriptum: *fr. B[artholomaeus] Toletanus*. Quia tribus in locis sessionum concilii anno 1562 habitarum mentio fit[42], utrumque exemplar non ante illum annum confectum esse patet. Uterque librarius praeterea non voto autographo Carranzae anno 1551 scripto usus est, sed forma quadam voti interim aucta. Carranza die 10. Decembris anni 1557 ad cathedram archiepiscopalem Toletanam promotus, sed postea in suspicionem haereseos vocatus, ab inquisitione Hispana die 22. Augusti anni 1559 in custodiam Vallisoletanam coniectus erat. Causa a Pio V sibi vindicata die 28. Maii anni 1567 Romam pervenit, ubi ineunte mense Iunio anni 1567 tribunal papae omnium Carranzae operum disquisitionem facere coepit. Utrumque ergo voti de sacrificio missae exemplar ad iudicium relatum ideoque non ante aestatem anni 1567 in ultimam formam redactum et transscriptum esse videtur[43].

Uberrimam votorum Friderici Nauseae copiam continet codex *gener.* 40 bibliothecae civitatis Schaffhusiae, quem iam anno 1887 J. G. Mayer descripsit[44]. Administratores huius bibliothecae, qui precibus meis officiosa voluntate obsecuti librum pretiosissimum bis Wirceburgum mittentes mihi concesserunt, ut eum hic iterum accuratius perscrutarer, plurimum me obligaverunt. In hoc codice, qui 414 folia complectitur, non minus quam 185 Acta et libelli typis descripti inveniuntur. Maior pars Actorum huius collectionis, quam quondam Fridericus Nausea, episcopus Viennensis, possedit, ad illum ipsum attinet. Inter ea imprimis epistolae sunt, quas inde a mense Septembri anni 1550 usque ad mortem (qua 6. die Februarii anni 1552 repente Tridenti absumptus est) acceperat, et una responsiones eius formatae vel transscriptae, praeterea exemplaria vel primae formae sententiarum ab eo in concilio dictarum.

Manus propria Friderici Nauseae in hoc codice raro occurrit. Formam tantum brevem sententiae de articulis eucharistiae in congregatione Patrum die 21. Septembris anni 1551 dictae ipse in chartam coniecit, nonnumquam canones a deputatis formatos notis in margine manu sua additis emendavit, interdum menda librarii ex exemplaribus sententiarum penna sua sustulit[45]. Cetera vota eius et plurima exemplaria Actorum in illo volumine coniuncta manu Caspari

[38] Vide infra p. 697–699.

[39] De hoc codice cf. *H. Pöhlein*, Wolfgang Seidel 1492–1562 (Münchener Theol. Studien, Hist. Abt. II, München 1951) 116, adn. 32. W. Seidel die 12. Ianuarii anni 1552 Tridentum advenit, ubi usque ad mensem Aprilem exeuntem permansit. Sessioni sextae die 18. Apr. habitae aderat, ibid. 116. 121.

[40] Monachii, Arch. ordin. archiepisc., cod. *B 563*, 27^{r}–28^{r}; vide infra p. 155–156 sub litt. A. W. Seidel hoc exemplar et Acta sessionum I–IV sibi comparavisse videtur, paulo postquam Tridentum pervenit.

[41] Vide infra p. 154–171; 215–218; 227–228; 234s.; 288–299; 330–333; 341; 588–598. De codice *Clm. 11053* cf. Catalogum codd. latinorum bibliothecae regiae Monacensis, II, II (Monachii 1876) 5.

[42] Vide infra p. 526, 30s. cum adn. 301 (sess. XVII die 18. Ian. 1562 hab.); p. 528, 20s. cum adn. 328 et p. 530, 2s. cum adn. 348 (sess. XXII die 17. Sept. 1562 hab.).

[43] Cf. infra p. 510, adn. 1. Ultimam voti formam vide infra p. 510–530.

[44] *J. G. Mayer*, Bischof Friedrich Nausea von Wien auf dem Konzil von Trient, in: HJG VIII (1887) 1ss.

[45] Vide infra p. 154s.; 227s.; 287s.; 682ss.

Digitized by Google

Hervagii, secretarii eius, transscripta sunt, quem ab Ioanne Oporino, typographo Basileensi, commendatum sibi assumpserat. Postquam Fridericus Nausea obiit, Christophorus Metzler, episcopus Constantiensis, Hervagium amanuensem sibi ascivit, a quo ille codex sine dubio Tridento Constantiam deportatus est. Anno 1644 nescio quo modo in possessionem codicis doctor quidam medicinae, nomine Screta, advena e Bohemia, pervenit, cuius heredes Henricus et Ludovicus Screta Schotnovius a Zavorziz die 26. Iulii anni 1688 eum bibliothecae civitatis Schaffhusiae dono dederunt.

P. Mauritius Hohenbaum van der Meer OSB., Rhenoviensis *(Rheinau)* monasterii prior, eundem codicem post medium saeculum XVIII transscribendum curavit et exemplar confectum Aloysio Valenti Gonzagae, archiepiscopo Caesariensi, nuntio apostolico apud Helvetios, tradidit, quod anno 1768 Romam missum etiam nunc sub titulo: *Acta R*mi *D. Friderici Nauseae Blancicampiani, episcopi Viennensis, . . . in concilio Tridentino* in codice *Conc. 106* archivi Vaticani exstat[46]. Ex eodem exemplari Walter Friedensburg complures Nauseae litteras edidit[47].

Nos eiusdem sententias, censuras, adnotationes e codice Schaffhusiano *gener. 40*, qui eius autographa vel exemplaria sub ipsius Nauseae oculis ab Hervagio amanuensi scripta continet, sumpsimus collatis exemplaribus alibi (Caroliruhae, Gottingae, Monachii, in codicibus *Conc. 18* et *Conc. 106* archivi Vaticani) conservatis[48].

Denique in hoc volumen nonnulla vota theologorum et imprimis sententias archiepiscoporum Adolphi de Schaumburg Coloniensis et Sebastiani de Heusenstamm Maguntini electorum recepi, quae Wirceburgi in archivo rei publicae (*Miscell. 3169 I* et *Mainzer Urk.*, *Geistl. Schr.*, *L. 19, fasc. 1* et *3*) asservantur[49].

III. De Actis miscellaneis in hoc volumen receptis

Consilio rationeque nihil nisi Acta ab ipso Massarello conscripta volumini priori inserendi Ioachimus Birkner coactus erat omnia, quae Massarellus, concilii secretarius, omiserat, ipse quoque praetermittere, inter ea etiam monumenta quaedam, litteras, instructiones principum, quae ad progressum concilii haud levis momenti erant. Itaque necessarium esse mihi videbatur nonnulla eorum Actorum maioris saltem ponderis hic adiungere, quoad per angustias paginarum, quae restabant, liceret.

Inter ea imprimis Iulii III papae bulla *novae monitionis et requisitionis poenalis* (inc. *Licet nos*, die 27. Augusti anni 1551 data) recipienda erat, cuius exemplar typis descriptum bibliotheca ducis Augusti Guelferbytana *(Wolfenbüttel)* possidet. Exemplaria eiusdem bullae manu transscripta etiam Ratisbonae in archivo episcopali centrali et Wirceburgi in archivo rei publicae inveniuntur[1].

Eiusdem papae litteras, quibus Helvetios *tredecim cantonum ligae* itemque episcopum Sedunensem et Diethelmum, abbatem monasterii S. Galli, ad concilium invitavit, a *Raynaldo* et *Le Plat* non integras editas ex exemplaribus in archivo Sangallensi reconditis collata prima earum forma *(minuta)*, quae in archivo Vaticano asservatur, excepi[2].

Caroli V imperatoris instructionem Hugoni comiti a Montfort oratori mittendam in codice *theol. 176 I* bibliothecae Universitatis Gottingensis inter litteras e tabulario curiae Caesaris provenientes inveni, instructionem Ferdinandi, regis Romanorum, pro oratoribus ad concilium mittendis e collectione epistolarum et sententiarum Friderici Nauseae ab Hervagio amanuensi transscriptarum, quae nunc Schaffhusiae in codice *gener. 40* bibliothecae civitatis exstat, variis lectionibus primae formae Vindobonae asservatae additis prompsi[3].

Mauritii ducis Saxoniae electoris instructio amplissima, quam oratores eius Tridenti anxia cura observabant, ex archivo rei publicae Dresdensi afferri poterat[4].

Henricum II, regem Galliae, non solum Tridenti in sessione secunda die 1. Septembris anni 1551 habita litteras protestationis per Iacobum Amiot nuntium recitandas curavisse, sed

[46] Cf. Conc. Trid. I, p. CXXIII, 1ss. *J. G. Mayer* l. c. 1s. Eiusdem exemplaris in indice operum P. Mauritii Hohenbaum manuscriptorum (sub titulo: *Brevis historia concilii Tridentini ex actis R*mi *D. D. Friderici Nauseae Blancicampiani . . . ex originali manuscripto codice. Item elenchus horum actorum fol., 1767*) mentionem fecit *J. G. Mayer*, Leben und Schriften des P. Moriz Hohenbaum van der Meer, in: Freiburger Diöz.-Archiv XI (1877) 27, n. 51.

[47] *W. Friedensburg*, Beiträge zum Briefwechsel der kath. Gelehrten Deutschlands im Reformationszeitalter VII. Friedrich Nausea, in: Zeitschr. für Kirchengesch. XX (1900) 500ss.; XXI (1901) 547ss.

[48] Vide infra p. 154ss.; 215s.; 227s.; 234s.; 287ss.; 330ss.; 588ss.; 682ss. et tabulam codicum.

[49] Vide infra p. 146ss.; 280ss.; 325ss. et tabulam codicum, infra p. 746.

[1] Vide infra p. 708ss.

[2] Vide infra p. 703s., n. 1–2.

[3] Vide infra p. 705ss., n. 3–4.

[4] Vide infra p. 715ss., n. 9. Cf. *Th. Freudenberger*, Papst und Konzil in der Kirchenpolitik des Kurfürsten Moritz v. Sachsen, in: *G. Schwaiger*, Konzil und Papst (Festgabe f. *H. Tüchle*), Paderborn 1975, 319ss.

Digitized by Google

etiam secretarium, nomine *Boucher*, iussisse Romae protestationem similem papae et collegio cardinalium tradere (quod mandatum ille in consistorio die 9. Septembris habito persecutus est) parum animadversum est. Exemplaria illius protestationis Romae repetitae in archivis Bruxellensi et Dusseldorpensi atque in bibliotheca ducis Augusti Guelferbytana inveniuntur. Quia eius verba compluribus in locis a *Scriptura lecta a nuntio regis Gallorum in sessione secunda Tridentina* discrepant, non alienum esse existimabam illam protestationem Romae papae praesentatam huic volumini inserere[5].

Henricus II rex in ea denuntiat se neminem e Gallis ad concilium missurum, immo nihil eorum probaturum esse, quae illic constituerentur. Die 19. Octobris anni 1551 etiam Helvetiae foederatos per litteras admonuit, ne legatos Tridentum mitterent, quarum litterarum nonnisi versio Germanica Tiguri *(Zürich)* in archivo rei publicae exstat[6]. Textum originalem sine dubio lingua Francogallica scriptum frustra quaesivi.

Quia Ioannes Sleidanus oratores tantum Caesaris salutandi causa adiit, non autem cardinalem Crescentium legatum, litterae publicae, quas senatus civitatis Argentoratensis ei dederat, in manus Massarelli non pervenerunt ideoque ab eo in protocollum receptae non sunt. Sed Carolus de Langhe, secretarius legationis Germaniae Inferioris, vir strenuus et circumspectus, exemplar illius mandati sibi comparavit et textum eius integrum in collectione Actorum *Rapport* inscripta memoriae prodidit. Ab eodem etiam illa duo mandati Argentoratensis exemplaria, quae nunc in archivo Bruxellensi asservantur, acquisita esse videntur[7].

Cum oratores Wirtembergenses *mandatum procuratorium* Christophori ducis Tubingae die 21. Septembris anni 1551 datum in congregatione generali die 24. Ianuarii anni 1552 habita Patribus concilii praesentarent[8], ambo oratores Saxones eodem die mandatum a Mauritio Saxoniae duce die 1. Ianuarii anni 1552 expeditum proponere non potuerunt, quia id una cum litteris die 31. Ianuarii demum datis ad eos missum est[9]. Eadem de causa Massarello illud mandatum in notitiam non venit. Cum autem exemplaria eiusdem mandati et Dresdae et Vindobonae asserventur, illud huic volumini inseri potuit[10].

Postquam duo oratores Saxones die 7. Ianuarii anni 1552 Tridentum pervenerunt, iussu Mauritii ducis statim oratoribus Caroli V Caesaris nuntiaverunt se advenisse, a quibus die 10. Ianuarii ad colloquium admissi sunt. Oratione longa coram illis oratoribus omnia exposuerunt, quae secundum instructionem a Mauritio electore datam commemoranda et in medium proferenda erant. Haec oratio acutissime excogitata litteris mandata erat et in fine colloquii oratoribus Caesaris tradita est. Wolfgangus Koller et Leonhardus Badhorn, oratores Saxones, exemplar eiusdem Dresdam miserunt, ubi adhuc exstat, alterum exemplar litteris ad Philippum Melanchthonem Norimbergam missis addiderunt, quod cum epistolis et scriptis ab eodem relictis in codice *theol. 162* bibliothecae Universitatis Gottingensis coniunctum est. Quae oratio, quia testimonium grave est consiliorum Mauritii ducis ad religionem et concilium spectantium, infra in lucem edenda erat[11].

Wolfgangus Koller et Leonhardus Badhorn praesertim apud oratores Caesaris impetrare iussi erant, ut salvus conductus a concilio antea Protestantibus datus secundum formam olim Bohemis a concilio Basileensi concessam mutaretur et dilataretur. Itaque notulam salvi conductus ab illis oratoribus compositam, ad quam Saxones in margine multis in locis additamenta quaedam a se requisita adiunxerant, nunc Dresdae asservatam infra apponendam esse putavi[12].

Antequam oratores Wirtembergenses mense Aprili anni 1552 Tridento discesserunt, cum oratoribus Caesaris convenerant, qui petebant, ut causas discessus in scriptis referrent. Quorum voluntati obsequentes Wirtembergenses declarationem desideratam conceperunt eisque exhibuerunt, cuius vero ultima pars ab oratoribus Caesaris reprobata est. Quamobrem in duobus exemplaribus illius declarationis a Carolo de Langhe secretario transscriptis, quae nunc Bruxellis et Vindobonae exstant, ea pars deest. Attamen eam e libello inscripto *Syntagma* (Basileae 1552, pag. 78s.) sumptam restitui[13].

Cetera monumenta praeparatoria, mandata, instructiones episcoporum et principum permultaque alia Acta miscellanea annis praeteritis a me collecta huic volumini, ne numerus paginarum nimis augeretur, inseri non potuerunt, qua de re eo usque reponenda erant, donec in tertio volumine coniuncta — si Deo placuerit — emittentur.

[5] Vide infra p. 710ss., n. 6. Cf. Conc. Trid. VII, I 101ss. [6] Vide infra p. 712s., n. 7.
[7] Vide infra p. 714s., n. 8.
[8] Cf. Conc. Trid. VII, I 467, 33ss. *Th. Freudenberger* l. c. 331.
[9] Vide infra p. 724, adn. 1.
[10] Vide infra p. 724, n. 10.
[11] Vide infra p. 725ss. Cf. *Th. Freudenberger* l. c. 322.
[12] Vide infra p. 729ss.
[13] Vide infra p. 732s., n. 13.

Digitized by Google

Numeros appendicis discrepantes sic corrigas

Acta *appendicis*, quae in adnotationibus tomi septimi voluminis prioris indicantur, in hoc volumine locis infra notatis reperies.

Conc. Trid. VII, I		Conc. Trid. VII, II
p. 67, adn. 2: App. I, n. 10	P. Passota, Oratio	p. 3–5 = I, n. 1
p. 82, adn. 1: App. I, n. 8	Crescentius, Litterae	sequentur in vol. III
p. 98, adn. 4: App. I, n. 14	Ferdinandus I, Instructio	p. 706–708 = VI, n. 4
App. I, n. 16	Fr. Nausea, De modo procedendi	p. 693–694 = V, n. 1
p. 295, adn. 1: App. III, n. 7	Zagrabiensis et Viennensis episc.	p. 287–299 = III, n. 9
p. 299, adn. 8: App. III, n. 8	Feltrensis episc.	p. 300–310 = III, n. 10
p. 316, adn. 14: App. I, n. 5	Constantiensis episc., Litterae	sequentur in vol. III
App. I, n. 11	Crescentius, Litterae	sequentur ibidem
p. 320, adn. 9: App. III, n. 9	Chr. Patavinus, Sententia	p. 314–324 = III, n. 12
p. 328, adn. 1: App. III, n. 10	Fr. Nausea, Sententiae	p. 330–333 = III, n. 15
p. 338, adn. 2: App. III, n. 11	Fr. Nausea, Sententia	p. 341 = III, n. 19
p. 386, adn. 6: App. IV, n. 1	R. Tapper, Iudicium	p. 370–379 = IV, n. 2
p. 395, adn. 1: App. IV, n. 2	Io. Orthega, Responsio	p. 379–395 = IV, n. 3
p. 395, adn. 4: App. IV, n. 3	Fr. Sonnius, Sententia	p. 395–407 = IV, n. 4
p. 397, adn. 1: App. IV, n. 4	Iod. Ravesteyn, Sententia	p. 408–414 = IV, n. 5
p. 399, adn. 14: App. IV, n. 5	Io. Mahusius, Sententia	p. 415–427 = IV, n. 6
p. 401, adn. 1: App. IV, n. 6	Rog. Iuvenis, Sententia	p. 428–433 = IV, n. 7
p. 402, adn. 4: App. IV, n. 7	Alex. Candidus, Sententia	p. 433–442 = IV, n. 8
p. 405, adn. 2: App. IV, n. 8	Io. Gropper, Sententia	p. 442–447 = IV, n. 8a
p. 427, adn. 2: App. IV, n. 31	Io. Ant. Delphinus, Censura	p. 688–689 = IV, n. 35
p. 544 ad p. 294, adn. 1: App. III, n. 11	Archiep. Maguntinus	p. 283–286 = III, n. 8
ad p. 294, adn. 7: App. III, n. 12	Archiep. Coloniensis	p. 280–282 = III, n. 7
ad p. 327, 18: App. III, n. 14	Archiep. Maguntinus	p. 325–327 = III, n. 13
ad p. 327, 20: App. III, n. 13	Archiep. Coloniensis	p. 327–330 = III, n. 14
ad p. 335, 5: App. III, n. 15	Archiep. Maguntinus	p. 334–338 = III, n. 16

Digitized by Google

I.

ORATIONES
PRAESENTIBUS PATRIBUS CONCILII HABITAE

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Paulus Passota, sacrae theologiae professor
Oratio apud Ill^{mum} cardinalem Crescentium
in concilio Tridentino legatum
plena episcoporum concione habita[1]

[Die 28. Iunii 1551]

Cuperem, Patres conscripti, me huiusmodi apud vos orationem habere, quae et mihi dicenti benevolentiam, vobis audientibus spem et laeticiam conciliaret. Venetiis 1551 a^{r} Cum multos per annos oecumenicum hoc Tridenti concilium (eo quia diversi diversa sentirent) ad suum scopum provehi[a], nedum promoveri perducique poterat, fortasse quispiam apud vos nec per se concipere nec ullam ab aliis spem mutuari potest, ut aliquando (ut est totius christianae rei publicae votum) in suum finem tempestive provehatur. Sed si ad supremi artificis ordinem cuncta sub *numero, pondere et mensura*[2] dimetientis respexerimus, ad optatum proventum propriumque signum propediem emersurum (et quod non poterit aliter contingere) facile demonstrabitur. Ita singulorum universorumque partes concinne coaptavit numerisque quibusdam sibi ipsas concordes consonasque reddidit, ut futurum dissidium inter has nunquam vereri possimus. Et licet in huiusmodi demonstratione plura contingant, tamen pro mea penuria et tenuitate *in gazophilacium* Domini aliquid *mittere*[3] conabor.

Ipse etenim, qui hanc mundi machinam fabricatus est, ab eo ipso universi primordio numerum binarium utraque primitate primum creationum consecravit. Ex duobus, inquam, principiis mundi originem constituens coelo primam generationis praerogativam, terrae vero secundam tribuit, uti Moses *principio Deum coelum et terram* fecisse[3a] insinuans quaeque mediam horum regionem explent, comprehensim significavit. Quemadmodum verum est, quaecunque hoc mundi stadio continentur, summi pontificis et Cesaris potestati subiecta esse non ambigimus. Non tantum a coeli et terrae fabricatione numeri dualis incoepit consecratio, verum etiam nec satis superque fuerat Deum optimum maximum Adam fecisse, nisi *adiutorium simile sibi*[4] condonaret. Unitas in sua quidem natura sterilis est, cum non sit numerus nec foecunditatem in se recipiat. Individui species nec producere nec conservare poterat. Humani igitur generis propagationem a duobus oportuit emanare. Hinc relationum nexus; nam si pater est, filius est; si dominus, servus est; alterum sine altero rerum natura non patitur. A numero inde binario relationum ratio proficiscitur, mundus expletur, natura ipsa perficitur. Aeque inter quaerentes, an res sit et quid sit, numerus binarius cunctas absolvit quaestiones, habitis, quia est et propter quid est. *Fecit* quoque *Deus duo luminaria*, unum *diei*, alterum *nocti* praesidens[5]. Ex duobus, videlicet corpore et anima, hominem fingens, oculis auribusque duabus, brachio femoreque duplici decoravit. *Duo*, alterum in Deum, alterum in proximum, sancivit *mandata*, unde *tota lex*

[a] *editio princeps, Ven. Lov.* proveheri

[1] De hac oratione Massarellus neque in Diario VI neque in Actis mentionem fecit; cf. Conc. Trid. II 238, 11s.; VII, I 67 adn. 2. Typis exscripta est separatim sine l. et a. [Venetiis, paulo post 28. Iun. 1551, ut videtur], quam editionem principem (exstat in Bibl. Vat., *Raccolta I, IV, 1688*, n. 13) secuti sumus. Legitur etiam in Actorum concilii Tridentini collectionibus Veneta (*Generale concilium Tridentinum continens omnia, quae ab initio usque ad finem in eo gesta sunt*, Venetiis, *Ad signum Spei*, 1552, f. F^{r-v}; cf. *G. Calenzio*, Documenti inediti e nuovi lavori letterarii sul concilio di Trento, Roma 1874, 529) et Lovaniensi (*Concilium Tridentinum, hoc est Canones et decreta sacros. oecum. et gener. concilii Tridentini...*, Lovanii, apud Petrum Zangrium Tiletanum sub Fonte, 1567, p. 80–82), praeterea in collectionibus conciliorum *Labbe-Cossart* XIV, Parisiis 1672, 1086–1088. *Mansi* XXXIII 362 A-364 D, denique apud *Le Plat* I 166–169.

[2] Sap. 11, 21.

[3] Cf. Marc. 12, 43; Luc. 21, 1.

[3a] Gen. 1, 1.

[4] Gen. 2, 18.

[5] Gen. 1, 16.

Digitized by Google

pendet et prophetae[6]. *Duas Mosi tabulas digito* suo protulit *scriptas*[7]. Duo condidit testamenta duosque sibi ascivit populos. Proh Dei fidem! Quid aliud est, si in hoc numero duali admirabile sacramentum abditum non est? Vide Dominum inter duo animalia vagientem[8], inter *duos latrones* in cruce pendentem[9], inter *duos discipulos in Emmaum* euntes *scripturam interpretantem*[10]. Duas *claves* tradidit Petro[11], eiusdem Petri manibus *duo* effulsere *gladii*[12], quos pro Christi defensione se habere professus est. Ad coelos demum, unde venerat, revertenti *duo* sibi *astitere viri*[13]. Et haec omnia consequentiae gratia sunt secuta cum duarum partium disparium, divinae naturae scilicet et humanae, una hypostasi in se | 4v ipso supra hominis captum operatus esset admirabilem iuncturam.

Ex hoc, inquam, Patres conscripti, numerorum utraque primitate primo et sacrorum sacerrimo, mei proloquii argumentum sum auspicatus. Si apud nos ipsos intelligentiam nostram expendamus, non casu, non fortuna, at potius necessario Dei omnipotentis dispositione duos principes supremos, videlicet pontificem maximum et Caesarem supreme imperantem sibi mundus elegit, a quibus divina et humana proficiscerentur et ad eosdem redirent. Id Christum satis ratum habuisse intelleximus, cum *quae Caesaris Caesari et quae Dei Deo reddenda* esse[14] (Iudeis efflagitantibus, utrum *Caesari* pendendus esset *census*[15]) declaravit. Hi mundo imperant, regibus, principibus et populis decreta statuunt, superbos domant, humiles erigunt, nutantes in ecclesia et dubios in fide corroborant. Et nisi sibi ipsi cohaereant, concordent consonentque, quae media sunt inter fines istorum, omnino in deterius caderent, nedum consistere[a] non possent. Nisi coelum generationi faveret, terra non produceret suo species correspondentes generi. *Diebus Heliae clausum est coelum annis tribus et mensibus sex*[16] et fames pervaluit maxima ubique gentium eo, quia coelum terrae infensum nec rorem nec pluviam dabat. Vae, vae nobis, inquam, Patres conscripti, vel hoc maxime tempore, nisi principes isti in ecclesia vigerent[b] seque mutuo respicerent, pontifex videlicet beatissimus, qui Deum pro eius ecclesia suis precibus indesinenter interpellat, et imperator invictissimus, qui eandem fovet armisque validissime instans praesensque tuetur, quaecunque hoc sub coelo patent, pessumdarent et in praeceps abirent. Cum aliquando inter hos efferbuit dissidium, undique ortae calamitates, undique effusae sunt tenebrae, fidei splendor haereticorum nube suffusus minime potuit ad pristinum suum revocari candorem. Caveant qui *Christum induunt*[17]. Caveant eius diffindere[c] vestem; est enim ecclesia *tunica* Christi *inconsutilis* ex integro *texta*[18], a militibus conservata indiffissa[d], ita perpetuo conservanda. Si summus pontifex et imperator idem velint idemque sapiant, se ipsi servabunt et, quae intra ipsos sunt, multo melius conservabuntur. Isti sunt *duo Cherubin*, quos praecepit Dominus Mosi, ut *aureos et productiles faceret utraque parte oraculi*, ut *Cherubin unus esset in latere uno*, *alter in altero*, *utrunque latus propitiatorii tegentes*, *expandentes alas et operientes oraculum respicerentque se mutuo versis vultibus in propitiatorium*[19], id est in Christi ecclesiam militantem ab ipsis fovendam, gubernandam et tuendam. Ab eisdem ipsis concordibus cunctae res pacis et belli foeliciter administrabuntur[e], praesto scilicet futuro alterutro, quocunque usus vocaverit.

Tandem his ultimam manum imponam inque mei sermonis scopum intuendo non progrediar in infinitum. Isti quidem sunt, quos sibi mundus elegit, ut christianae rei publicae preficerentur, scilicet Carolus V per multos annos summe imperans et Iulius III hos paucos ante dies dignissime ad sanctissimi Petri apicem assumptus[20], qui veluti eiusdem duo beatissimi Petri gladii ad usque nostra tempora servati Christi, servatoris nostri, et ecclesiae eius honorem protegerent augerentque. Et sunt *duae columnae in porticu* Salomonis erectae[21] et *duae olivae duoque candelabra in conspectu Domini terrae stantes. Et si quis voluerit eis nocere*, *ignis exiet de ore eorum et devorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit eos laedere*, *sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem*

[a] *ed. pr.*, *Ven.* consisteret [b] *ibid.* vigerens [c] *Mansi Le Pl.* discindere
[d] *ibid.* indiscissa, *Lov.* indiscisa [e] *ed. pr.*, *Ven.* administrabunt

[6] Matth. 22, 40.
[7] Exod. 31, 18; 32, 15.
[8] Cf. Hab. 3, 2 (sec. LXX). *Ps.-Matthaeus*, Evang. c. 14 (Evang. apocrypha, ed. *Tischendorf* [2]1876, 80. *E. Hennecke-W. Schneemelcher*, Neutest. Apokryphen I (Tübingen [3]1959) 306. *H. Leclercq*, L'âne de la nativité de Iésus-Chr., in: Dict. d'arch. chrét. I, II 2047ss. *J. Ziegler*, Ochs und Esel an der Krippe. Bibl.-patr. Erwägungen zu Is. 1, 3 u. Hab. 3, 2 (LXX), in: Münchener theol. Ztschr. III (1952) 385ss.
[9] Cf. Matth. 27, 38; Marc. 15, 27; Luc. 23, 39.
[10] Luc. 24, 13. 27.
[11] Matth. 16, 19.
[12] Luc. 22, 38; cf. Matth. 26, 51s. *Bonifatius VIII*, bulla *Unam sanctam* (18. Nov. 1302). Cf. *Denzinger-Schönmetzer*, Enchiridion symbolorum, Friburgi [34]1967, n. 873.
[13] Act. 1, 10.
[14] Matth. 22, 21; Marc. 12, 17; Luc. 20, 25.
[15] Matth. 22, 17.
[16] Luc. 4, 25; cf. 3 Reg. 17, 1. 7; Iac. 5, 17.
[17] Rom. 13, 14; Gal. 3, 27.
[18] Io. 19, 23s. *Bonifatius VIII*, bulla *Unam sanctam*, *Denzinger-Schönmetzer* l. c. n. 871.
[19] Exod. 25, 18–20.
[20] Videlicet die 7. Febr. 1550, *Pastor*, Gesch. d. Päpste VI 33s.
[21] 3 Reg. 7, 21.

Digitized by Google

claudendi coelum, ne pluat, et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem et percutere terram omni plaga, quotienscunque voluerint[22]. Hi ita in Deum et eius ecclesiam sunt amoris vinculo constricti, ut eadem cupiant eademque sentiant. Quapropter quodcunque fuerit sibi placitum, optime, ut *ne quid nimis*[23], exactissime et dicto citius explebunt. Vel istis maxime temporibus hoc unum exoptant. Huic uni omnem | curam, omnem operam omnemque actionem impen- a 2r dunt, tanquam sagittarii signum intuentes (ut cunctis est meridiana luce clarius) manibus pedibusque in hanc sententiam eunt[24], qua sanctissimo hoc Tridenti concilio suum decorum assequi, astringere fideique pristinum splendorem sibi vendicare contingat.

Et quoniam hoc (ut pluribus praemonstratum est rationibus) est munus duorum sibi invicem correspondentium, totis viribus sunt a nobis orandi duo sanctissimi principes terrae, *coelorum claviger*[25] Petrus, lectionis *electionisque vas*[26] et *doctor gentium*[27] Paulus, quorum solemnia hodie prevenimus, ut, quemadmodum eorum signis et doctrina toto orbe terrarum Christi fides resplenduit et Roma, quae erat mater erroris, facta est *magistra*[28] veritatis, ita suis precibus et meritis a Domino nostro Iesu Christo exorare velint, ut hanc suae ecclesiae causam (quae eadem est totius christianae rei publicae causa) provehere dignetur et finire perpetuisque temporibus haereticorum *ora* ignito *obstruere calculo*[29]. De quorum principum vita, meritis et mutua viventium atque[a] morientium dilectione satis superque perquam R^dus^ Voxmedianus, doctor Hispanus, vestras mentes auresque benevolas crastina die lepida, rara candidaque doctrina permulcebit[30]. Nos vero (ut vestrum est omnium una sententia) eosdem beatissimos mundi patronos et lampades, quantum possumus, piis mentibus veneremur, ut, quibus mors initium vivendi[31] facta est, ita sit nobis *vitae novitatis*[32] exemplo[33].

[a] *ed. pr., Ven.* aeque

[22] Apoc. 11, 4–6; cf. Zach. 4, 3. 11.
[23] Cf. *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 6, prov. 96 (Opera II 259 E s.). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 243, n. 1229.
[24] *Erasmus* ibid. II, cent. 7, prov. 12 (l. c. 616 C).
[25] *Stephanus II*, ad duces gentis Francorum (a. 753, *Jaffé*, Reg. 2313), MG Epist. III 488, 21.
[26] Act. 9, 15. [27] 1 Tim. 2, 7.
[28] Conc. Lugdunense II (a. 1274), decr. de s. trinitate c. 1 (*Mansi* XXIV 81 C. *Denzinger-Schönmetzer* l. c. n. 850).
[29] Ps. 62, 12; Prov. 20,17; Rom. 3, 19.
[30] Orationem a Melchiore Vosmediano ad patres concilii Tridentini die 29. Iun. 1551 habitam vide Conc. Trid. VII, I 69, 14–73, 23. Cf. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento (Valladolid 1951) 804. 812s.
[31] Cf. Rom. 6, 13; 2 Cor. 4, 11; Gal. 2, 19.
[32] Cf. Rom. 6, 4.
[33] *Die s. Laurentii* [10. Augusti 1551] *in ecclesia S. Laurentii episcopus Monopolitanus* [Octavianus Praeconius, Siculus] *concionatus est* (Conc. Trid. II 241, 10), cuius oratio non exstat. — In festo assumptionis b. Mariae virg. (15. Augusti) oratio a D. Iacobo Ferrusio Hispano ad patres concilii habita est, quam vide Conc. Trid. VII, I 75, 13–81, 54. — In sessione secunda (1. Sept. 1551) oratio habita non est, Conc. Trid. II 242, 19; VII, I 89, 13. — In sessione tertia (11. Oct. 1551) Salvator Salapusius, *archiepiscopus Turritanus, orationem ornatissimam habuit*, Conc. Trid. VII, I 197, 15s., quam vide ibid. 216, 7–229, 22.
Massarellus in Actis rettulit die dominica 25. Oct. 1551 mane congregationem theologorum habitam non esse, *ut daretur commoditas interessendi divinis*, ibid. 265, 11s. Hac die Alexander Candidus OCarm. (vulgo Nicolaus Blanckaert, Gandavensis) orationem ad patres concilii habuit, qui iterum die dominica IV adventus (20. Dec.) sermonem ad synodum fecit; cf. eiusdem litteras die 27. Oct. 1551 ad Casparum Doroler OCarm., priorem monasterii Coloniensis, datas, cui haec scripsit: „Dominica quarta adventus habiturus sum orationem ad synodum, quae si successerit sicut prima, quam habui 25. Octobris, non ero inglorius, Deo gratus, et collegis meis Lovaniensibus aequari potero", Vindobonae, Bibl. nation., cod. *Palatinus 13672*, 9r. Idem Candidus eidem priori medio mense Decembri 1551 scripsit: „Et dominica IV adventus dicturus sum Deo volente ad idem concilium in ecclesia maiore", ibid. 18r. Etiam Massarellus in Actis rettulit die 20. Dec. Alexandrum Candidum OCarm. in missa consueta concilii oravisse, Conc. Trid. VII, I 420, 38s. Utraque Candidi oratio usque ad medium saeculum XVIII exstabat; cf. *I. Hartzheim*, Bibliotheca Coloniensis, Coloniae 1747, 14: „Alexander Candidus, vulgo dictus Nicolaus Blanckardt ... edidit: ... Duas orationes, quas declamavit Tridenti coram patribus concilii". Eadem fere affirmavit *Cosmas a Villiers*, Bibliotheca Carmelitana I, ed. *G. Wessels*, Romae 1927, 27: „Alexander Blanckart, alias Candidus, ... scripsit typisque mandavit: 1. Orationes duas in concilio Tridentino habitas". Accuratiorem memoriam harum orationum *Norbertus a s. Iuliana* OCarm. [alias *N. Hermans*, qui obiit Antwerpiae 5. Mart. 1757] tradidit, qui etiam themata, de quibus Candidus illis diebus egerat, enuntiare potuit in opere: Batavia desolata Carmelitana, c. 8: De conventu Carm. Ultraiectensi, § 6, n. 9: „Harum orationum a R. P. M. Alexandro Candido in concilio Tridentino habitarum prima est 25. Octobris anni 1551 habita ad Patres; titulum prae se fert: De divino sacerdotio et eius cum regia potestate collatione. Altera autem habita ad Patres dominica IV adventus anii 1551 in verba apostoli ad Gal. 1 cap.: *Si quis vobis evangelizat praeter id, quod accepistis, anathema sit.* Has duas orationes invenire poteris in collectione conciliorum tomo ultimo editionis Parisiensis", Analecta ordinis Carmelitarum VIII (Romae 1932–1937) 535. Sed in collectionibus conciliorum editis nusquam eas invenire potui. Quare tum Carmelitam quendam earum editionem praeparavisse coniciendum est, quae tamen rebus quibusdam adversis in lucem emitti non potuit. Eadem praenuntiatione *Hartzheim* et *Cosmas a Villiers* in errorem inducti esse videntur et denuo *Irenaeus Rosier OCarm.*, Biographisch & Bibliographisch Overzicht van de vroomheid in de Nederlandse Carmel, Tielt 1950, 74, qui ad utramque Candidi orationem per eundem errorem haec annotavit: *Opgenomen in de Acta conciliorum. Parisiis.* Post medium saeculum XVIII utraque oratio fortuna adversa interiisse videtur. Quamquam multas bibliothecas consultabam, vestigia harum orationum nusquam apparuerunt.

Digitized by Google

2.

Francisci Heredia, doctoris theologi eleemosynarii et concionatoris cathedralis ecclesiae Tirasonensis Oratio in solenni die omnium sanctorum ad patres habita[1]

in concilio Tridentino anno 1551 [1. Novembris]

Venetiis 1551 A^{r}

Ea est, Rev^{me} et Ill^{me} legate, Ill^{me} cardinalis ac princeps Tridentine, Gravissimi Praesides, Ill^{mi} Sacri Imperii Principes Electores, clarissimi oratores, Amplissimi Praesules Vosque, eruditissimi viri, ea, inquam, est loci huius ornatissimi maiestas, ea senatus augustissimi lux, is nos ambientis ornatissimae coronae splendor, ut et ad claritatem nihil illustrius et ad gloriam nihil honestius et ad maiestatem nihil excelsius nihilque augustius esse possit. Quo fit, ut, quum consyderem, quanta reverentia debeatur tam sacrosancto venerandoque coetui, ubi tot sunt ecclesiae cardines et principes, tot praesules, luminaria clarissima et ornamenta christiani orbis, tot doctores eruditissimi aliique doctissimi et christianissimi viri, ubi demum verba facere solent viri eruditione iuxta ac eloquentia clarissimi, non possum ego propriae indignitatis et imperitiae conscius non vereri, ne a vobis existimer imprudentior, quem rem magnam sane et arduam aggredientem ac *periculosae* (quod aiunt[2]) *aleae* nec deterreat pertractandae rei ineffabilitas, quae omnem ingenii ubertatem excedit, nec dicendi facultatem discutiat loci huius celsitudo, ubi orbis iudices sim habiturus auditores. Verum tametsi me, Patres, non lateat, et quam arduam provinciam is suscipiat, qui se unum vobis omnibus silentibus praebet audiendum, et (quod pene oculis video) quam sit durum in tam celebri spectaculo aut labi aut deficere, non potest tamen non esse mihi persuasum adeo vos esse divinarum rerum amatores, adeo sanctorum laudibus debitos adeoque eorundem addictos venerationi, ut, quoscumque mea haec oratio defectus habeat, levissimos eos perminutosque[3] iudicetis, in bonam partem omnia semper interpretantes, dum aliqua tamen ex parte *perpurgatis* vestris *auribus*[4] aliquando satisfaciam, cum praesertim ea sit vestrae naturae singularis benignitas, ut libertatem afferat ministretque fiduciam nec minus recreet dicturos humanitas vestra, quam deterreat severitas.

Audebo igitur hac spe et fiducia fretus obire munus hoc mihi delegatum et hoc onus laeto suscipere animo. Onus dixerim; sum enim de perpetua dicturus omnium sanctorum foelicitate, quorum festivam hodie omnique dignissimam veneratione et alacritate commemorationem sancta ecclesia celebrat, quae ut est res scitu dignissima, ita etiam ardua ac difficillima non mihi modo, cuius vires in immensum superat, verum et cuivis[a] vel eruditissimo atque ad dicendum exercitatissimo. Super hoc igitur (ut aliqua liceat mihi cum optato fructu dicere) spiritus sanctus, sacri huius concilii praeses et patronus, prius nobis omnibus est invocandus, ut, qui *infantium* labia solvere[5] non est dedignatus *loquentiumque* ora *linguarum generibus* et *sermonum interpretatione*[6] exornare, *labia mea aperiat*, ut *os meum annuntiet laudes*[7] electorum suorum et nobis omnibus, quae sibi grata fuerint universaeque ecclesiae profutura, inspiret. Caeterum, quoniam haec solet dona largiri Deus assiduis augustae illius coeli terrarumque reginae, virginis Deiparae, precibus exoratus, quae est unicum post filium beatorum omnium decus et mortalium spes dulceque perfugium, hanc adeamus atque ei, quae tam est foeliciter beata, tam veneranda, ut eius se

[a] *ed. pr.* cuius

[1] De hac oratione, non vero de praedicatore in Firmani diario mentio fit ad diem 1. Nov., Conc. Trid. II 493, 6. Typis exscripta est separatim s. l. et a. (Venetiis, *ad signum Spei* 1551?), quam editionem principem secuti sumus; cf. *G. Calenzio*, Documenti inediti l. c. 529. Legitur etiam in editione Actorum Lovaniensi (*Concilium Tridentinum, hoc est canones et decreta* ..., Lovanii 1567, p. 95–105) et in collectione, quae inscripta est: *Hispanorum orationes in concilio Tridentino habitae* tom. I, Matriti 1748, 40–66; praeterea in collectionibus conciliorum *Labbe-Cossart* XIV 1107ss. et *Mansi* XXXIII 383 C–397 B. *Le Plat* I 193–209. *J. Tejada y Ramiro*, Colección de canones y todos los concilios de la iglesia española II, Madrid 1853, 780–789. De auctore cf. Conc. Trid. VII, I 134, adn. 3. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento, Valladolid 1951, 406s.
De missa et oratione die 1. Novembris habendis patres concilii die 31. Octobris 1551 certiores facti sunt his litteris ad eos datis:
„R^{mi} et Ill^{mi} DD. Hodie [31. Oct.] hora 19 erunt vesperae in ecclesia cathedrali, in quibus faciet officium R^{mus} et Ill^{mus} D. elector Coloniensis. Et cras erit missa hora 15, quam celebrabit idem R^{mus} et Ill^{mus} D. elector, et habebit orationem s. theologiae doctor Franciscus de Heredia, procurator R^{mi} D. episcopi Tirasonensis", Schaffhusiae, Bibl. civitatis, cod. *gener. 40*, 319^{r}–319^{v} (copia coaeva).

[2] *Horatius*, Carmina II 1, 6.

[3] Cf. *Cicero*, Tusc. II 13, 30.

[4] *Plautus*, Miles 774 (III 1, 176).

[5] Cf. Sap. 10, 21.

[6] Act. 2, 4ss. 11; 1 Cor. 12, 10. 28.

[7] Ps. 50, 17.

Digitized by Google

pedibus supernorum omnium civium beata celsitudo venerabunda submittat, angelicam salutationem, ut opem nobis necessariam impetret, fixis humi genibus, prono synceroque corde de more offeramus: *Ave Maria, gratia plena etc.*[8]

Quamvis huc omnes conatus nostri spectent, Patres sanctissimi, ut bene beateque sit nobis adeo, ut beatitudinem nemo non appetat mortalium, verum qua via ad eam sit incedendum quibusque in rebus sit sita, non omnibus exploratum habetur, nec inter ipsos quidem philosophos, in quo ea consisteret, conveniebat, quum alii in corporis, in fortunae alii, alii in animi bonis eam collocabant et *beatum dixerunt* (ut psaltes inquit[9]) *populum, cui haec sunt*, nimirum salus, potentia, honores, opes et voluptates. Quamobrem, quum nihil stultius esse possit, quam quod falsa quis opinione sibi videatur beatus, mater sancta ecclesia, coelesti[a] edocta magisterio, ponit hodie nobis ob oculos veram illam sanctorum foelicitatem atque vias, quibus ad eam pervenerunt, quo haec nos contemplati fallacem relinquamus foelicitatis imaginem falsasque bonorum umbras, quas pro veris ac summis bonis caeci amplectimur, et illam beatam patriam, in qua vera sunt solidaque bona, anhelemus[b] conscendere. Atque ob id eam nobis proponit evangelii lectionem, quae, quo pacto haec omnia vera bona et intelligamus et affectemus, aperit. Ita enim (referente Mattheo) legimus: *Videns Iesus turbas ascendit in montem et, quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius et aperiens os suum docebat eos*[10]. Sicut Moses, quum populo esset[c] antiquam illam legem proditurus, *montem ascendit*[11], sic coelestis ille princeps ac Dominus noster Iesus Christus novam daturus legem, non austeram, sed suavem, non Iudeis solum aut uni genti, sed universo hominum generi, quum (inquam) *novam* docturus esset | *doctrinam*[12], in qua Av et proferret inaudita et polliceretur ingentia, congruum sibi delegit locum, nempe montem, ut vel eius celsitudine manifestaret ardua omnia esse atque coelestia, quae tradebat, ex quibus indevius ad aeternum foelicitatis montem celebraretur ascensus et ab imis homines subveherentur ad summa. *Et, quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius*[10]. O sessionem admirabilem! O foelix concilium Christi et apostolorum, ubi tam coelestia edidit coelestis doctor et inaudita decreta contra vanam illam eruditionem et eruditam vanitatem *sapientium huius mundi*[13] contraque falsas de foelicitate opiniones.

Primum huius sessionis decretum fuit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum*[14]. Secundum: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*[15]. Tertium: *Beati, qui lugent*[16], et in hunc modum alia. *Octo gradus* vidit Ezechiel, per quos in templum erat *ascensus*[17], totidemque hic pandit servator noster, per quos certissimus patet ad coelestem domum aditus, quum agit in hodierno evangelio praecipue de beatitudine viae, quae in merito consistit et beatitudinis nomen habet, quod per eam mereamur aeternam, meminitque *regni coelorum*[18], saturitatis, visionis Dei, *mercedis copiosae in coelis*[19], quo solidam ostendat patriae beatitudinem. *Vidit* sanctissimus patriarcha Iacob *scalam* ab imo solo ad coelos usque protensam, multorum graduum serie distinctam *et Dominum innixum scalae angelosque per eam ascendentes descendentesque*[20]. Quod ut nobis angelicam affectantibus viam factitare liceat, alteram extruxit Christus, per quam angelici facti ad paradisi deducamur gaudia, eaque de terra surgit ad supremum usque coeli fastigium, quae tametsi paucis sit gradibus distincta, magnitudinis tamen est immensae. Inferior pars innititur terrae, quum dicitur: *Beati pauperes. Beati mites. Beati, qui lugent. Beati, qui esuriunt et sitiunt. Beati misericordes. Beati, qui persecutionem patiuntur*[21]. Superior vero et *nubes* et *coelos penetrat*[22] et divinorum contemplatur arcana, quum promittitur *regnum coelorum, visio Dei, merces* denique *in coelis copiosa*[23]. Quod si huius mirabilis scalae, si praefatorum eminentiam decretorum videre cupis, id Mattheus ostendit, quum inquit: *et aperiens os suum docebat eos*[24]. Si docendum enim erat, os quidem aperire oportebat, quorsum additur: *aperiens os*? Id quidem, quamvis recte interpretatus Chrysostomus adiunctum hoc esse dicat, quia Dominus, non quum loqueretur modo, verum etiam quum taceret, docebat[25], illud tamen et hac ratione additum esse existimari potest, nempe ut evangelista significaret, quam sit haec magistri coelestis doctrina notatu dignissima, utpote nova nec ullis audita seculis, quam perfecte mirabilis et mirabiliter perfecta. Nam potissimi duo sermones, quos evangelistae scripserunt, sunt illi: alter, quem Ioannes

[a] *ibid.* coelestia [b] *Lov.* anhelamus [c] *ed. pr.* esse

[8] Luc. 1, 28. [9] Ps. 143, 15.
[10] Matth. 5, 1–2.
[11] Exod. 24, 13. 15.
[12] Act. 17, 19.
[13] 1 Cor. 1, 20; 3, 19.
[14] Matth. 5, 3.
[15] Matth. 5, 4.
[16] Matth. 5, 5.
[17] Ezech. 40, 31.
[18] Matth. 5, 3. 10.
[19] Matth. 5, 12.
[20] Gen. 28, 12s.
[21] Matth. 5, 3–7. 10.
[22] Eccli. 35, 21; Hebr. 4, 14.
[23] Matth. 5, 3. 8. 12.
[24] Matth. 5, 2.
[25] *Io. Chrysostomus*, In Matth. 5, 2, hom. 15, c. 1 (*Migne*, PG LVII 223).

Digitized by Google

narrat capitibus 14. 15. 16. 17; alter hic per tria descriptus capita. Super eo dicit Augustinus, quod quicunque *pie et sobrie*, hoc est prudenter, rem hanc expendit, is *inveniet in hoc sermone, quantum ad bonos mores pertinet* et *viam christianae vitae perfectam*[26]. Aperuit igitur Iesus mellifluum illud os, de quo illud est Proverbiorum: *vena vitae os iusti*[27]. *Vena* (inquam) et canalis, unde oceanus[a] et *mare magnum*[28] *aquae salientis in vitam aeternam*[29] derivatur, unde fontes effluxerunt Matthei, Marci, Lucae, Ioannis, Pauli et aliorum, unde sanctos latices Graecia hausit, quum Dionysium, Ireneum, Basilium, Athanasium, Chrysostomum, Epiphanium et Damascenum produxit, unde Aphrica irrigata germinavit Tertullianum, Cyprianum, Augustinum et Fulgentium, Dalmatia Hieronymum, Italia Ambrosium et Gregorium, Hispania Isidorum, Leandrum et Ildefonsum[b], Gallia denique Hilarium, Prosperum et alios. Demum aperuisse os scribitur, ut, quum *multifarie multisque modis olim Deus locutus* fuisset *patribus per prophetas*[30], extremis *diebus* sacro filii sui summique coelestis *legati*[31] ore nobis loqueretur, quum coelestem illam planeque divinam philosophiam eramus audituri de contemptu earum rerum, quarum gratia mundani homines nihil non et faciunt et patiuntur, atque de coelestibus decretis certissimisque viis, quibus veram consequi possemus foelicitatem.

Orsus est autem Iesus docere a commendatione earum virtutum, quas mundana sapientia et despicit et fugit. *Sapientia enim mundi stultitia est apud Deum*[32]. Et quae in Christo putatur *stultitia*, illa est, quae sapientiam vincit mundi, per quam *placuit Deo salvos facere credentes*[33]. Sapientia mundi foelices existimat, qui, quod aestimatione opibusve alios praecellant, gloriantur, qui elati sibique omnia tribuentes semet superbe efferunt. At sapientia Christi foelices praedicat *pauperes spiritu*, qui nihil habentes elati spiritus, sese deiiciunt atque demittunt, totique a Dei pendent voluntate, qui honores (quorum cupiditate quidam inflammantur) ita contemnunt, ut nihil inanius esse, nihil levius existiment, divitias autem vel Dei causa more apostolorum relinquunt[34] vel ad eas cor suum non apponunt nec inde superbiunt. Sapientia mundi foelices appellat immites ac feroces et qui aliis mala inferunt, qui *reddunt malum* non tantum *pro malo*[35] sed etiam pro bono. Sapientia autem Christi contra nempe eos, qui mites sunt, placidi, benigni, faciles ac suaves, qui *vincunt in bono malum*[36], qui tranquillitatis animi causa etiam lacessiti non irritantur, sed ferunt iniuriam. Sapientia mundi foelices dicit, quibus ad votum hic arrident omnia, quos tantum abest, ut impiorum pudeat facinorum, ut *laetentur* potius, *quum male fecerint, et exultent in rebus pessimis*[37]. At sapientia Christi eos nominat foelices, *qui lugent*, quibus sancta sunt suspiria et lachrymae beatae, nimirum ex percepta *Dei dulcedine*[38], cuius absentiam non sine tristitia
A 2r ferunt, ex desiderioque divinae visionis et ex miseriarum praesentis vitae | ac divini gaudii contemplatione, quique dolent, quod tot mala in se et aliis aeternae vitae contraria assidue emergant, atque sese ultro orbantes delectationibus terrenis studio evangelicae pietatis propter Deum *vitam transigere*[39] in lachrymis et afflictionibus bonum ducunt. Sapientia mundi foelices putat, qui propriae iustitiae innitentes coram hominibus videntur iusti. Sed sapientia Christi eos pronuntiat foelices, *qui* sic *esuriunt et sitiunt iustitiam*, ut sine satietate appetant semper id omne, quo vera paratur aeternaque vita. Denique (ne longum faciam) *beati* a Christo praedicantur *misericordes*, *mundi corde*, *pacifici* et *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*[40], ac demum, qui bene viventes ab improbis hominibus (ob id, quod bene et in Christo vivant) interim male audiunt, quibus omnibus aeternitatis pollicetur stipendia et *mercedem in coelis copiosam*[19].

Evangelicam lectionem summatim in multis perstrinxi, ne, cum alia subiungam, ad quae propero, modum excedat oratio. Nunc, ut sanctorum comprehensorum gloriam proficiendo celebremus et celebrando proficiamus, primum de statu, quo beata iam requie perfruuntur, disserendum censui, tractaturus deinde de eorum imitatione, idque non in comptis verbis, sed absque ⌜eloquentiae flore⌝[c] sequar. Ac si unquam, Patres optimi, benignos vos et attentos praebuistis, id maxime omnium praestandum vobis est hodie, quando ea de re acturi sumus, quae et sanctorum est *corona*[41] et laborum nostrorum merces et quae vitae nostrae brevitatem *aeternitate* consolatur[42].

[a] *ed. pr. Lov.* oceanum [b] *ibid.* Alfonsum [c] *Lov. Tej.* eloquentia flores

[26] De sermone Domini in monte I, c. 1, 1 (CChr. XXXV 1, 5–7).
[27] Prov. 10, 11.
[28] Num. 34, 5ss.; Ios. 15, 11. 47; Ezech. 47, 10.
[29] Io. 4, 14.
[30] Hebr. 1, 1s.
[31] Ier. 49, 14.
[32] 1 Cor. 3, 19.
[33] 1 Cor. 1, 21.
[34] Cf. Matth. 19, 27.
[35] Rom. 12, 17.
[36] Rom. 12, 21.
[37] Prov. 2, 14.
[38] Ps. 67, 11. Cf. *J. Ziegler*, Dulcedo Dei. Ein Beitrag z. Theologie d. griech. u. lat. Bibel, Münster 1937, 28s.
[39] Esth. 13, 2.
[40] Matth. 5, 7–10.
[41] 2 Tim. 4, 8; 1 Petr. 5, 4; Apoc. 2, 10. Cf. *Cyprianus*, epist. 14, c. 2; 58, c. 9 et 11 (CSEL III 511, 6; 665, 4; 666, 7).
[42] *Cyprianus*, Ad Fortunatum c. 13 (CSEL III 347, 6).

Digitized by Google

Multa sunt eademque praeclara, quibus immensa Dei clementia electos suos mirum in modum illustravit. Sed illud longe est praeclarius, et quod admirari et laudare possumus, enarrare autem non valemus, nempe quod eos sibi ipsi perpetuo in coelis univerit ac foelices reddiderit. Quid enim est, quod verbis dici aut mente concipi possit aut praestabilius aut illustrius quam adeptio et possessio summi boni, quam foelicitas sanctorum? Quibus ita ad Dei faciem contuendam et ad admirabilem cum eo principio, a quo emanaverant, unionem datum est foeliciter pervenisse, ut impletus in eis videatur circulus ille amoris, quem Hierotheus[43] divusque Dionysius dicebant *circulum* esse bonum *a bono in bonum perpetuo revolutum*[44]. Nanque quum Deus optimus maximus nedum principium sit universi, verum medium etiam et *finis*, principium quidem, ut creat seu producit, medium, ut creata seu producta ad se ipsum retrahit[a], finis vero, prout redeuntia perficit, fit inde, ut unus *continuus* habeatur *circulus*, qui a Deo incipiens transit in mundum, in Deum denique desinit. Id, quo fiat dilucidius, consideremus, quod *regem* illum, a quo universa et creata sunt[45] et pendent, bonum, pulchrum et iustum nuncupamus. Bonum (inquam), ubi creat; ubi vero allicit, excitat atque rapit, pulchrum; ubi autem pro cuiusque merito complet et perficit, iustum dicimus. Quare, dum ex amore electos condidit Deus ab eo tanquam a perenni fonte effluentes ac deinde, quum in eundem refluunt suam illam originem repetentes per amorem, charitatem et beatitudines evangelicas, postremo vero, quum perficiuntur, postquam eodem ipso amore redierunt veluti per orbem ad sui principii participium, in quo iam beati conquiescunt, tunc haud dubie circulus amoris bonus in eis completur a bono Deo in eundem ipsum bonum Deum revolutus. Qui quamvis solus sit, cui deest nihil, solus sibi sufficientissimus, solus se ipso contentus ac infinite beatus, non tamen suam solus voluit habere beatitudinem, sed *divitias gloriae* suae *ostensurus*[46], qui est sua beatitudo, communem facit electis conditionem illam suam foelicissimam, quum sibi illos adiungit ita, ut in se, qui bonum est infinitum, eos (ut ita loquar) absorbeat et unum secum reddat, illi vero quasi deificati participes fiunt foelicitatis illius inaestimabilis, quum Deum in se ipso possident *habituri* semper *in eo vitam*[47], in quo et semper, etiam antequam fierent, vita erant.

Mirum tibi forsan videbitur et, qui fieri possit, quaeres, ut tam diversa, nempe creatura et creator, sic uniantur? Non miror, si mireris; *mirabilis* est enim *Deus in sanctis suis*[48]. Sed mirare diligenterque (si potes) scrutare amoris vim, quae tanta est ad uniendum spiritum spiritui, ita ad intima dilecti penetrat, ut vellet amantis animus in animum immigrare amati adeo, ut saepe sui corporis deserens ministerium in dilecto vivere tantum videatur. Quod si tantam in hac vita habet amor efficaciam, quanto maiorem in futura habebit ad copulandum spirituali, dulci indissolubilique copula sponsam animam cum dilectissimo sibi eodemque speciosissimo sponso Deo? Ubi (ut divus ait Bernardus) „quomodo stilla aquae modica multo infusa vino deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit et colorem. Et quomodo ferrum ignitum et candens igni simillimum fit pristina propriaque forma exutum, et quomodo solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem adeo, ut non tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur, sic omnem tunc in sanctis[b] humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere atque in Dei penitus transfundi voluntatem“[49]. Haec Bernardus. O amoris immensam vim. O beatas animas, quae tali catena vinciuntur, tali glutino conglutinantur.

Accedit etiam huc, quod ea est mentis nostrae conditio, nimirum ut feratur naturaliter in bonum, pulchrum et dulce, quorum ea est nativa virtus, ut sua quadam suavitate contemplantis animum excellentius multo quam magnes ferrum ad se trahant. Quum igitur Deus, in quo horum omnium bonorum sunt thesauri[50], mentibus beatis sese ineffabili modo ostendit, quantum censes, continuo eas suspensas ad se rapit, et quam indissolubilibus amoris nexibus et charitatis vinculis vinciuntur, illi omnium bonorum primae atque exemplari bonitati et ipsi bonitatis essentiae, in qua supereminenter et cum immensa plenitudine extat, quicquid | bonum, A 2v quicquid pulchrum, quicquid dulce est, foelicissima ac vivifica vita, aeterna sapientia, lumen interminabile, omnipotens virtus atque immensae divitiae? Quid Deo ad alliciendum pulchrius? Qui totius est pulchritudinis principium totiusque fons munditiae, cuius speciosissimum vultum, cuius stabilem decorem *astra* illa *matutina*[51] omnesque filii Dei cum insatiabili semper

[a] *ed. pr.* retrahi   [b] *Lov. aliaeque edd. sequentes* se

[43] Theologus a Ps.-Dionysio fictus; cf. *J. Stiglmayr*, LThK V 20s. *J. Kraus*, ibid. V² 332.
[44] *Ps.-Dionysius Areop.*, De divinis nominibus IV, c. 14 (*Migne*, PG III 711/12 D s. *[P. Chevallier,]* Dionysiaca I, Bruges 1937, 223s. S).
[45] Eccli. 18, 1.
[46] Rom. 9, 23.
[47] Io. 1, 4; 10, 10.
[48] Ps. 67, 36.
[49] *Bernardus abb. Claraevall.*, De diligendo Deo c. 10, 28 (*Migne*, PL CLXXXII 991 B).
[50] Cf. Col. 2, 3. [51] Iob 38, 7.

Digitized by Google

contemplantes ardore ardentissime complectuntur vehementissimeque admirantur et laudant. O prima, o pura, o vera pulchritudo. O splendor et decor universa venustans, qui sic, quas tibi eligis mentes, mulces, sic allicis, sic excitas, ut delectes, sic delectas, ut delectando rapias, sic rapis, ut rapiendo ardenti inflammes amore et tibi perpetuis vinculis foeliciter unias.

Quod si dulcedinem in Deo desideres, *quam magna* (inquit psaltes) *multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te*[52]. Et ubi est (obsecro) haec suavitatis multitudo nisi in ipso Deo, qui ipsa est divina *dulcedo*[53], quae beatos suavissime reficit atque in se cum inaestimabili calidissimoque affectu suspendit, deglutit, transformat. Ipsa demum est plenissima pax, quae per harmonicam suavitatem ea, quae turbari solent, mulcet componitque. *Pax* est *exuperans omnem sensum*[54] totique orbi concordiam atque harmoniam, nexum et stabilitatem tribuens, quippe qui fines supramundanae suae aulae, empyrei coeli, pacem reposuit laetissima ac securissima tranquillitate omnes coelestis suae militiae ignitas phalangas illustresque heroas sibi invicem uniens, in semetipsis stabilit et in se quoque beat. Quod si auri fulgorem magistra manu tersi sculptique, si argenti candorem, si prata virentia florentesque arbores, si (quod his omnibus maius est) nitidum solis iubar, ornata sydera, gratam lunam, pulchrum coelum, pulcherrimum denique mundi theatrum videre adeo est gratum, ut in eorum aspectu sic detineamur, perinde ut ab eis rapti in eaque conversi, qualis (obsecro) erit illa pulcherrimae lucis contemplatio, qualis illa beatorum unio cum illo[a] summe bono, summe pulchro, summe dulci creatore, a quo creaturis contingit, ut delectent? O bonitas ineffabilis, o divina pulchritudo, o dulcedo incogitabilis, o *pax sempiterna*[55], quando te frui nobis concedetur? Quando tantum bonum consequemur? Quando nobis dabitur de hoc exilio ad haec tam immensa nostrae patriae bona pervenire?

Hanc sanctorum beatitudinem servator noster hisce verbis saturitatem appellat: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*[56]. Non dixit: Beati, qui esuriunt et sitiunt honores, opes aut voluptates; hi enim nunquam saturantur similes illis, qui, quando sitienti aut esurienti dormiunt stomacho, somnis et imaginibus delusi phantasmata pro rebus ipsis amplectuntur non intelligentes mendacia esse, quae somniant, putant se comedere aut bibere seseque oblectare, at satiantur nunquam, quia non imaginem cibi, sed cibum ipsum flagitabat stomachus; sic profecto *dormierunt somnum suum et nihil invenerunt in manibus suis viri divitiarum*[57], viri cupiditatum et voluptatum. Nec mirum; opes enim et seculi huius voluptates, quae umbrae rerum aut voluptatum sunt potius quam verae res aut gaudia vera, inexplebilem hominum aviditatem et hydropisim vehementer adaugent, tantum abest, ut saturare possint. Hos igitur Christus non vocat foelices, sed eos, qui famem hanc et sitim sic a rebus fluxis transferre conantur ad expetendam evangelicam iustitiam, ut nihil ardentius optent, nihil diligentius quaerant. Neque *sufficit* (teste Hieronymo[58]) *velle iustitiam, nisi iustitiae famem patiamur, ut sub hoc exemplo nunquam nos satis iustos, sed semper esurire*[b] *iustitiae opera intelligamus.* Hinc Ambrosius signum hoc esse bonum putat, ubi quis esurit iustitiam et sitit, eo quod *aeger, quum in gravi morbo est, non esurit*[59], fames autem sanitatis indicium est. Haec igitur iustitia evangelica, Patres, preciosus fuit ac suavis sanctorum cibus, hic erat illis *panis vitae et intellectus*, haec *aqua sapientiae salutaris*[60]. Neque semel aut bis (ut corporis alimoniam), sed momentis singulis hunc animi cibum in omnibus rebus diligenter investigabant. Hoc evadebant vegeti in Christo ac robusti, hoc temperati, hoc iusti, hoc invicti, hoc sapientes et prudentes, hoc populos alebant. Hic ad res tam divinas quam humanas praeclare gerendas reddebat aptissimos, hic *iugum* Domini *suave et onus leve*[61] faciebat. Hoc evadebant adeo magnifici, adeo magnanimi, ut illis prae magnitudine sua minima admodum viderentur illa, quae solent male esurientibus videri quam maxima.

Sed quid? Qui sic expetunt iustitiam, saturantur in hac vita? Minime. Non enim Deus replet hic in bonis desiderium animarum sanctarum, quia nondum explet intellectum plenitudine lucis, non voluntatem pacis multitudine, non aeternitatis continuatione memoriam. Solo namque coelesti edulio visionis veritatis aeternae et aeternorum potu gaudiorum animus noster implebitur. Id quod significavit aperte Dominus, quum dixit non *saturantur*, sed *saturabuntur*. Hoc idem procul dubio expressit dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[62], et non dixit *vident*. In hac etenim vita sicut non contingit perfecta permanensque Dei visio, ita nec

[a] *ed. pr. Lov.* ille [b] *ed. pr.* exurire

[52] Ps. 30, 20.
[53] Vide supra adn. 38.
[54] Phil. 4, 7.
[55] 2 Thess. 3, 16.
[56] Matth. 5, 6.
[57] Ps. 75, 6.
[58] In Matheum I, c. 5, 6 (CChr. LXXVII 25, 449 ad 452).
[59] Expositio evang. sec. Lucam V, c. 56 (CChr. XIV 154, 599ss.).
[60] Eccli. 15, 3.
[61] Matth. 11, 30. [62] Matth. 5, 8.

Digitized by Google

integra perfectaque saturitas. Hic enim quis clare, manifeste et cum perseverantia stabili perpetuaque Deum vidit? Est enim modo nobis *absconditus*[63], qui non hominum mentibus tantum verum etiam ipsis angelicis intellectibus est *incomprehensibilis*[64], solus se ipsum infinite cognoscit, solus perfectissime sese contemplatur *lucemque* dicitur *inhabitare inaccessam*[65]. Et ob id apud Iob scriptum est de Deo, quod *vultum solii sui teneat et super ipsum expandat nebulam*[66], quod *non ea claritate* (ut pulchre divus exponit Gregorius) *ab inferioribus cernatur, qua in superioribus dominatur*[67], sed | longe maior illius sit gloria, quam a nobis comprehendi possit impediente nos (A 3r) propriae ignorantiae nebula, quae facit, ut *caligo* sit *sub pedibus eius* sive *in circuitu solii*, quam expandat ceu *latibulum suum*[68]. At quamvis hic perfecte Deum non cognoscamus, interim tamen (ne deficiamus inedia) haudquaquam nos deseruit benignus pater coelestis omnimoda sui circumfusos ignorantia, quin potius et pabulo fidei nos interea pascit et dat per creaturas cognitionem, quae necessaria est huic conficiundo itineri, quod ad patriam ducit, indagare attestante Paulo, quod *invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas*[69].

Ut enim Deus (ait Ambrosius), *qui natura invisibilis est, etiam visibilibus*[a] *possit sciri, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret*[70]. Hinc, sicut ex motibus et administratione corporis animam, quam non videmus, intelligimus, sic ex administratione totius huius, quam cernimus, fabricae mundanae tam mirifice conditae tamque mirifice administratae architectum ipsum Deum et intelligamus et admiremur. Quid enim aliud sunt creaturae quam picturae[71], quam *nutus*[72], quam *voces*[73], quam lumina et splendores[74] aeternae lucis? *Videmus nunc*, teste divo Paulo, *per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*[75]. Deum quidem modo non in se ipso videmus[76], sed in eius veluti similitudinibus, nempe creaturis, velut in speculo, per quod ad invisibilia Dei surgimus, velut in vestigiis quibusdam, velut in simulachris, velut denique in quibusdam spectaculis nobis propositis, ut per illa ducamur[b] ad cognitionem divini exemplaris, sapientiae inenarrabilis, artis indeficientis et omnia ordinantis. Prout igitur Dei invisibilia per creaturas cognoscimus, *videre per speculum* dicimur. At quoniam illa adhuc sunt nobis obscura et recondita, *in aenigmate* illa videmus. Praeter haec autem non deest etiam nobis fidei certissimum speculum, in quo imagines supernarum rerum intuemur et ex scripturis ceu per involucrum aenigmatis Dei mentem subobscure, certe tamen, percipimus. Non est itaque hic locus videndi Deum (quem *esurimus et sitimus*[77]) clare atque lucide, sed (ut in Threnis dicitur) *in umbra* eius *vivemus inter gentes*[78]. *Ex fide* enim *iustus vivit*[79] et in umbra Christi, nempe fide, quae veluti bona umbra caligantibus viatorum oculis lucem temperat et oculos praeparat luci. Per hanc itaque fidem Deum, qui infinita est iustitia, veluti comedimus. Per hanc ipsum conspicimus sicut *per speculum in aenigmate*[75], quem hic *facie ad faciem* contueri non valemus. At *ubi venerit quod perfectum est*[80], *comedemus panem* hunc vitae *cum saturitate*[81]. Ubi inter angelos erimus, *videbimus eum* (ut ipsi), *sicuti est*[82], et beati exultabimus in splendore vultus eius, quando gravi deposito corpore aut mutato, quando mentis caligine adempta ipsum et clarius cernemus et diligemus ardentius.

O beatos coelicolas, qui *faciem* Dei, id est divinam essentiam, clare intuentur[83] et *revelata facie gloriam Domini* et veritatem illam summam *speculantur*[84]. Qui cognoscunt mirabilem trinitatem in una personarum consubstantialitate. Qui cognoscunt aeternam filii generationem atque coaeternam spiritus sancti processionem. Qui cognoscunt patris potentiam, filii sapientiam, spiritus sancti clementiam, ipsius summae trinitatis unam et individuam essentiam. Ubi intellectus noster, qui sola aeterna repletur veritate, tunc perficietur, quum veritatis claritate illustratus intelliget aeternum. Voluntas fruens eo, qui totus est suavis et desiderabilis, perpetua stabilitate in summo charitatis fervore (qualis est in meridie *aeternitatis*[85]) ardentissime amabit summe

[a] *ibid. Tej.* invisibilibus [b] *ibid.* manducamur

[63] Isai. 45, 15.
[64] Ier. 32, 19.
[65] 1 Tim. 6, 16.
[66] Iob 26, 9.
[67] *Gregorius I*, Moralia XVII, c. 27, in Iob 26, 9 (*Migne*, PL LXXVI 29 B).
[68] Ps. 17, 10. 12.
[69] Rom. 1, 20.
[70] *Ambrosiaster*, Comment. in Rom. 1, 19 (CSEL LXXXI, I 38, 27–30).
[71] Cf. *Augustinus*, serm. 125, c. 5 (*Migne*, PL XXXVIII 693).
[72] *Idem*, De libero arbitrio II, c. 16, 43 (CChr. XXIX 266, 55).
[73] *Idem*, Enarr. in Ps. 26, II, c. 12 (CChr. XXXVIII 161, 18).
[74] *Idem*, Enarr. in Ps. 7, c. 8 (l. c. 41, 36ss.).
[75] 1 Cor. 13, 12.
[76] Cf. Io. 1, 18; 1 Tim. 6, 16.
[77] 1 Cor. 4, 11.
[78] Thren. 4, 20.
[79] Rom. 1, 17.
[80] 1 Cor. 13, 10.
[81] Lev. 26, 5.
[82] 1 Io. 3, 2.
[83] Cf. Matth. 18, 10.
[84] 2 Cor. 3, 18.
[85] 2 Petr. 3, 18.

Digitized by Google

bonum. Memoria, quae hic fluxa est et infidelis, tunc perpetuo tenore in uno fixa bono omnipotentem tenebit. Tunc igitur, tunc *qui* nunc *esuriunt et sitiunt iustitiam*, probitatem, rectitudinem, veritatem, Dei honorem et legem proximorumque salutem, tunc (inquam) *saturabuntur*, quum Deus beatas animas ad coelestem illam ducet mensam, in qua illis ambrosiam apponet et super ipsam nectar potandum, id est essentiae suae et incommutabilis veritatis visionem atque ex visione gaudium perenne. O delitias humanis sensibus impervestigabiles! O foelix et gloriosum convivium! O dulces et desiderabiles epulas! O immensas opes, quas nec *erugo demoliri tineave nec fures effodere* ac *suffurari*[86] possunt! Id quod non est in beatis exigua gaudii pars, certos scilicet esse nunquam tam immensa bona sibi defutura, nunquam se tantis bonis carituros[a]. Mirabilis etiam *discumbentium* ordo[87] in hac supercoelesti mensa diversos sequitur beatorum gradus, siquidem distribuens Christus a se promissas multifarias *mansiones*[88] suis quemque collocat sedibus; namque qui Deum excellentius amaverunt, dum hic viverent, ad maiora perducuntur gloriae fastigia. Toto autem Deo frui omnibus datur, omnibus idem datur aeternae vitae *denarius*[89], omnes essentiam vident divinam, sed Deum totum copiosius praestantiusque possident, quorum maior fuit charitas.

Suo praeterea beatitudinis gradu quisque contentus plenusque vivit nec aliis, quod Deo propinquiores spectet, invidet. *Livor enim* (ut et Plato in Phaedro inquit[90]) *a divino choro procul abest.* Imo vero (teste Gregorio) *quid in se quisque non acceperit*[b], *hoc se accepisse in alio exultabit*[91]. Sed et in hoc mirabile est convivium illud divinum, in quo sine ullo fastidio iisdem divi illi vescuntur dapibus, quibus in aeternum copiosissimeque exsatiantur. Nobis quidem in hac miseriae vita rei eiusdem diuturna frequentatio statim nauseam parit atque ob id nova requirimus oblectamenta, ad quae non cibi, non vina sufficiunt, nisi fames ad vescendum alliciat sitisque ad bibendum, et tamdiu oblectatio, quamdiu et aviditas permanet. Aeternus tamen amor, quo semper convivae illi coelestes in Deum optimum maximum quasi aviditate quadam afficiuntur, efficit[c], ut omni expul|so fastidio divinis illis delitiis et coelestibus ambrosiis pascantur (A3v) Deoque semper quasi novo gaudeant spectaculo blanda dulcique fruitione beati. Quid multis? Ibi (iuxta Ioannis Apocalipsim) *non esurient neque sitient amplius, quia agnus, qui in medio throni est, deducet eos ad vitae fontes aquarum*[92], *aquarum* (inquam), quae non promuntur e coenosis huius mundi immundi paludibus, sed e fonte plenissimo atque mundissimo divinae virtutis atque[d] *torrente voluptatis*[93] divinae, *aquarum* (inquam), quae non pertingunt solum *ad talos usque, genua renesve*[94] ipsorum (ut de aquis Ezechielis legimus), sed in augustissimum illud coelestium voluptatum pelagus avidissime et latissime effusi conquiescunt *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta*[95]. Ibi namque omnia erunt beatitudinis et gaudiorum ineffabilium plena, non solum intellectus et voluntas sed suo quoque modo fauces, oculi, aures, manus, totum corpus, denique totus animus, tota mens, ita ut totus intret beatus *in* illud immensum *Domini gaudium*[96]. *In gaudium*, inquam (ut Augustini verbis utar), *sine tristitia, quod continet aeternam laetitiam, ubi erit omne bonum et nullum malum; ubi erit quicquid voles, et non erit quicquid noles; ubi erit vita vitalis, dulcis et amabilis; ubi non erit hostis impugnans nec ulla illecebra, sed summa et certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda foelicitas, foelix aeternitas, aeterna beatitudo, beata trinitas et trinitas in unitate et unitatis deitas et deitatis beata visio, quae est gaudium Domini Dei tui*[97]. Denique, Patres ornatissimi, quum Esaias et astipulatus Esaiae Paulus, humanarum divinarumque rerum scientissimus, dicat, *quod nec oculus vidit nec auris audivit*[98] *nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se*[99], quid balbus ego et hebes de re tam ineffabili, quam cum propheta exclamem: *Lauda, Ierusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te*[100].

O triumphans beatorum ecclesia, o alta Sion, lauda Dominum. Summe lauda et laudes itera summas, quod de naufragoso mari ad quietissimum portum, de exilio ad patriam, de tenebris ad lucem, ad optatam denique pervenisti quietem sempiternam. *Lauda Deum tuum, Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum*, quia roboratis vectibus et inconvulsibilibus seris roboravit portas tuas. Nullus intrare potest inimicus. Nullus exire vult amicus. Tuta es, o beata Ierusalem,

[a] *ibid. om.* [b] *ibid.* accepit [c] *Hisp. orat.* effecit [d] *ed. pr.* aeque, *Lov.* aquae

[86] Matth. 6, 20.
[87] Cf. Matth. 22, 10.
[88] Io. 14, 2.
[89] Matth. 20, 9s.
[90] Phaidros: φθόνος γὰρ ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται (247 A).
[91] *Gregorius I*, Moralia IV, c. 36, in Iob 3, 19 (*Migne*, PL LXXV 677 B).
[92] Apoc. 7, 16s.
[93] Ps. 35, 9.
[94] Ezech. 47, 3–5.
[95] Isai. 32, 18.
[96] Matth. 25, 21. 23.
[97] *Ps.-Augustinus*, Soliloquia c. 35 (*Migne*, PL XL 894).
[98] Isai. 64, 4.
[99] 1 Cor. 2, 9.
[100] Ps. 147, 12–14.

Digitized by Google

in arca coeli. Non est, quod mundi timeas *diluvium*[101], *benedixitque Deus filiis tuis in te*[102]. Non peregrinantur, intus laetantur, benedicti sunt *omni benedictione spirituali in coelestibus cum Christo*[103], omni decorati pulchritudine, omni *illustrati splendore*[104], omni *splendida* comitati *cohorte*[105], *induti immortalitatis*[106] *deaurato vestimento* plenique gaudiorum *varietate*[107]. Et qui *benedixit filiis tuis in te*, is *posuit fines tuos pacem*. Iam *non est timor*[108] in finibus tuis, nulla pericula, bella nulla nullaeque tentationes, quod hostes omnes a muris tuis procul sint. *Et adipe frumenti satiat te* omnipotens, optimo nempe divinae visionis tritico omniumque rerum copia. Quis igitur, o Patres, non illic vehementer desideret esse, habitare et pasci, tum propter pacem, tum propter adipem, tum propter saturitatem, ubi formido nulla est, nullum fastidium nullusque defectus, ubi tuta mansio est paradisus, dulcis cibus, verbum dulce et cum aeternitate affluentia maxima?

Reliquum est, Amplissimi Patres, ut iam de supernorum civium imitatione paucis agam. Quamvis enim de praemiis eorum dici poterant alia multa, sed de re tam sacrosancta nihil temere pronunciandum. Nec fas est ad curiosas quaestiones, quae hic solent curiosius excitari, revocare, quod Deus arcanissimum esse decrevit, magna esse et admirabilia credi voluit, quae electis suis *paravit*[109], quae per fidem nunc a nobis cognita et amare debemus et sperare[a], tunc demum plenius intellecturi, quum voti compotes facti, contemplabimur coram omnia praesentia, atque adeo nobis ipsis coniunctissima, ut sic ea *cognoscamus*, quemadmodum *nunc cogniti sumus*[110]. Interim tamen eos imitemur, quorum beatam vitam miramur. Sequamur eorum exempla, quorum praeclarissimis trophaeis et gaudemus et excitamur. Sequemur autem, si cum Christo (ut ipsi) in montem conscendimus. Standum est enim vobis praecipue, o Patres, qui evangelicam docetis iustitiam, in contemplationis et spiritualium virtutum apice, Mosen imitati, qui divina contemplaturus *montem* non raro *ascendebat*[111], ut hauriendo ibi divina mysteria perdisceret, quonam modo se et alios esset recturus. Unde ad munera actionum bene instructi paratique descendentes sic subditorum commodis prudenter ac diligenter consulatis, ut nihil omittatis, quo eos ad aeternum salutis montem pertrahatis. Sanctorum etiam montium cacumina, quae prima sunt a radiis solaribus irradiata, illi sunt angelici spiritus coeterique beati, qui in altissimis regnantes in primis a *sole* illo *iustitiae*[112] illuminantur, quorum si vel imitatione consociamini coelesti collegio, quantum (bone Deus) *splendor gloriae*[113] Christi vos decorabit illustrabitque? *Dii*, Patres, *estis*[114] *et filii Excelsi omnes*[115]. Invadat igitur animos vestros sacra quaedam ambitio, ut parvis contemptis et mediocribus non contenti anheletis ad summa, vitam ad exemplar *angelicae vitae*[116] formantes, sicut sancti Dei fecerunt, qui, quicquid in mundo est, posthabentes ultra mundanam illam curiam, ut angelicam etiam in carne ducerent vitam, advolarunt. Igitur, si supremum curiae illius regem ardentissima charitate amplectamini, illius igne, qui edax est, seraphicam effigiem accensi referetis. Si purissimae incumbentes contemplationi in admirabili hoc opificio opificem ipsum sapientissimum, in opifice vero opificium meditemini, *fulgore* cherubico mirabilique intel|ligentiae luce undique *coruscabitis*[117]. Angelos denique (qui continuo A 4r
praesidio nostram tuentur vitam) referetis, si *oves*, quarum custodiam Christus vobis concredidit, a periculis *liberetis*[118] et a luporum tutemini voragine.

Ascendite ad montem, o Patres, cum apostolis, in quorum vices successistis! Ascendetis autem, si ex eorum benefactis, si ex paupertate spiritus, mansuetudine, *esurie et siti iustitiae*, patientia in adversis acriores vobis addatis ad virtutem stimulos. *In loco campestri*[119] manetis, si plebeii viderint vos nihilo subditis meliores; sed in monte eritis, si electi ad apostolici honoris culmen sic respondeatis huiusmodi dignitati, ut vita vestra (quam veluti scopum ii intuentur, qui in valle manent) sit illis apostolicae vitae exemplar. Ascendetis demum in summitatem montis, si in hac sancta synodo ita Christi gloriam et ecclesiae suae spectatis tranquillitatem, ut (non curantes, quid hominibus, sed quid Christo, cuius agitis negocium, sit gratum), si opus fuerit, non dubitetis pro religione, pro veritate, pro iustitia, pro charitate labores, penuriam, contumelias, mortem etiam ipsam subire. Atque (ut semel dicam) *omnia facite secundum exemplar*,

[a] *Lov. Hisp. orat.* superare

[101] Gen. 7, 17.
[102] Ps. 147, 13.
[103] Eph. 1, 3.
[104] Missale Rom., sabb. sanct., hymnus *Exsultet*.
[105] *Cyprianus*, De lapsis c. 2 (CSEL III 237, 17).
[106] 1 Cor. 15, 53s.
[107] Ps. 44, 10.
[108] Ps. 13, 3.
[109] 1 Cor. 2, 9.
[110] 1 Cor. 13, 12.
[111] Exod. 19, 3; 24, 13. 18; 34, 4.
[112] Mal. 4, 2.
[113] Hebr. 1, 3.
[114] Io. 10, 34.
[115] Ps. 81, 6.
[116] *Rufinus*, Historia monach. c. 16 (*Migne*, PL XXI 435 C).
[117] Cf. Ezech. 1, 14; Luc. 17, 24.
[118] Ezech. 34, 12.
[119] Luc. 6, 17.

Digitized by Google

quod ostensum est vobis in monte[120], ad quem *princeps pastorum*[121] Iesus docturus apostolicas oves ascendit, quo vos, qui fidem docturi moresque extirpaturi corruptos inter hos convenistis Tridentinos montes, operam detis, ut ab eis mundarum *aquarum sapientiae salutaris*[122] rivi affatim defluant in imas valles, hoc est sitientes oves. Ita fiet, ut irroratione[a] vestra ecclesiae terra pinguescat et animorum aestus sitisque temperetis ardorem atque haeresum extinguatis flammas. Cumque pastorum sit insomnes noctes diesque anxios in montibus ducere, ne quid callidus fur, ne quid luporum astuta feritas perniciosum moliatur charo gregi, vos, qui pastorum evangelicorum titulis ac dignitate estis honestati quique inter hos agitis Tridentinos saltus, sic custodite oves, quae niveo ac divino vestitae sunt vellere et coelesti germine perfoecundae, ut non modo pro eis tuendis laboriosissimo utamini pervigilio, verum etiam vestrae quoque vitae dispendio earum salutem defendatis, ne eas lupi, hoc est haeretici, dissipent, rapiant[123], dilanient. Episcopi estis, Patres, *hoc est superintendentes*[124]. Curate ergo, ut e sublimi hac sacrae huius synodi specula veluti boni atque oculati speculatores[125] vigilesque custodes procul denuntietis lupos, hostes sceleratos, schismaticos atque haereticos, quo se audita vestra voce *oves* omnes in loca recipiant tutiora et, quae dispersae sunt, colligantur et *errantes*[126] reducantur ad gregem.

Haec ut praestare, Patres, possitis, sedete! Christus enim conscenso monte sedit, ut (secundum Augustinum) *magisterii* ostenderet *dignitatem*[127]. O quanta est sessionis patrum in concilio authoritas magisterii. Hanc agnoscite, Patres, agnoscite (inquam) potestatem, qua in hoc loco sancto vos Deus exornari voluit, ut decernatis, definiatis, statuatis, ut iudicetis, ut condemnetis, sicut *spiritus sanctus*, vester et patronus et moderator, *vobis suggesserit*[128]. Agnoscite insuper summum Dei in vos beneficium, quos hac tempestate e numero selegit hominum totius orbis, ut[b] ad sui gloriam *destruatis et evellatis*[129] errores et haereses omnes plantatisque virtutibus collapsam religionem (cuius publicum bonum a vobis pendet) in antiquum nitorem revocantes christianae rei publicae vitam et tranquillitatem largiamini. Atque si usquam, o gregis christiani pastores, summus ille pastor Christus vobis est sequendus, si usquam eius sancti imitandi, si usquam fuit tempus, quo vestris sanctis sessionibus, vestra cura et patrocinio orbi christiano consulendum esset, si usquam ecclesiae calamitates amaris essent deflendae lachrymis, hic et nunc potissimum his omnibus locus est, ubi tantum mare impietatum, dissidiorum, schismatum, haeresum inundat in christianam rem publicam, ubi ferus ille Goliath Deo maledicit ac Israelitico populo insultat[130], ubi *Phassur* in *Ieremiam*[131], *Balthasar* in *vasa* Domini[132] manus extendit sacrilegas, ubi haeretici *polluerunt sanctuarium Dei*[133], conspiraverunt in sanctam Romanam ecclesiam et abstulerunt *omnia desiderabilia eius*[134], Petri sedem vilipendentes, Christi sacramentis detrahentes, patrum sanctorum decreta despicientes, sacerdotes Dei exibilantes.

Nunc ecclesiam matrem derident filii, domestici spernunt, dereliquunt amici, custodes deserunt et haeretici impugnant. Nunc impius Ieroboam insurrexit[135]. Nunc schismaticus populus *liberioris vitae [iter]*[135a] appetens *recessit a domo* et familia nostri veri *David*[136]. Nunc novi *magistri prurientes auribus*[137], *magistri mendaces*, *pseudoprophetae introducunt sectas perditionis*[138], dum hic videas Lutheranos, illic Zuinglios, isthic Catabaptistas et alios ex isto furfure. Nunc non ad Christum cum discipulis in monte, sed ad *vitulos aureos*[139] et ad excelsa idolorum delubra[140], relicta Ierusalem, relicto Dei templo, neglecta vera religione communique ordinatione ecclesiae catholicae spreta, miseranda populi multitudo confluxit.

Et (quod non sine maximo cordis dolore dicere valeo) hoc etiam infoelici nostro seculo quidam impugnant, immo vero quidam omnino reiiciunt sanctorum intercessionem atque tollunt (proh dolor) eorundem supernorum civium, qui nobis apud Deum praesidio esse solent, venerationem, solemnitates abrogant. De his tamen dicere, etsi in animo erat, supersedebo, tum, ne multis vos, Patres, morer, tum maxime, quod hos omnes, qui a nobis dissen-

[a] *ibid. Tej.* irrogatione [b] *ed. pr. Lov.* aut

[120] Exod. 25, 40; Hebr. 8, 5.
[121] 1 Petr. 5, 4.
[122] Eccli. 15, 3.
[123] Cf. Io. 10, 12.
[124] *Hieronymus*, epist. 146, c. 1 (CSEL LVI 309, 21 adnot.). Cf. *Augustinus*, De civitate Dei XIX, c. 19 (CChr. XLVIII 686, 28s.). *Idem*, Enarr. in Ps. 126, c. 3 (CChr. XL 1858, 23ss.) et serm. 94 (*Migne*, PL XXXVIII 580).
[125] Cf. Ier. 6, 17; 2 Petr. 1, 16.
[126] 1 Petr. 2, 25.
[127] De sermone Domini in monte I, c. 1, 2 (CChr. XXXV 3, 47).
[128] Cf. Io. 14, 26.
[129] Ier. 1, 10.
[130] 1 Reg. 17, 4ss.
[131] Ier. 20, 1s.
[132] Dan. 5, 2s.
[133] Lev. 21, 12; Num. 19, 20; Ps. 78, 1; Ezech. 23, 38.
[134] Thren. 1, 10.
[135] 3 Reg. 11, 26ss.
[135a] *Ovidius*, Fasti III 778.
[136] 3 Reg. 12, 19.
[137] 2 Tim. 4, 3.
[138] 2 Petr. 2, 1.
[139] 3 Reg. 12, 28ss.
[140] 3 Reg. 15, 12ss.

Digitized by Google

tiunt, speramus Dei beneficio in sacrosanctam hanc synodum brevi conventuros ac divini spiritus gratia rationes omnes et fidei et doctrinae nostrae una nobiscum ita probaturos, ut et commune hoc beneficium ecclesiasticae tranquillitatis tam ab omnibus expetitum brevi in ecclesia sentiamus et illi ad sanctorum venerationem excitati atque accensi illorum intercessione ecclesiae matris vocem audiant ac eius mandatis saluberrimisque statutis libenter atque ex animo obse|quantur. A 4v

Nos tamen interim (ut eo, unde egressus sum, redeam) sedulo ac diligenter expendamus, quorsum servator noster tam laudet paupertatem spiritus, mansuetudinem, luctum, munditiam cordis, esuriem et sitim iustitiae, patientiam denique in persecutionibus[141], nempe quia, sciens neminem *gloria et honore coronari*[142] debere, *nisi qui legitime certaverit*[143], et *vincentis* esse *manna*[144] illud aeternae dulcedinis, volebat ab inanissimis honoribus, a pravarum cupiditatum venenis ac caducis sensuum oblectamentis nos abducere, quo expeditius ipsum ducem milites sequamur palmam adepturi. Id quod Paulus, egregius Christi miles, monuit: *Sic currite*, inquit, *ut comprehendatis. Omnis autem*, *qui in agone contendit*, *ab omnibus se abstinet. Et illi quidem*, *ut corruptibilem coronam accipiant*, *nos autem incorruptam*[145]. Ut sicut in terreno agone, qui volunt vincere, se continent a potu nimio, cibis quibusdam aliisque rebus suavibus, ita et nos omnia impedimenta et offendicula submoveamus, quae cursum nostrum remorari possunt, dum ad *bravium*[145] festinamus. Atque id summo studio et diligentia consyderemus, si ii, qui certant in popularibus istis certaminibus, nihil non tum faciunt, tum patiuntur, quo plebis applausum, quo vilem et perituram corollam auferant, quanto magis par est eadem facere nos, quo non mox peritura commoda, non humanam laudem, sed plausum a coelestibus aulicis et *immarcessibilem*[a] immortalitatis *coronam*[146] consequamur?

O extremam mortalium dementiam, o caecas hominum mentes, qui non modo non perpendimus magnitudinem, dignitatem et aeternitatem tanti praemii, verum etiam, quum nihil nisi foelicitatem appetere videamur, eam tamen propositam aversemur, et tam *periculosa alea*[147] sic simus somniculosi, ut advertere nolimus, quam manifeste praecipites in aeternam ruimus mortem, quibus promittitur foelicissima ac sempiterna vita, cum qua si haec calamitosa conferatur, vix horulae, vix momenti instar habet. Quaenam est haec tam aperta vesania? Quae tam manifesta ebrietas, ut confidamus reperiri posse in doloribus voluptatem, salutifera in pestiferis, dulcia in amaris, in mobilibus quietem, vera in falsis et in morte vitam? Nec observamus, quam sint dolosi honores, qui umbram potius quam veritatem foelicitatis ostendentes, ideo ad *altissimos dignitatum gradus*[147a] nos[b] extollunt, ut in miseriam et servitutem a sublimi *fortunae rota*[147b] (cui stabile non est cacumen) capitali ruina subito praecipitent! Quam spinosae divitiae[148], quae cogitationum suarum punctionibus tranquillum animum mille curis dilaniant! Quam falsae voluptates, quae ideo suavibus laqueis mentes nostras illaqueant, ut eas strangulent atque in omnem vitiorum voraginem coenumque prosternant! Quam breve, momentaneum, incertum, umbratile, imaginarium, fugax atque falsum est omne illud, quod haec omnia simul (etiam si ex voto affluant) praestare nobis possunt. Contra vero, quam magna, quam stabilia et promissa et parata sunt iis, qui contemptis praesentibus illam suspirant patriam, ubi nihil obest nihilque deest, ubi erit *vita quieta*[149], vita[c] tristitiae nescia, vita ignara mortis, vita totius elegantiae et dignitatis plenissima, ubi *iusti in perpetuum vivent*[150] *fulgentes sicut sol*[151], similes facti *angelis Dei*[152], ubi *saturabuntur*, *quum apparuerit gloria* eius[153], qui solus *desiderii nostri* amplitudinem *implet*[154] solusque animas nostras beat. Expergiscamur igitur, qui somno tam profundo sumus consopiti! Ascendamus ad montem cum electis Christi discipulis! Meminerimus terram non nobis patriam esse, sed coelum[155], in quo sancti feliciter regnant[156], quorum si placet foelicitas, placeat et vita. Erudiamur ut ipsi ad iustitiam evangelicam, contemnamus ut ipsi momentaneas voluptates, evanida gaudia, perituras divitias! Atque (ut divus ait Leo) *sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant*, *ad aeterna praeelectos peritura non occupent*, *viam ingressos veritatis fallaces illecebrae non retardent*[157].

[a] *ibid. sic* [b] *Lov.* non [c] *om. Lov. aliaeque edd. sequentes*

[141] Matth. 5, 3–10.
[142] Ps. 8, 6; Hebr. 2, 7.
[143] 2 Tim. 2, 5.
[144] Apoc. 2, 17.
[145] 1 Cor. 9, 24s.
[146] 1 Petr. 5, 4.
[147] Cf. supra adn. 2.
[147a] *Cicero*, Post red. in senatu 2. *Idem*, Pro L. Murena 47.
[147b] *Idem*, In L. Pisonem 10, 22.
[148] Cf. Luc. 8, 14.
[149] 1 Tim. 2, 2.
[150] Sap. 5, 16.
[151] Matth. 13, 43.
[152] Matth. 22, 30.
[153] Ps. 16, 15. [154] Ps. 102, 5.
[155] 2 Cor. 5, 1s.; Eph. 2, 19; Phil. 3, 20.
[156] Rom. 5, 17.
[157] *Leo I*, serm. 74, c. 5 (CChr. CXXXVIII A 459, 101–103).

Digitized by Google

Denique, Patres, excitet nos ad virtutem et[a] laborem spes immortalitatis; nam angusti animi atque demissi est tam gloriosi triumphi honorem contemnere, et qui sub Christi vexillis militamus stipendium perenne ab eodem expectantes, praeparemur ad agonem mente integra, *fide firma*[158], spe certa, *charitate perfecta*[159], virtute robusta; nam *regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud*[160]. Ad quod obtinendum certandum haud dubie est omnibus nec levi quidem certamine, sed vobis praesertim, Patres, qui hic contenditis, *contra spiritualia nequitiae*[161], contra diabolum et angelos eius, contra iniustitiam et impietatem contraque haereticorum omnium incursus. Magnus est iste agon, in quo spectaculum multis exhibetis[162]. Spectamini enim a Deo optimo maximo, *agonotheta*[163] vestro, spectamini ab eius angelis et sanctis, spectamini a Beatissimo Iulio, pontifice summo, nec non a Carolo Caesare, imperatore augustissimo, quorum uterque nihil aliud quam foelicissimum huius concilii exitum precatur et avidissime exoptat. Spectamini denique et a regibus principibusque universis et ab ecclesiis et subditis vestris. Curate igitur, sanctissimi Patres, ut publicam orbis de vobis spem non fallentes ita tantos rerum motus componatis, ita laetam et optatam tranquillitatem reducatis omnibus, ut resipiscentibus vel profligatis ecclesiae hostibus gloriosissime et sanctissime triumphetis. Aderit vobis (mihi credite) summus imperator Christus, quem habetis doctorem, ductorem et victorem. Ipsum pro virili sequamini, qui suae vult vos victoriae esse participes. Aderunt et sancti Dei amici et insuperabiles bellatores, qui illustre triumphi exemplum vobis reliquerunt. Quorum si boni fueritis *imitatores (sicut et* ipsi *Christi*[164]*)*, sudorum vestrorum percipietis fructus, laborum praemia, certaminum bravia, virtutis denique amplissimas reportabitis ac sempiternas retributiones.

Dixi[165].

[a] *om. Lov. aliaeque edd. sequentes*

[158] Col. 2, 7.
[159] 1 Io. 4, 18.
[160] Matth. 11, 12.
[161] Eph. 6, 12. [162] Cf. Hebr. 10, 33.
[163] *Tertullianus*, Ad martyras c. 3, 3 (CChr. I 5, 23s.). *Hieronymus*, epist. 71, c. 2, 1 (CSEL LV 3, 1).
[164] 1 Cor. 4, 16; 11, 1.
[165] An in sacris solemniis die dominica 8. Novembris celebratis oratio habita sit et quis eam habuerit, ex Actis Massarelli non apparet; cf. Conc. Trid. VII, I 300, 29s. — Item incertum est, quis die dominica 15. Novembris sermonem fecerit, quia Massarellus nihil aliud rettulit nisi hac die hora 20 congregationem generalem habitam esse, ibid. 321, 32. — Neque de die dominica 22. Novembris ex Actis Massarelli aliud cognoscimus nisi iam hora 15 patres deputationis coram legato convenisse, ibid. 333, 51s. — In sessione quarta (25. Nov. 1551) Coriolanus Martyranus, *episcopus S. Marci, habuit elegantem orationem*, ibid. 343, 16, quam vide ibid. 368, 34–371, 54. — Die dominica prima adventus (29. Nov.) Desiderius de Verona ord. Praed. et die dominica secunda adventus (6. Dec. 1551) Sigismundus Phaedrus Diruta OMConv., concionator Christophori card. Tridentini, in missa consueta concilii orationes habuerunt, ibid. 372, 6. 9s., quae vero non iam exstant.
Ceterum iam mense Maio 1551 mos institutus erat *hactenus in concilio semper observatus, ut, antequam oratio tam ab episcopis quam aliis quibuscunque publice in ecclesia coram patribus concilii habeatur, revideatur et examinetur a praesidentibus, ne quid minus prudenter vel catholice vel pie in concilii dedecus proferatur*, Conc. Trid. II 231, 27ss.

Digitized by Google

3.

Fr. Leonardus Aretinus ord. Erem. s. Augustini

De christiana professione oratio et ad sanctissimum magni illius praecursoris servatoris nostri imitandum exemplar viro christiano a s. ecclesia propositum et recitatum humilis et pia hortatio

habita ad amplissimos patres concilii Tridentini[1]

Tridenti, die dominica III adventus [13. Decembris] 1551

Etsi saepius cogitarim, R^me^ huius sacrosancti oecumenici concilii legate, Ill^me^ Tridentine princeps, duo ecclesiae lumina, Praesides R^mi^, Electores sapientissimi, nuncii et interpretes illustrium orbis principum consultissimi, pastores boni et vigilantissimi, Patres longe R^mi^ astantes, omni virtutum genere ornatissimi, etsi saepius cogitarim diuque memoria repetere et animo menteque revolvere non destiterim ab eo, quod hoc mihi dicendi munus iniunctum est a maioribus meis, quorum authoritati reluctari nec possum nec debeo, quae verba mihi inveniri possent, quibus de christiana professione, quod primum mihi dicendum proposueram, aliquid vestra virtute dignum in medium afferrem, deinde eximii illius praecursoris servatoris nostri sedulitatem et operam pro *domo Domini, quae est ecclesia Dei vivi*[2], laudarem et vos tanto eius exemplo ad universae rei publicae christianae vestrae fidei et pietati commissae gloriam et incrementum adaugendum pie exhortarer, vel denique vestram humanitatem, qua adducti me attentissimis animis summa cum benignitate auditis, debita veneratione prosequerer, omnia tamen ita mihi cum ingenio, doctrina et ocio deesse verba cognovi ad ea, quae optabam, perficienda, ut in me nihil prorsus aliud esse viderim, quam quod orationi fidem et oratori dignitatem et authoritatem auferre possint. Dum vero haec non animum, sed timorem augerent magisque ex sententia videretur opus recusandum esse quam prosequendum, ne tamen diu tenerem, hunc mihi consilii exitum tandem adinveni[a], quod ecclesiasticae lectiones sic divino dispensantur arcano, ut peritis scientiam afferant cumulatiorem, rudibus vero, qualem et me etiam annumerari[b] volo, salutaris intelligentiae gratiam largiantur. Non itaque eam mihi dicendi facundiam opus esse putavi, non illo eloquentiae fonte nitescere, quo Demosthenes, ille graecae facundiae interpres, aut latini eloquii lumen Cicero calluerunt, non eorum arte, quorum *quasi torrens*[3] repentinis auctus imbribus nuper haec ornatissima subsellia oratio ferebatur et hominum mentes rapiebat, tenebat, apprehendebat cohercebatque[4], sed tantum illius mihi gratiam sufficere existimavi, qui *corda fidelium sancti spiritus illustratione docuit*, ut *det nobis* omnibus *in spiritu* sancto congregatis *recta sapere et de illius semper consolatione gaudere per Iesum Christum*[5], servatorem nostrum, cuius ego ope fretus et vestra pietate confisus, quid de christiana professione sentiam, brevi, qua in re divinum imploro auxilium, explicabo. Venetiis 1552 Ee 6r

Christiana professio est imago virtutis rationabiliter animata, interius et exterius laudabiliter vivens, in nullo deficiens, quod suam exprimat perfectionem. Ecce, quam brevibus, non, inquam, elaboratis aut nimio plus disertis verbis, sed magis piis et ad intima spiritus penetrantibus et corda audientium in Deum transformantibus pii et catholici patres veram *christiani*

[a] *Lov.* inveni [b] *ed. princ.* et numerari

[1] Massarellus, qui in Actis concilii rettulit Franciscum Senensem in missa concilii die 13. Dec. 1551 in ecclesia cathedrali habita sermonem dixisse (Conc. Trid. VII, I 405, 10; cf. *H. Jedin*, Geschichte des Konzils von Trient III, Freiburg 1970, 518, adn. 1), errore deceptus esse videtur. Nam in collectione Actorum, quae ineunte anno 1552 Venetiis in lucem edita est, oratio eodem die ad patres concilii habita F. Leonardo Aretino adscripta est (*Generale concilium Tridentinum*, Venetiis, *ad signum Spei* 1552, f. Ee 6r–Ee 8r; cf. *G. Calenzio*, Esame critico-letterario delle opere riguard. la storia del concilio di Trento, Roma–Torino 1869, 134. *Idem*, Documenti inediti l. c. 529). Quam editionem principem secuti sumus. Eadem oratio recepta est in collectionem Lovaniensem (*Concilium Trid., hoc est Canones et decreta* ..., Lovanii 1567, p. 71–75) eidem Leonardo Aretino tributa. Posteriores collectiones eam repetiverunt: *Labbe-Cossart* XIV, 1073–1079; *Mansi* XXXIII 349 C–355 C; *Le Plat* I 209–216, quae omnes Leonardum praedicatorem illius diei fuisse indicant. De eo cf. *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento, El Escorial 1947 (ex ephemeride *La Ciudad de Dios* CLVIII), 35.

[2] 1 Tim. 3, 15. [3] Ier. 47, 2.

[4] Nescio an intelligenda sit oratio, quam Sigismundus Phaedrus Diruta die dominica secunda adventus (6. Dec. 1551) habuerat, Conc. Trid. VII, I 372, 10.

[5] Missale Rom., missa dominicae pentecostes, oratio.

Digitized by Google

militis professionem descripserunt[6]. Ut vero nullo unquam tempore vetitum esset mortalibus huius pulcherrimae imaginis speciem et formam intueri, sed eam in se ipsis quotidie tanquam in speculo contemplari liceret, hanc ipsam omnium opifex in primo parente quasi in aurea quadam tabella abumbratam inenarrabili quodam, mirabili tamen artificio effinxit, quem virtutibus ornatum, scientiarum splendore coruscum, gratia praeditum, non ocio debentem[a] existere, sed ut operaretur, in *paradiso* posuit *deliciarum*[7]. Unde minus obediens explosus, virtutibus spoliatus, vulneribus affectus, sauciatus et *semivivus relictus*[8], ita et se et mortales omnes omnium generum iniustos, mendaces, vanos ac ipsa inanitate inaniores reddidit, ut, nisi novo desuper spiritus afflatu renovati fuissent et eorum animis pulcherrima haec *imago*[8a], qua primus parens decoratus et sua culpa spoliatus fuerat, reformata, omnes sathanae obsequio addicti aeterno illo bono, ad quod maxime adniti decet, privati fuissent.

Ee 6v Sed clementissimus Deus, qui ad suam *in|finitam bonitatem*[9] declarandam coelum et terram et reliqua, quae amplissimo coeli complexu cohercentur, creavit, cuius tanta est magnitudo liberalitatis, ut creaturas omnes novis semper beneficiis exornare nunquam intermittat, qui *erat in Christo mundum reconcilians sibi*[10], cui multa iam secula gravissime *iratus* atque offensus *fuerat*[11], more pii patris animo benefico ac liberali et ad hominem iuvandum admodum propenso, ecce *ex iniustis iustos* reddit[12], peccata omnia condonat, spiritum suum impartitur et hominem ipsum non modo in priorem statum, sed illo meliorem reponit, nempe nos *in filios* suos *adoptatos*[13], promptos, alacres, paratos et ad omnia virtutum officia propensiores reddit. Reconciliandi modum insinuat apostolus. *Cum inimici*, inquit, *Deo essemus*, *reconciliati sumus per mortem filii eius*[14], *cuius* nos voluit *esse participes*[15], modo eiusdem generis christiani simus, qui veram fidei imaginem sic gestemus, ut non quasi rationis, eruditionis et pietatis omnis expertes, flagitiosi et turpiter vivamus, cuiusmodi sunt quam plurimi, qui se Christianos numerari volunt, cum Christi tamen similes in vivendo esse nolint. Horum imago non imago virtutis laudabiliter vivens est, sed instar illius, quae lapidibus affixa, omni opere carens, ratione insuper et sensibus exterioribus destituta, cuius cor, mens, animus, intellectus lapis est, quae omnia veri hominis similitudinem exprimunt et non proprietatem.

Veros Christianos in Christo effingit sanctissimus virorum coetus in actis suis. *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo*[16]. Bonis itaque operibus nobis vitam aeternam promereri posse donavit, ut per illa satagemus certam facere vocationem nostram. Atqui ex eorum numero sunt, qui veram christiani militis imaginem deturpari, virtutem sibi adeo indictam ocio sordescere, preciosum tempus nobis ad benefaciendum a natura oblatum per socordiam et ignaviam gravissima puniendam iniuria deperdi sinunt, qui tantum Christum passum sibi ad salutem sufficere putant sicque sese Christianos probos iactant. Nonne *cor eorum vanum est*[17] et *lingua mendax*[18] et *veritas* in illis *non est*[19]? Nonne Christum ipsum impiorum ducem constituunt?

Ad quid quaeso, Patres amplissimi, Christum, *viam*, *veritatem et vitam*[20], *ad erudiendum*[21] et iuvandum hominum genus venisse putandum est, quam ut nos ipsos, steriles, inquam, atque *infructuosas arbores*[22], spiritu suo vivificaret, quo uberrimos virtutum *fructus* Deo patri acceptissimos *redderemus*[23]? Sub tropo nobilissimi et ingenui animi viri *in regionem longinquam abeuntis*[24] servator noster docuit, quid potissimum eos agere oporteat, qui vere Christi sunt, spiritualem, inquam, mercaturam, sed et fructuosam hancque et quaestuosam nos Dominus, quamdiu in hoc mundo degimus, exercere voluit, qui tam pecuniae nobis datae quam lucri, quodcumque ex illa *superlucratum fuerit*[25], exactissimam sumus *rationem reddituri*[26]. Quod si talentum ipsum non ociandi, sed negociandi sua liberalitate nostrae libertati donatum aut humi suffossum[27] aut *sudario* obvolutum[28] absconderimus, auferetur profecto *talentum ab eo*, qui id habere videtur, et adhuc *habenti dabitur*[29]. Quid in hoc, Patres, sibi voluit servator, nisi ut ignavorum[b] et inertium

[a] *Lov. et edd. sequ.* defluentem [b] *ed. pr.* ignavium

[6] Cf. *Des. Erasmus*, Enchiridion militis christiani, ed. *H. Holborn*, Des. Erasmus, Ausgew. Werke, München 1933, 22–136.
[7] Cf. Gen. 2, 8ss.; Ezech. 28, 13.
[8] Luc. 10, 30.
[8a] Cf. Gen. 1, 26s.
[9] Missale Rom., missa pro gratiarum actione, oratio
[10] 2 Cor. 5, 19.
[11] 2 Mach. 5, 17.
[12] Sess. VI, decr. de iustificatione c. 7 (Conc. Trid. V 793, 27).
[13] Cf. Rom. 8, 15. 23; Gal. 4, 5.
[14] Rom. 5, 10.
[15] Hebr. 3, 14; 12, 8.
[16] Act. 10, 38.
[17] Ps. 5, 10.
[18] Prov. 26, 28.
[19] Io. 8, 44; 1 Io. 2, 4.
[20] Io. 14, 6.
[21] 2 Tim. 3, 16.
[22] Iudae 12.
[23] Apoc. 22, 2.
[24] Luc. 19, 12.
[25] Matth. 25, 20.
[26] Matth. 12, 36.
[27] Matth. 25, 18. 25.
[28] Luc. 19, 20.
[29] Matth. 25, 28s.; Luc. 19, 24. 26.

Digitized by Google

hominum negligentiam et cessationem Deo odiosam ostendat eosque, quorum mens ocio sordescit, indignos liberalitatis et divinae haereditatis astruat, ut nulla sit eis sors in regno Christi et Dei?

Ad evangelium revertamur[a].

Huius causa Ioannes missus est non modo, ut Christum longe ante promissum, diu a patribus desideratum iam advenisse nunciaret, sed quales eos esse oporteret, qui illius participes fieri cupiunt. Quod sub brevi sacrosanctae lectionis evangelicae nuper decantatae periodo[30] in sanctissimo hoc viro et Deo acceptissimo nobis videre est.

Posteaquam enim *sacerdotibus et levitis* Iudaeorum, quos *principes* et pharisei de tribu Iuda *nobilissimi*[31] *ab Hierosolymis*, — locus, inquam, sacer, in quo tantum *adorari* fas erat[32] — ad Ioannem *miserant*, *ut*, quisnam esset, *interrogarent*, intrepide respondit et se *non esse Christum* ingenue *confessus est*[33] sciens eundem honorem nulli mortalium competere magis quam ipsi Christo, propter quem ipse Ioannes, ut ei *viam pararet*[34] et *testimonium* de illo *perhiberet*, in mundum *missus est*[35]. Ad haec et, num *Helias* esset, instanter contendentibus se Heliam esse apertissime negavit[36], quamvis *in spiritu et virtute Heliae*[37] sancto poenitentiae exercitio et praedicationis officio recte se ostenderet, similiter nec *prophetam se esse* voluit[36], eorum nempe, qui venturum Messiam a longe praedixerant, sed praecursorem, qui *agnum Dei* venientem, *peccata mundi auferentem*[38], *in spiritu baptizantem*[39] nunciaret et publice praedicaret et digito ostenderet. Sicut etiam scriptura testatur, quod necessum sit omnes prophetas in vetus testamentum relegare (qui *omnes* et ipsa *lex usque ad Ioannem prophetarunt*[40]), se vero ad novum pertinere, qui nedum propheta, id est a longe, sed *plus quam pro|pheta est*[41], cuius in officio maior nullus surrexit. Ee 7r
Vel denique, cum non se verbum, sed verbi *clamantis vocem* manifeste vocavit[42], statim, quid Christum recepturis potissimum agere conveniat, sub Esaiae testimonio ostendit, cum subdit: *Dirigite viam Domino*[43]. O praeclarum, sanctum et salutare verbum, cunctorum fidelium cordibus intimius quam, ut dici possit, nunquam non retinendum. Non modo in synagogis Galileae ad errantium Iudaeorum mentes diriguntur haec verba, viri Patres, sed cunctorum magis fidelium, quotquot christianam veritatem profitentur, corda petunt, excitant et impellunt.

Dirigite, inquit, *viam Domino*[43], o christiani milites! Si enim Dominum vestrum ut filii timetis, *fidelis servi et prudentis*[44] iussa suscipite. Si regem vestrum veneramini, nuncii et praeconis edicta intelligite. Si verbum, *in quo* Deus *sibi complacuit*[45], audire contenditis, verbi *clamantis vocem* arripite. Sed quaenam haec vox? *Dirigite viam Domino*[b]. Quid ergo faciemus, quo tutior via Domino dirigatur? Via Domino dirigitur, cum Deus viva fide corde concipitur et opere sanctitatis exempla monstrantur. Ut ergo *Dominum dominantium*, *regem regum*[46], *Dei verbum*[47] hilares animo, alacres mente, purgati corde Dominum timere, regem suscipere et[c] verbum concipere diuque retinere animo, mente et corde valeamus, viam Domino dirigamus. *Rectas facite semitas Dei nostri*[48], id est conscientiarum nostrarum spinae radicibus prorsus evellantur. Quae spinae, quot et quales sint, nec meum est nec loci authoritas nec vestra gravitas nec temporis malitia [dicere] permittunt. Id tamen sat mihi tunc dictum fuisse puto, dum eas ipsas quemlibet in se ipso experiri et pungentes sentire affirmem *testimonium reddente* unicuique *propria conscientia*[49], arguente et defendente, ita divina ordinante iustitia, ut male agens sibi ipsi poena sit.

Spinae itaque conscientiarum nostrarum sic *evellantur*[50], ut venienti *agno*, *qui tollit peccata mundi*[38], aditus fidei pateat. Et cum intraverit, magis in pietatis operibus insudemus, ne nostra incuria[d] aut daemonis *astutia*[51] *tollatur verbum de corde* nostro, *ne salvi* simus[52]. Sed ne, quos occupatissimos video, magis occupem hac brevi sacrosanctae lectionis hystoria, hoc uno divi Ioannis exemplo pastores omnes ecclesiarum mihi moneri videor, ut, sicut enim ipse *missus est* in mun-

[a] *om. ed. pr.; add. Lov. et edd. sequ.* [b] *ed. pr. in marg. haec adnot.:* Quod sit Domino dirigere viam
[c] *om. Lov. et edd. sequ.* [d] *ed. pr.* iniuria

[30] Die domin. III adventus in missa legitur evang. Io. 1, 19–28; cf. Missale Rom.
[31] Num. 1, 16.
[32] Io. 4, 20.
[33] Io. 1, 19s.
[34] Luc. 1, 76; Io. 1, 23.
[35] Io. 1, 6s.
[36] Io. 1, 21.
[37] Luc. 1, 17.
[38] Io. 1, 29.
[39] Io. 1, 33.
[40] Matth. 11, 13.
[41] Matth. 11, 9; Luc. 7, 26.
[42] Matth. 3, 3; Luc. 3, 4; Io. 1, 23.
[43] Isai. 40, 3; Io. 1, 23.
[44] Matth. 24, 45.
[45] Matth. 3, 17; 17, 5.
[46] 1 Tim. 6, 15; Apoc. 17, 14; 19, 16.
[47] Luc. 8, 11; Io. 1, 1. 14.
[48] Isai. 40, 3; Matth. 3, 3.
[49] Rom. 2, 15.
[50] 2 Reg. 23, 6.
[51] 2 Cor. 11, 3.
[52] Luc. 8, 12.

Digitized by Google

dum, *ut testimonium perhiberet de lumine*[53], ita illi sanctum et salutare Dei verbum ad subditas sibi oves suo labore pervenire curent, ad illas praesertim, quibus adhuc in deserto *Cedar habitantibus*[54] nihil de vera salutis via veroque lumine nunciatum est, his praesertim calamitosis temporibus, quibus pauci admodum in ecclesia Dei doctores docent, paucissimi vero e media plebe sunt, qui docendi officium sibi[a] non assumant. Nullus est vestrum, Patres, qui ignoret talibus ecclesiae opus esse[b] pastoribus, qui cum Ioanne Baptista et verbo doceant et exemplo sancto aedificent. Nulli minus octiosi esse debent, quam quibus aliorum cura demandata est. Providete igitur vobis, Patres, et *gregi* vobis commisso, quos *spiritus sanctus posuit regere ecclesiam*[55]. Et si ullum unquam fuit tempus, in quo ecclesiae vobis commissae vestra opera egerent, en hoc adest, in quo non modo corrupti sunt mores hominum, sed ob haereticorum versutiam ad hinc triginta et tres annos et amplius *fides* ipsa, nostrae *salutis initium*[56], nutet et pene corruat.

Ad hos errores tollendos, ad has insurgentes in ecclesiam haereses propulsandas et expellendas ecclesiae antistites et seniores spiritu sancto edocti generalia, quae et *oecumenica* dicuntur, sacrosancta concilia constituerunt. Quibus in conciliis membris male affectis necessaria et opportuna remedia adhibentur, ne morbus iste paulatim serpendo aut latius se diffundendo totum Christi corpus commaculet, sed, si fieri possit, *quod infirmum* et languidum est[57], sanitati restituatur, quo *gaudium* sit angelis Dei *in coelo super* eiusmodi *peccatoribus ad poenitentiam* conversis[58] *medio*que ablato *pariete*[58a] *iucundum sit habitare fratres in unum*[59]. Causa quidem, quamobrem concilia celebrari solent, haec est; sed utinam Deus huic tam diu inchoato concilio prosperos successus det, quos *inimicus homo*[60], id est diabolus, impugnare, impedire et perturbare conatus est. Nec ab re. Quid enim magis odit omnium discordiarum auctor diabolus quam omnium nostrum concilia? Quid tam adversarium tamque regno suo infestum videt quam sanctissimos hominum coetus, in quibus spiritu sancto moderante et eorum, qui adsunt, mentes illustrante errores adversus orthodoxam fidem tolluntur, deperditi mores reformantur et omnibus demum malis medicina adhibetur, quae omnia ille omnium bonorum *osor*[60a] evertere conatur.

Hanc itaque sathanae adversus ecclesiasticam persecutionem vos, ecclesiae *lumina*[61] atque *columnae*[62], *manibus*, ut dicitur[63], *et pedibus* repellite. Vestrae enim partes sunt Christi virtute | Ec 7v atque ope reluctantem diabolum expellere ac Christi spiritu ipsum oppugnare, ut victoriam minime dubiam reportetis. Et veritatem ipsam, quam sathanas diu celare conatus est, vos e medio ducentes *super candelabrum* collocetis, *ut luceat omnibus* et singulis vere fidelibus, *qui in ecclesia*, Christi *domo*[64], *sunt*[65]. Ut vero hoc ipsum facere possitis, praesto erit vobis spiritus Dei, si totos vos illi commiseritis, si *omnem sollicitudinem vestram in eum proieceritis; ipsi* enim Deo *curae* vos estis[66]. *Docebit* profecto *vos omnem veritatem*[67]. *Non eritis vos*, *qui loquemini*, *sed spiritus patris vestri*, *qui* quod oportet *loquetur in vobis*[68].

Est enim, quae sunt fidei, apud vos decernendi potestas. Nec minor est in vobis, Patres, authoritas, quam semper in maioribus fuit. Non minor, inquam, quam fuerit apostolis Hierosolymae congregatis de legalium observatione decernentibus[69]. Non minus detestabiles errores nunc sunt, quam tunc extiterint. Non minus igitur ecclesia in praesenti opera vestra indiget quam unquam alias. Quinimmo longe maiori cura et diligentia utendum vobis est, quo haeresis ipsa latius se diffudit quam quaevis alia. Non modo foris, sed intus latet hic morbus et haeret in medullis. Pro quo tollendo necesse est, Patres, ut omni ambitione, omni arrogantia et humano affectu deposito non *abundetis in* vestro *sensu*[70], quem praecipue sanctarum scripturarum authoritas arguet atque convincet, sed tantum pia mente et sancto desiderio ecclesiae patribus consentientes, qui divinorum rationes nobis aperuerunt, tantum matri vestrae ecclesiae prodesse studeatis, ut a tantis cogitationibus, quibus nostra hac tempestate agitata est, conquiescat aliquando, ut inter cogitandum, loquendum et agendum idem omnes intelligamus, *idem sentia-*

[a] *om. Lov. et edd. sequ.* [b] *edd.* etiam

[53] Io. 1, 6s.
[54] Ps. 119, 5.
[55] Act. 20, 28.
[56] Sess. VI, decr. de iustificatione c. 8 (l. c. 794, 13).
[57] Cf. Ezech. 34, 16.
[58] Luc. 15, 7.
[58a] Eph. 2, 14.
[59] Ps. 132, 1.
[60] Matth. 13, 28.
[60a] *Augustinus*, De civitate Dei VIII, c. 17 (CChr. XLVII 235, 34).
[61] Cf. Matth. 5, 14. *Augustinus*, Enarr. in Ps. 118, serm. 23, 1 (CChr. XL 1741, 17).
[62] Cf. Gal. 2, 9. *Augustinus*, Enarr. in Ps. 74, c. 6 (CChr. XXXIX 1028, 16ss.).
[63] *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 4, prov. 15 (Opera II 157 B).
[64] 1 Tim. 3, 15.
[65] Matth. 5, 15.
[66] 1 Petr. 5, 7.
[67] Io. 16, 13.
[68] Matth. 10, 20.
[69] Act. 15, 6ss.
[70] Rom. 14, 5.

Digitized by Google

mus[71], *idem sapiamus*[72], et non [pos]sint reperiri amplius in aliquo *schismata*[73], *donec illucescat dies*[74], in qua *exultemus et laetemur in ea*[75].

Tu igitur, R^me ac Ill^me legate S^mi D. N. Iulii III pontificis maximi, cui ecclesiae salus et dignitas omni dignitate prior et singulis commoditatibus intimior semper extitit, cuius cordi nullum unquam maius incessit desiderium quam sacrosancti huius oecumenici concilii rite et recte absolvendi et ecclesiae reformandae, tu, inquam, eius authoritate fretus et tua tibi a summo Deo virtute indita suffultus, exurge, divina *accingere fortitudine*[76] et quasi alterum Mosen a Deo electum te puta, cui *in sinu* gestandi sint[77] ecclesiae filii.

Vos, sanctissimi Patres, spiritualibus armis muniti, indefessis viribus pugnate primum adversus daemonem, *adversus mundi rectores*[a] *tenebrarum harum*[77a], adversus hostes et impietatis [duces] praelia Domini! Inde omnibus nervis contendite pestiferum hoc venenum extirpare et laetale hoc vulnus curare, ne totum Christi corpus putrescat et pereat. Nullis laboribus parcite, ut tam multi, qui *a simplicitate, quae est in Christo* Iesu[78], *alienati*[79] et deteriores facti *a tenebris ad lucem*[80], ab errore ad veritatem, a Babilone ad sanctam Hierusalem, id est ad castissimam religionem reducantur, ut *Christo reconciliati*[81] ecclesiam, quam antea laniare studuerunt, revereantur et piam matrem agnoscant. Cuius vos filii, praecones et tubae, *quasi tuba exaltate vocem* vestram[82] et ad *ovem in deserto errantem*[83], ad prodigum filium *in longinquam regionem* abeuntem et *de siliquis* vesci *cupientem*[84] indefessis faucibus clamate ad ipsum, apertis ulnis currite et unanimes ipsum sic vocate: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui nec dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo et torques collo tuo*[85]. Neque consternari animo velitis tot tantisque temporum calamitatibus circumventi, etsi non omnes sanctae matris filii vobiscum sint, immo tanquam strenui Christi milites in tam atroci bello *fortiter dimicantes*[86] existimetis hoc pacto oblatam esse vobis occasionem declarandae virtutis vestrae et perhennis gloriae consequendae. *Non* enim *est Deo difficile in paucis salvare*[87], qui de se praesumentes humiliat et *pusillum* parvumque *gregem*[88] de ore eripit potentum[89], in eo, qui sperat, *non confundetur*[90].

Ne ergo terreamini, viri Fratres, est nobiscum sanctum ecclesiae caput, Iulius, sanctissimus pontifex maximus, quippe qui *omnia potest in eo, qui* nos *confortat*[91], qui nihil facere renuet pro tam salutari hoc negocio absolvendo, nullos fugiet labores, ubi noverit operam suam nobis profuturam. Agite itaque, sanctissimi Patres, pro *animarum* consolatione et *salute*[92] ⌈*in ferrum ruere*[93]⌉[b] pulchrum, immo et[c] *mori dulce et decorum*[94] omnes existimemus. Videtis omnium fidelium curam et negocium in vestris manibus positum. Omnium pax a vobis pendet. Date operam, ut, quemadmodum corporibus convenistis, ita mentibus atque animis conveniatis. Omnes dignum aliquid tanto concilio a vobis expectant. Non fraudentur sua *spe atque expectatione*[95] fideles, sed plura, quam sperant, assequantur, unde *gaudeant et laetentur*[96]. Omnes orant, ut ecclesiae consulatis. Non petunt ter|rena, non mundi huius bona, non quae corporis sunt Ec 8r
ornamenta, sed religionis reformationem, ut inutilia et quae parum *aedificant*, sed *destruunt*[97] potius, resecentur atque eorum loco fructuosa et quae Deo grata sunt, restituantur. Qua re perfecta *omnes Deum laudent*[98] et unanimes venerentur. *Exaudiet* profecto *Deus illos*[99] pro vobis orantes, cum *secundum eius voluntatem petant*[100]. Nolite itaque a tam pio opere incoepto *desistere*[101], sed fide ac spe roborati *non haesitemus diffidentia scientes, [quia] quicquid Deus promisit, potens est et facere*[102]. Eius enim promissio est: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*[103]. Ubi Christus est, ibi nec timoris suspitio aliqua esse debet. *Cessabunt* praesente illo *venti, mare et tempestas* et *obmutescent;* iubente illo erunt omnia *tranquilla*[104].

[a] *ed. pr. et Lov.* rhetores
[b] *ed. pr.* inferum ruere; *Lov. et edd. sequ.* periculum subire *[2 Mach. 11, 7]*
[c] *om. Lov. et edd. sequ.*

[71] Rom. 12, 16.
[72] Phil. 3, 16.
[73] 1 Cor. 1, 10.
[74] Prov. 7, 18.
[75] Ps. 117, 24.
[76] Prov. 31, 17.
[77] Num. 11, 12. [77a] Eph. 6, 12.
[78] 2 Cor. 11, 3.
[79] Col. 1, 21.
[80] Act. 26, 18.
[81] Rom. 5, 10; Col. 1, 22.
[82] Isai. 58, 1.
[83] Isai. 16, 8; 53, 6; 1 Petr. 2, 25.
[84] Luc. 15, 13. 16.
[85] Prov. 1, 8s.
[86] 2 Mach. 13, 14.
[87] 1 Reg. 14, 6.
[88] Luc. 12, 32.
[89] Cf. Ier. 31, 11.
[90] Ps. 30, 2.
[91] Phil. 4, 13.
[92] 1 Petr. 1, 9.
[93] *Vergilius*, Georg. II 503s.; Aeneis VIII 648.
[94] *Horatius*, Carmina III 2, 13.
[95] Phil. 1, 20.
[96] 2 Par. 7, 10; Thren. 4, 21.
[97] Cf. Ier. 24, 6; 42, 10.
[98] Luc. 19, 37.
[99] Ps. 54, 20.
[100] 1 Io. 5, 14.
[101] Eccli. 16, 27.
[102] Rom. 4, 20s.
[103] Matth. 18, 20.
[104] Cf. Matth. 8, 26; Marc. 4, 39; Luc. 8, 24.

Digitized by Google

Tunc aequatis tandem ac pacatis omnibus vos in tutiorem portum reducet. Tunc votorum facti compotes, tot susceptorum laborum, tot perpessorum incommodorum extra lares proprios recordatione laetabimini. Tunc tot difficultates superasse, tot discrimina pertulisse, tot naufragia et pericula subiisse pro Deo amore, pro fidei defensione, pro vera christiani nominis professione, pro sacrosanctae catholicae ecclesiae, matris vestrae, gloria et incremento gaudebitis. Tunc *erunt prava in directa et aspera in vias planas*, tunc *videbit omnis caro salutare Dei* nostri[105], *cui soli honor et gloria*[106].

Dixi[107].

4.

Fr. Everhardus Billick provincialis fratrum Carmelitarum inferioris Germaniae, theologus Coloniensis Oratio de circuncisione Domini

habita in concilio oecumenico Tridentino[1]

Tridenti, die 1. Ianuarii 1552

Venetiis 1552 F 2^{r}

Nisi existimarem, ⌈R^{mi}, Ill^{mi} amplissimique Patres et Domini, sanctae sedis apostolicae legati, praesides, principes electores, ecclesiarum Christi antistites, oratores Vosque auditores benevoli, omni cum eruditionis tum virtutum genere praestantissimi, nisi, inquam, existima-

[105] Isai. 40, 4s.; Luc. 3, 5s.

[106] Rom. 16, 27; 1 Tim. 1, 17.

[107] De oratione, quam Alexander Candidus OCarm. die dominica IV adventus (20. Dec.) 1551 in missa consueta habuit, cf. Conc. Trid. VII, I 420, 38s. et supra p. 5, adn. 33. — In missa solemni festi nativitatis D. N. Iesu Christi (25. Dec.) oratio habita non esse videtur; cf. Conc. Trid. VII, I 430, 4ss. — Postero die, in festo s. Stephani, Franciscus de Toro, familiaris archiepiscopi Granatensis, orationem ad conciliares habuit (ibid. 430, 11s.; cf. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 446), quae vero non exstat. — Die dominica 27. Decembris, in festo Ioannis evangelistae, Antonius Florebellus Mutinensis, secretarius card. Crescentii legati, in missa concilii consueta de laudibus d. Ioannis apostoli dixit, Conc. Trid. l. c. 430, 16s., quam orationem vide ibid. 430, 21–435, 24.

[1] De hac oratione Massarellus in Actis mentionem fecit, Conc. Trid. VII, I 437, 36. Auctor ipse iam die 24. XII. 1551 priori conventus Coloniensis OCarm. Doroler scripserat: „... praeter occupationes communes meditor orationem habendam ad synodum in Circumcisione Domini. Sic enim Patribus placuit, ut anni principium ego oratione aliqua auspicarer. Gropperus vero, qui locupletior est, offeret in epiphania cum tribus magis munera", Vindobonae, Bibl. Nat., cod. *Palatinus 13672*, 17^{v}. Die 7. I. 1552 Billick ad eundem scripsit: „Misi vobis per nuntium nuperam orationem, quam habui ad Patres synodi in die Circumcisionis, sed qualis ad manum aderat. Nam purius exemplar acceperat a me R^{mus} D. cardinalis Tridentinus, qui ipsum transmisit Venetias excudendum. Ne vero istud ab illo variet, mitto exemplaris illius correctionem, si forte voluerit Gennepaeus orationem excudere. Paucis vero accipiat R^{tia} V. correctionis istius rationem: Initio interserueram orationi invocationem versibus conscriptam. Sed iubebar invocationem auferre; non enim moris est praesente pontifice aut in concilio facere in orationibus invocationes particulares. Sed ipsum concilium habet suas invocationes publicas, praeter quas nullae imponuntur aliae. Cum autem obiecissem praesidibus me in orationibus ante me habitis ab aliis invenisse invocationes, quas essem secutus, responderunt illi, aliter orationes illas pronuntiatas, aliter impressas fuisse. Pronuntiatas absque invocatione, sed conscriptas fuisse cum invocatione atque ita impressas. Idem et mihi faciendum. Volui itaque invocationem, quando excuderetur, toti orationi praeponere, sicut habet exemplar, quod transmisi, ut absque hiatu decurreret oratio, sicut erat pronuntiata. Verum, quibus istud consilium meum communicavi, ab hoc proposito me revocarunt, quibus videbar rectius facturus, si invocationem cum sua introductione, quemadmodum in principio dictata erat, orationi interponerem. Quae est restitutionis istius ratio et certe praestat suo loco poni invocationem, quam orationi praeponi", Francofurti, Arch. civitatis, cod. *Carm. 47 b*, 282^{r}–282^{v}, et *Carm. 47 e*, 82^{v} (copiae saec. XVII). — Die 25. I. 1552 idem ad eundem scripsit: „Mitto orationem, quam habui in die Circumcisionis Domini quaeque tanto fuit excepta Patrum omnium applausu, ut dignam iudicaverint, quae excuderetur. Idem R^{do} D. praeposito [Bonnensi Gropper] accidit. Sed quoniam acerbe admodum in adversarios invectus est, non permittit ipse, ut excudatur, ne videlicet causam ipsis praeberet concilii istius iudicium detrectandi. Mea excuditur Venetiis distribuenda hic inter praesentes. Si velit eam Gennepaeus etiam Coloniae excudere, permitto. Puto enim multis non ingratam fore. — Postquam haec scripsi et consilium meum R^{do} praeposito [Gropper] aperui, quibus potui modis, eum induxi, ut et suam excudendam Coloniam transmitteret. Requiratur apud ipsius fratrem. Nam ei hoc ipsum permisit", Vindobonae l. c. 25^{v}–26^{r}. Cf. *A. Postina*, Der Karmelit Eberhard Billick (= EEJ II, 2–3), Freiburg 1901, 204, n. 130. 131. Eodem igitur fere tempore, anno 1552 ineunte, in lucem prodierunt editio Veneta (= *V*, in collectione, quae sub titulo: *Generale concilium Tridentinum continens omnia, quae ab initio usque ad finem in eo gesta sunt* emissa est *Venetiis ad signum Spei* 1552, f. F 2^{r}–F 8^{r}. Cf. *G. Calenzio*,

Digitized by Google

rem[1a] persuasum Vobis iam esse me non temere aut ultro hunc dicendi locum occupasse, sed illorum potius iussu atque imperio, quibus refragari non licet, eaque de causa, si non expectationi vestrae satisfacio, si non pro amplissimi huius consessus dignitate aut rerum dicendarum maiestate fuero munus istud exequutus, Vos facilem daturos veniam benigneque et humaniter, quodcunque acciderit, laturos, nullus profecto mihi nunc adesset animus nullaque prosequendi muneris coepti fiducia, praesertim cum non ignorem, et quanti sacrosanctum hunc coetum vestrum, eorum nimirum, quos Deus, qui omnia prudentissime, sed praecipue ecclesiam suam moderatur et gubernat, eidem regendae praefecit et apostolis potestate aequavit *lucem*que insuper huius *mundi* et *terrae salem* non dubitavit appellare[2], tantillus ego facere atque aestimare debeam, et quod illa sit rerum (quas hodie nobis ecclesia recolendas atque adorandas proponit) magnitudo, quae ab ingenio humano non capiatur, illa profunditas, quae investigari nisi spiritu sancto docente nequeat, illa sublimitas, quae caelum attingat, illa denique imperscrutabilis subtilitas, quae non philosophiae modo naturalis fugiat indaginem, verum etiam a spiritalibus huius aeris nequitiis nequeat deprehendi, quanvis in oculis huius carnis et cogitatione eorum, *qui terrena sapiunt*[3], res eaedem tales ac tantae non appareant, sed parvae potius, humiles, ignobiles ac contemptae.

Siquidem proponitur nobis parvulus dierum octo, infans, imbecillis, natus in humili tugurio, *pannis involutus*[4], in animalium praesepio cubans, hodie ritu Iudaico circumcisus[5], in quo mortalis oculus quid suspicaretur arcani, divini aut admiratione dignum contineri[b]? Tractabant enim parvulum hunc manibus suis eius circuncisores perinde atque parvulos alios, cultro petrino resecabant praeputiolum, sanguinem profluentem abstergebant, manu medica curabant vulnus nec videbant quicquam praeterea accidere, unde in cogitationem de eo altiorem adducerentur, quanquam re vera erant omnia haec divinis iisdemque incomprehensibilibus myteriis plena ac digna, quae mirarentur caelum, terra et omnis creatura quaeque attonitos redderent non homines modo verum etiam sublimes illos beatorum spirituum choros, angelos, archangelos, Cherubim et Seraphim.

Quis enim vel hominum vel angelorum non vehementer admiraretur, quod tantus ille, immensus et aeternus rerum *omnium fabricator*[6], quem neque ingens huius orbis machina neque spatiosissima illa *caeli* volumina *capere* sufficiunt[7], exiguo corpusculo se totum inclusit? Quis non obstupescat, quod, qui hominem mortalem formaverat, voluit tandem et ipse fieri homo communemque cum factura sua subire vitae societatem? Quod humilis de parente nascitur humili[8], cuius maiestatem angeli adorant[9], pertimescunt inferi? Quod pauper et velut rerum omnium indigus venit in hanc lucem, qui solus est dives, cuius sunt munera, quicquid uspiam habere videmur? Quod ille, cui obsequitur, cui servat excubias *universa coeli militia*[10], *diversorio* exclusus[11], nascitur inter armenta[12] in stabulo sordido et non in conspicuo aliquo thoro *regio cultu*[13] fulgente? Quod pannis vilibus involvitur et ligatur ille *fortis*[14], ille robustus *gigas*[15], qui

[a] *C* Patres R[mi] [b] *C* contueri

Esame critico l. c. 134. *Idem*, Documenti inediti l. c. 529), quam secuti sumus, et editio separata Coloniensis (= *C*, sub titulo: *Oratio de circuncisione Domini, habita in concilio Tridentino anno Domini M.D.LII. Per F.E.B. Theologum Colonien., Fratrum Carmelitarum inferioris Germaniae Provincialem. Coloniae. Cum Gratia et Privilegio, apud Iasparem Gennepaeum. Anno partae salutis M.D.LII.* 20 fol., A 2[r]–E 4[r]. Exemplaria exstant Coloniae, Bibl. Universit. (GB IV, 2506); Friburgi Br., Bibl. Univ. (4°. M 1397 b; cf. *H. Jedin*, Geschichte des Konzils v. Trient III, Freiburg 1970, 518[1]); Monachii, Bibl. rei publ. (4°. Diss. 1076/10 et H. eccl. 169/2 et Hom. 413/9; cf. *J. Meier*, Joh. Groppers Predigt vor den Trienter Konzilsvätern am Dreikönigsfest 1552, in: Annuarium hist. conciliorum V, 1973, 145). — Textum editionis Venetae posteriores collectiones ad verbum repetiverunt: Lovaniensis (= *L* sub titulo: *Concilium Tridentinum, hoc est Canones et decreta*..., Lovanii 1567, p. 82–95). *Labbe-Cossart*, Collectio conc. XIV, Parisiis 1672, 1088–1107. *N. Coleti*, S. conc. XX, Venetiis 1728, 364–383. *Mansi* XXXIII, 364 E–383 B. *Le Plat* I, 216–238. — De eadem oratione cf. etiam *Io. Sleidani* epistolam ad senatores Argentinenses die 7.I.1552 datam: „Am newen jarstag hat der Cölnisch carmelit eine lateinische predig fur den großen hern im münster gethon, und wiewoll ich sie noch nit gelesen, so gohts doch alles, wie ich bericht werde, uff die reformatio morum et disciplinae", *H. Baumgarten*, Sleidans Briefwechsel, Straßburg 1881, 199. Vide *Fr. J. v. Bianco*, Die alte Universität Köln I, I (Köln 1855. Aalen 1974) 632–636. *A. Postina*, Der Karmelit E. Billick l. c. 119–122. 144. *Fr. Gabriel a Virgine OCarm.*, Die Karmeliten auf dem Konzil von Trient, in: Ephemerides Carmelit. IV (1950) 322ss.

[2] Matth. 5, 13s.

[3] Phil. 3, 19.

[4] Luc. 2, 12.

[5] Luc. 2, 21; cf. Lev. 12, 3.

[6] Eccl. 11, 5.

[7] 2 Par. 6, 18.

[8] Luc. 2, 6s.

[9] Ps. 96, 7; Hebr. 1, 6.

[10] 4 Reg. 17, 16; 21, 5; Isai. 34, 2. 4.

[11] Luc. 2, 7.

[12] Cf. Isai. 1, 3; Hab. 3, 2 (LXX). J. Ziegler, Ochs und Esel an der Krippe l. c. supra p. 4, adn. 8.

[13] 3 Reg. 22, 10; Esth. 15, 5.

[14] Ps. 23, 8; Isai. 9, 6.

[15] Ps. 18, 6.

Digitized by Google

diabolum, mundi tyrannum omnesque aereas potestates[16] venerat expugnare? Quod ille, cui *coelum* vice *throni* est[17], cuius *scabellum est terra*[18], quem *regnare in domo Iacob*[19] et *in solio David sedere*[20] oportuit, iacet in praesepio animalium? Et ubi hic est cernere prophetarum illa de Christo vaticinia? Et quod ita demum (ne quid ad cumulum miseriarum deesset) circunciditur, mutilatur in carne tenella et *sanguinem fundit innoxium*[21], quasi peccator sit et immundus, qui veniebat *tollere peccata mundi*[22], qui *de spiritu sancto conceptus*[23] et natus erat, nullius inquinamenti vel reus vel capax? Quorum profecto nihil fortuito casu aut fato aliquo accidisse, sed Dei solius providentia infallibili, nemo, nisi qui omnis religionis prorsus sit expers, non fateatur. Deus enim, qui *providentia* sua admirabili *gubernat* omnia[24], sine quo nec *capillus de capite*[25] nec
F 2v folium cadit ab arbore, | custos Israelis, qui *non dormitat nec dormitabit*[26], cum in cunctis operibus suis vigilantissimus sit et sapientissimus, in incarnationis Christi, filii sui, opere visus est *reconditos* illos *sapientiae et bonitatis* suae *thesauros*[27] semel omnes effudisse, omnes mundo ostendisse. Nusquam enim maior apparuit eius bonitas, nusquam tam admirabilis eius sapientia. Quod dum tacitus mecum revolvo ac contemplor, mens admiratione liquitur, stupet ac riget, ut non iniuria munus susceptum, Patres R^mi^, exhorrescam. Quis enim confidat *consilium Dei*[28] et rerum istarum arcana suo assequi ingenio suisque ea verbis *explicare*[29]?

Quapropter auxilio non qualicunque, sed divini numinis afflatu[30] mihi opus esse probe intelligens illum ipsum censui adeundum puerum, quem circuncisionem in carne sua sacrosancta pertulisse miramur, et illam, in quam nemo frustra suspexerit, tantorum mysteriorum parentem, quae omnia haec divinitus edocta erat quaeque, ut eadem et nobis aperiantur, potest ab ipso, quem genuit, lactavit et fovit, impetrare, consulendam, quam idcirco consilium est non humanis, sed angelicis salutare atque interpellare verbis. Ad illam siquidem, ut meminimus, salutationem et *spiritus sanctus* de caelo lapsus virginem hanc complexus est numineque suo *obumbravit*[31] atque implevit et verbum illud aeterni patris in eiusdem (ibi ut incarnaretur) se demisit uterum. Si fuit autem tanta salutationis illius vis, quidni speremus et nos spiritus illius et verbi divini saltem igniculum ac sensum aliquem (voce prolata) in corda mentesque nostras illapsum iri? Hoc igitur dum ago, Patres R^mi^, Vos me voce praeeuntem mente sequi taciteque mecum precari ac dicere ne gravemini.

Circuncise puer, nobis mysteria pande,
  Cur fluat innocui sanguinis unda tibi?
Et cur non meritam tua dent praeputia poenam?
  Si tamen hanc ratio cur paterere fuit,
Tu quoque consilii coelestis conscia virgo,
  Quae puerum hunc salva virginitate paris,
Quam docuit sensus arcanos missus ab alto
  Angelus, at potius spiritus ipse[a] sacer,
Spiritus ille, tuo sacro qui pignore ventrem
  Numine foecundum reddidit ipse suo.
Tu causas, inquam, memora, te, diva, precamur,
  Cur circuncidi debuit iste puer?
Adsis et angelicas clemens prius accipe laudes,
  Virgo salutiferi plena favoris, ave!
Est *Dominus tecum*, super omne genus *benedicta*[32]
  Foemineum, partu cum, pia virgo, tuo. Amen.

Nunc de adfuturo mihi eius favore, qui nuper natus pastoribus apparuit[33] et hodie circuncisus redemptionis humanae arram[b] quandam nobis exhibuit potensque est et sensum atque intelligentiam mysteriorum inspirare et verba, quibus explicentur, suggerere, bono animo confisus tractationem, sed religiosam eorum, quae in evangelio recitata sunt, ausim tentare.

[a] *C* ille [b] *V* arcam

[16] Eph. 2, 2; Col. 2, 10.
[17] Matth. 5, 34.
[18] Isai. 66, 1; Act. 7, 49.
[19] Luc. 1, 32.
[20] Ps. 131, 12; Isai. 9, 7; Ier. 22, 2; 29, 16; Dan. 7, 9. 13s.; Luc. 1, 32s.
[21] Cf. Deut. 19, 13; 4 Reg. 24, 4; Prov. 6, 17.
[22] Io. 1, 29.
[23] Luc. 1, 35. Cf. symbolum apostolicum, art. 3 (*Denzinger-Schönmetzer* l. c. n. 25–30).
[24] Sap. 6, 17; 14, 3.
[25] Matth. 10, 30; Luc. 21, 18; Act. 27, 34.
[26] Ps. 120, 4.
[27] Eccli. 1, 26. 31; Isai. 45, 3; Col. 2, 3. Cf. Missale Rom., missa pro gratiarum actione, oratio.
[28] Cf. Sap. 9, 13; Isai. 40, 13; Rom. 11, 34; 1 Cor. 2, 16.
[29] Eccl. 1, 8.
[30] Cf. *Vergilius*, Aeneis VI 50s.
[31] Luc. 1, 35.
[32] Luc. 1, 28.
[33] Luc. 2, 16.

Digitized by Google

Complectitur autem evangelium verbis brevissimis res duas maximas non oscitanter praetereundas. Quarum altera est Christi, Domini nostri in carne, quam de semine Abraham assumpsit, iuxta legis praescriptum circuncisio[34], altera nominis eius germani et proprii diserta impositio, nominis, inquam, non hominum industria iuxta mensuram atque aestimationem naturae apparentis in carne inventi[a] ac dictati, sed quod ante secula *os Domini nominavit*[35], quod *angelus, priusquam conciperetur*, nunciavit[34], quod non carnalis naturae vires, sed potentiam significaret divinitatis legationemque illam nobis[b] exponeret, cuius gratia filius ille Dei altissimi *de sinu patris*[36] descendisset in hunc orbem. Vocatus est enim Iesus, id est salvator, quoniam ad hoc missus erat a patre et venerat, ut *salvum faceret populum suum a peccatis eorum*[37].

Quemadmodum autem non crepundia puerilia erant aut ociosa spectacula, quae primo nativitatis suae die Christus mundo ostentavit[c], ita et de circuncisione ac nomenclatura divinissima nobis existimandum est. Quin etiam, si ortus eius initia illa fuissent ab omni mysterio remota, si nihil intra se continuissent arcani, non poterat tamen ociosa esse eius iuxta legem[38] circuncisio cruenta aut nominis angelico monitu facta impositio[34]. Iam vero tanta in crepundiis illis latuit divini consilii prudentia, tanta in obscura nocte *claritatis* divinae lux[39], tanta in apparatu humili ac contempto rerum maiestas, quantam ingenium humanum neque intelligere satis neque admirari sufficiat.

Nam quod *formam* hominis assumpsit, *cum Deus esset*[40], quare factum existimabimus? Num, quia ad eius maiestatem conferebat aut praestantius erat in specie hominis quam Dei, in *forma servi* quam Domini huic mundo apparere et innotescere? Quis demens ita censeat? Verum ideo voluit *carnem* assumere *peccati*[41], ut eam a contagionis paternae gravi morbo sanaret; homo fieri, ut hominem, qui per peccatum viluerat, *divinitatis* suae[42] consortio rursus nobilitaret; sic enim apostolorum princeps ille ait: ut nos *divinae consortes* faceret *naturae*[43]; apparere in *forma servi*, ut de servis reges | faceret et *in regnum nos transferret*[d] gloriae suae[44]. Et quod de parente F 3r secundum seculum istud humili natus est, quare committere voluit? Non erant praestantes illustri loco positae virgines aut foeminae, de quibus nasceretur. Aut si tantus erat erga virginem hanc amor tantaque gratia, non potuit eam prius magnificis exornare titulis aut potentiae opumque splendore illustrare? Potuit utique, sed *infirma mundi elegit* volens *confundere fortia*[45]; veniebat enim *potentes deponere de sede et exaltare humiles*[46]. Sic quod pauper venit, num defuisse ei opes putabimus? Minime. Sed *cum esset dives, propter nos egenus factus est*, ut nos locupletaret, *ut eius inopia nos divites essemus*[47]. In nocte venit, quia voluit nos *eripere de potestate tenebrarum*[44], voluit *illuminare tenebras* nostras[48], ut *populus gentium, qui ambulabat in tenebris, videret*, sicut in propheta dicitur, *lucem magnam* et *habitantibus in regione umbrae mortis lux* ista *oriretur*[49].

Quod autem in stabulo nascitur, in sordibus, inter armenta, rationem[e] assignat evangelista: *quia*, inquit, *non erat ei locus in diversorio*[50]. Ergone is, *in* cuius *manu* sunt *corda* filiorum hominum[51], officiosis alioqui erga foeminas puerperas hominibus non potuit tantillum inspirare sensus humani, puerperae isti ut cessissent hospitium? Potuit, sed quoniam nos quaerebat atque ad nos descendere[52] volebat, ibi eum nasci oportuit, ubi nos eramus. At ubinam eramus? Num in stabulo aliquo, ut propterea descenderit in stabulum? Etiam, in stabulo iacebamus animalium, ⌜et quidem⌝[f] brutorum; animales enim rationis obscurata luce per peccatum facti et *paradiso voluptatis*[53], quae nobis pulcherrimum ac iucundissimum hospitium dabat, exclusi atque in hunc mundum eiecti, de mundo nihil feceramus praeterquam stabulum animalium. *Homo* enim *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis*[54]. Hinc quidam sanctorum dicebat: *Ut iumentum factus sum apud te*[55]. Quod ipsum volens ille, quando venit *in hunc mundum*[56], significare, in stabulum animalium descendit foetores et stercora nostra non exhorrescens, ut *in animalium suorum medio agnosceretur*[57]. Quin superest et alia ratio, quare in stabulum descenderit, nempe voluit ante se *pastor bonus*[58] minare gregem suum et ad pascua

[a] *C* invecti [b] *V* vobis [c] *C* exhibuit [d] *V* transferet [e] *V* ratione [f] *add. C*

[34] Luc. 2, 21.
[35] Isai. 62, 2.
[36] Io. 1, 18.
[37] Matth. 1, 21.
[38] Cf. Lev. 12, 3.
[39] Luc. 2, 9.
[40] Phil. 2, 6.
[41] Rom. 8, 3.
[42] Col. 2, 9.
[43] 2 Petr. 1, 4.
[44] Col. 1, 13.
[45] 1 Cor. 1, 27.
[46] Luc. 1, 52.
[47] 2 Cor. 8, 9.
[48] Luc. 1, 79.
[49] Isai. 9, 2.
[50] Luc. 2, 7.
[51] Prov. 21, 1.
[52] Cf. Baruch 3, 10.
[53] Gen. 2, 8. 15.
[54] Ps. 48, 13. 21.
[55] Ps. 72, 23.
[56] Io. 11, 27.
[57] Hab. 3, 2 (LXX); cf. *J. Ziegler*, Ochs und Esel l. c. 385ss.
[58] Io. 10, 11.

Digitized by Google

meliora adducere. Quomodo enim alias impleretur, quod praedixit de eo spiritus sanctus per prophetam: *Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit. Vitulus et leo et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos*[59]*?*

Quale vero est, quod iacet in praesepio? Ioseph ille, cui commendatus erat[60] et qui pater eius esse credebatur[61], non tantillum contulit in parvulum hunc impendii, ut comparasset ei saltem cunas? Nihil profecto, nihil fidelissimus ille Iesu parvuli nutritius eorum, quae ad alumni sui educationem pertinebant, neglexit, quia solliciti patris familias munia omnia diligenti sedulitate obibat[62]. Sed haec fuit Christo destinata voluntas. Voluit esse animalium suorum cibus eaque de causa in praesepium, unde pabulum animalia sumunt, reponi[63]; caro enim eius aliis *stipulas* sapit et *foenum*[64], aliis *paleas*[65], aliis nauseam citat, aliis *solidus* est *cibus*[66], aliis *adeps frumenti*[67], aliis *panis angelorum*[68]. *Sumunt* enim et *boni* et *mali*, *sorte tamen inaequali vitae vel interitus*[69]. Si bruti sumus nec rationem sequimur vitae ducem aut si delectat nos in ignorantia Dei permanere et asini sumus *non diiudicantes corpus Domini*[70], quid aliud quam *stipulas* sapiat et *foenum*[64]*?* Si leones sumus truculenti et immites aut boves, terrae huius cultores, quid sapiat aliud quam *paleas?* Sic enim scriptum est: *Leo et bos comedent paleas*[65]. Si erramus cum Iudeis in solitudine, dicimus: *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*[71]. Si *parvuli* sumus in Christo, *lac* nostrum[72] et *mel* nostrum est. Si adolescimus, *solidus est cibus*[73] et frumentum et *adeps frumenti*[67]. Si vero perfecti iam sumus, *panis* est *angelorum*[68] *habens omne delectamentum et omnem saporem suavitatis*[74]. Adeo omnium animalium suorum generi attemperatus est hic cibus et pro cuiusque palato unicuique sapit. Quae ratio est, quare iaceat in praesepio tanquam in pabulum expositus. Iam quod ligatur fasciis et *pannis involvitur*[75], poterat forsan alicui videri ideo factum fuisse, ne tenelli artus pueri distorquerentur. Sic enim solent parvuli vinciri et fasciis illigari, donec eis[a] articuli firmentur et robur acquirant[b]. Sed quid Christo cum fasciis et ligaminibus istis, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam*, cuius *egressus a summo coelo* fuit[76]? Verum hi panni legis sunt volumina, in quibus latuit tanquam panniculis velatus atque obductus. Quo[c] factum est, ut scribae et legis periti Iudeorum multa quidem de Christo, quem in lege contineri sciebant, docere potuerint, non autem *agnoscere*[77], quoniam involutus illic latebat. Et *manet* ante oculos eorum *velamen usque in hodiernum diem*[78]. Atque hoc est, quod ille dicit: *Opertum est* eis *evangelium*[79]. Nobis autem, *quibus praebuit seipsum vivum*[80], quibus *manifestatus est in carne*[81], quibus
F 3v membranas | illas, *ut intelligeremus scripturas*, *aperuit*[82] atque explicuit, totus iam patet, totus apertus et manifestus est.

Adeo sub velamento rerum humanarum latuere consilii divini arcana, adeo iam tum ab ipsis incunabulis puer parvulus *figuris et enigmatibus*[83] istiuscemodi[d] praestantissimo quodam docendi modo *nos erudiens*[84] cathedram tenet magistri docentis, quandoquidem ipse est *unicus* ille *magister* noster[85], *legifer noster*, *rex noster*[86] et, sicut nomen eius sonat, *salvator noster*[87].

Haec sunt stabuli tui, praesepii tui, pannorum tuorum, o puer admirabilis, magnalia ab oculis carnalibus abscondita. Talibus ludis, talibus spectaculis, talibus crepundiis exornantur tibi cunae[e] pueriles. Haec sunt magisterii tui ad circuncisionem, altioris magisterii sacramentum, erudita praeludia. Haec sunt ortus tui nocturna, sed supra solem radiantia spectacula, testibus syderibus, testibus angelis, testibus pastoribus, testibus animalibus in stabulo veluti in magno quopiam ac undique patente theatro edita[88]. Et vere magnum theatrum, quod omnibus hominibus patet, quod innumerabiles admittit spectatores, in quod oculos suos coniiciunt, quotquot Dominum Iesum querunt. Ecquod aliud theatrum spectatoribus suis tam iucunda, tam laeta, tam plausu atque admiratione digna exhibeat spectacula? Quae schola, quae academia, quod

[a] *om. C* [b] *C* acquirat [c] *V* quae [d] *L et edd. sequ.* istiusmodi [e] *V L* crinae

[59] Isai. 11, 6.
[60] Matth. 1, 20ss.
[61] Luc. 3, 23.
[62] Cf. Luc. 2, 48. 51.
[63] Vide expositiones patrum graecorum et latinorum, *J. Ziegler* l. c. 391ss.
[64] Cf. 1 Cor. 3, 12.
[65] Isai. 11, 7; 65, 25.
[66] Hebr. 5, 12. 14.
[67] Ps. 80, 17; 147, 14.
[68] Ps. 77, 25.
[69] Missale Rom., sequentia *(Thomae Aqu.)* in festo s. corporis Christi, str. 17.
[70] 1 Cor. 11, 29.
[71] Num. 21, 5.
[72] 1 Cor. 3, 1s.; Hebr. 5, 12s.
[73] Hebr. 5, 14.
[74] Sap. 16, 20.
[75] Luc. 2, 7.
[76] Ps. 18, 6s.
[77] Cf. Io. 7, 51s.; 8, 43ss.
[78] 2 Cor. 3, 14.
[79] 2 Cor. 4, 3.
[80] Act. 1, 3.
[81] 2 Cor. 4, 11; 1 Tim. 3, 16.
[82] Luc. 24, 45.
[83] Num. 12, 8.
[84] Tit. 2, 12.
[85] Matth. 23, 8. 10.
[86] Isai. 33, 22.
[87] 1 Tim. 1, 3s.; 3, 4. 6.
[88] Luc. 2, 7ss.

Digitized by Google

gymnasium tam docta proponat auditoribus suis enigmata? Qualis autem futura erat eius circumcisio, cuius fuit tam admirabilis nativitas? Si haec in nocte, quid in die? Si tanta nobis die primo donata sunt, die octavo, qui mysteriis deputatur, quid putatis expectabimus? Magna profecto necesse est, ut sint, quibus commendandis tantus mysteriorum apparatus est praemissus.

Agite igitur, Patres, huc huc repurgatae mentis oculos animumque advertite! Nam qui *mundo* sunt *corde, Deum videbunt*[89]. Observemus et, quantum fas est, consilia scrutemur Dei, si forte *pulsantibus aperire*[90] et quaerentibus arcani quippiam dignabitur ille revelare[a].

Audivimus puerum tot miraculis clarum hodie, hoc est octavo nativitatis suae die, circuncisum et carnis quidem praeputium hominibus secantibus posuisse, nomen vero accepisse divinitus impositum[91]. Hic christianae philosophiae studiosorum hominum est imprimis investigare, quidnam sibi velit tam accurata ista temporis adnotatio? Neque enim putandum est sine causa factum, ut circuncisioni[b] destinaretur in lege non quilibet dies, sed octavus[92]. Qua in re animadvertat, quisquis est mysteriorum divinorum contemplator, septem diebus universum huius seculi tempus contineri. Nemo est enim, qui septenis plures aut pauciores numeret dies et non eosdem iterum atque iterum recurrentes ducat in orbem seu circulum quendam perpetuum atque infinitum. Erit igitur dies extra hos septem octavus tempus aliud et seculum novum, illud nimirum, quod Esaias praesagiit futurum: *Prope est, ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur. Miserebitur Dominus Iacob*[93] et Israel salvabitur. ⌜Dies igitur septem prioris seculi non sunt dies eius, sed tempus irae. Dies novi seculi, octavus ille dies, eius tempus est miserendi, quando Israel salvabitur⌝[c]. Dies septem carnalis sunt praeputii, *quibus conversati sumus in desideriis carnis*[94]. Dies octavus *dies* est ille *redemptionis* sanctus, *in quo signati sumus*[95], tempus est regenerationis et reconciliationis, quo adoptamur in filios Dei, ut *clamemus: Abba, Pater*[96] et signentur *nomina* nostra *in libro vitae*[97], quos[d] antea Deus ignorabat. Sed ut Iudaeis, inquiet forte quispiam, fuerit dies octavus mysticus, nihilne hic datur gentibus? *An Iudaeorum Deus tantum et non* etiam *gentium*[98]*?* Datur utique et gentibus is, *qui est expectatio gentium*[99].

Verum aliter Iudaeis, aliter gentibus. Nam cum haberent gentes multorum annorum praeputia longa et diu in incredulitate et *desideriis carnis* fuissent *conversati*[94], non eis post transactam hebdomadam dierum in capite hebdomadae novae sicut Iudaeis, sed post peracta multorum annorum secula, in capite anni novi, imo novi seculi datur. *In praeteritis* enim *generationibus dimisit gentes ingredi vias suas*[100]. In quo est videre admirabilem Dei providentiam. Qui cum voluisset sibi colligere ex Iudaeis et gentibus populum unum sibique *reconciliare ambos in uno corpore*[101], tum praedicare *iis, qui longe et qui prope erant*[102], sic aptavit, sic praefinivit dispensationis suae tempora, ut uno eodemque hoc die populo utrique religioso, quem Iudaei, quoniam octavus erat, *ex lege*[103] et *gentes legem non habentes*[104] ex superstitione venerabantur et observabant, utrisque se exhiberet signaculis duobus cognoscendum, uno carnis, altero divinitatis. Si quidem hunc diem *Iano bifronti*[105] superstitiosa gentilitas dedicaverat, quem conviviis, salutationibus, mittendis et remittendis strenis et ludis publicis totum transigebant laetum, dabant et accipiebant munera, mutuae benevolentiae atque amicitiae symbola, haud secus, ac si temporis praeteriti fastidio gravati in novam vitae conditionem transire praegestirent[e]. Qua de re veterum poetarum quidam sic cecinit carmine: |

„Prospera lux oritur linguisque animisque favete! F 4r
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures insanaque protinus absint
Iurgia; differ opus, livida turba, tuum“[106].
„Salve, festa dies, meliorque revertere semper.
A populo rerum digna potente coli“[107].

[a] *V L edd. sequ.* aperire [b] *V* circuncisionis [c] *add. C* [d] *V C L sic* [e] *V L* gestirent

[89] Matth. 5, 8.
[90] Matth. 7, 7s.; Luc. 11, 9s.
[91] Luc. 2, 21.
[92] Gen. 17, 12; Lev. 12, 3.
[93] Isai. 14, 1.
[94] Eph. 2, 3. [95] Eph. 4, 30.
[96] Gal. 4, 6.
[97] Phil. 4, 3.
[98] Rom. 3, 29.
[99] Gen. 49, 10.
[100] Act. 14, 15.
[101] Eph. 2, 16; Col. 1, 20. 22.
[102] Eph. 2, 17.
[103] Cf. Lev. 12, 3; 14, 10; 15, 14; Phil. 3, 5. 9.
[104] Rom. 2, 14.
[105] *Cyprianus*, Quod idola dii non sint, c. 2 (CSEL III 20, 8ss.). *Augustinus*, De civitate Dei VII, c. 8 (CChr. XLVII 193, 21). De Kalendis Ianuariis, quibus Romani festum anniversarium agere solebant, cf. *F. Schneider*, Arch. f. Relig.-Wiss. XX (1920/21) 82ss.
[106] *P. Ovidius*, Fastorum I 71–74.
[107] Ibid. I 87–88.

Digitized by Google

Ad quem modum gentes per ignorantiam veri Dei *Iano bifronti* et nihil videnti tribuebant, quae erant solius Christi[108]. Christus enim (non Ianus) conciliator est animorum omnisque benevolentiae in hominibus author. Hic *praedicat*, ut propheta ait[109], *annum placabilem Domino.* Hic propter testamentum vetus, quod respicit[a] a tergo, et novum, quod coram inspicit[b], in finem seculi duraturum, et quoniam *mediator est inter Deum et hominem*[110], bifrons poterit non iniuria videri, sed ob id potissimum, quod *non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius*, et *oculis eius omnia sint nuda et aperta*[111]. Hic dat strenas et munera auro gemmisque meliora. Dedit enim nobis hodie e *bonitatis* suae *thesauro*[112] strenas binas inaestimabiles, quibus nihil preciosius, nihil optabilius esse possit.

Dedit munera duplicata, eximiae erga nos charitatis suae symbola. Quorum alterum *precioso* eius *sanguine*[113] notatum est naturae humanae signaculum, alterum vero de coelo nomen allatum, signaculum divinae naturae. Sanguine autem eius quid preciosius? ⌜Et novo suo nomine⌝[c] exhibuit nobis aeternae salutis spem; *nec enim aliud sub coelo datum est nomen hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*[114] et felicem aeternitatis annum auspicari. Salute autem aeterna quid optabilius?

Circuncisionis character humanae illius carnis, quae pro redemptione generis humani venit ab Abraham, est *signum*[115] datum non solis Iudeis sed et gentibus, ut *promissio* impleretur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae*[116]. De quorum numero nos utique eramus alioqui perituri, nisi benedictio promissa ad gentes quoque pertinuisset. Quo maior est causa, ut signum laeti agnoscamus nobisque felicitatem illam gratulemur. Datum est autem *in sanguine, qui lavat a peccatis*[117] et arra[d] est propitiationis illius, quam facere decreverat in cruce.

Nomen Iesus tam benignitatis quam potentiae eius divinae est signum peccatoribus omnibus datum. *Vocatus est* enim *Iesus*, quia *veniebat salvum facere populum suum a peccatis eorum*[118]. Quid autem tam benignum est quam sua ipsorum culpa pereuntium, ubi *indignationis et irae*[119] iusta causa dabatur, misereri? Et quae maior sit potentia, quam peccati vincula solvere, a diaboli tyrannide liberare, a morte aeterna quem[e] salvare? Atqui hoc quis possit *nisi solus Deus*[120]*?* Quid vero miseris nobis tam necessarium quam condolentem eundemque salvantem habere Iesum? Agnoscere ergo et istud quoque signum, tantorum gaudiorum nuncium, laeti debemus, ut ex nomine ipso verum confiteamur esse Deum, ex circuncisione hominem verum. Utriusque enim naturae confessio tam est unicuique ad salutem necessaria, ut, si quis alteram in Christo perimat, totus excidat a Christo toto nec habeat, unde possit ei Christus prodesse. Etenim qui humanam ei naturam detrahunt, sacrificio se exuunt propitiationis. Quod dabit enim pro se sacrificium aut quem sanguinem libabit Manicheus, qui imaginem ac similitudinem gessisse hominis, non naturam[121] perfide contendit? Quod Valentinus, qui *corpus* ei affingit *coeleste*[122]*?* Quod Apollinaris, qui humanam in divinam transisse[123] fabulatur? An sanguinem hircorum, taurorum aut vitulorum? Sed *impossibile est sanguine hircorum aut taurorum auferri peccata*[124]. An sanguinem proprium[f]? Sed is sanguine hircorum est corruptior. Nobis vero, qui verum ipsum confitemur hominem, factus *est propitiatio pro peccatis nostris*[125]. Ad eundem modum, qui divinam ei naturam blasphema voce auferunt, Iudaei, ethnici, Mahumetani, quod habeant nomen, in quo sit peccatorum remissio et quo salvi fiant? Nullum profecto, nomine Iesu sublato. *Non est enim aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*[114]. Soli itaque de Christo recte sentiunt, qui et hominem ipsum et Deum esse confitentur. Atque hoc est, quod apostolus ille Christo prae caeteris dilectus ait: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est*[126]. Et rursus: *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet*[127]. Quae duo ut non compugnent, ipse fecit, per quem magno eoque inscrutabili miraculo in uno ac solo Christo consentiunt. Quod in spiritu sancto fore praevidens Esaias ait: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis*[128]. Parvulum a filio hactenus in eodem

[a] *L* reinspicit [b] *L* spicit [c] *C* nomine suo [d] *C* arca [e] *om. V L* [f] *C* porcorum

[108] Io. 13, 3.
[109] Isai. 61, 2.
[110] 1 Tim. 2, 5; cf. Hebr. 4, 14. 16; 7, 25; 9, 15. 24.
[111] Hebr. 4, 13.
[112] Missale Rom.; vide supra adn. 27.
[113] 1 Petr. 1, 19.
[114] Act. 4, 12.
[115] Cf. Rom. 4, 11–14.
[116] Gen. 22, 18.
[117] Apoc. 1, 5.
[118] Matth. 1, 21; Luc. 2, 21; 1 Tim. 1, 15.
[119] Rom. 2, 8.
[120] Luc. 5, 21.
[121] *Augustinus*, De haeresibus c. 46, 15 (CChr. XLVI 318, 155s.). *Epiphanius*, Panarion, haer. 30, 28, 2 (GrChrSchr. 25. Epiphanius I 371, 12s.).
[122] *Augustinus* ibid. c. 11 (l. c. 295, 13). *Epiphanius* ibid. 30, 28, 3 (l. c. 371, 15).
[123] *Augustinus* ibid. c. 55 (l. c. 325, 9s.).
[124] Hebr. 10, 4.
[125] 1 Io. 2, 2.
[126] 1 Io. 4, 2.
[127] 1 Io. 4, 15.
[128] Isai. 9, 6.

Digitized by Google

Christo secernit, quod parvulus sit natus, nimirum ex Maria virgine, filius vero datus, nimirum a patre coelesti, qui ipsum ab aeterno genuit. Et tamen idem interim est Christus, qui et parvulus est et filius.

Tantorum sunt duo ista huius diei signacula mysteriorum symbola, quae tamen nulla sint nisi plurima. Nec iis inferiora adhuc restent. Pro re nata igitur convenientissimum ac pul|chrum F4v erat utriusque signaculi vim et causas, quidque portenderent, altiori origine exponere, quod tamen hoc[a] ipsum, quum mihi per temporis angustiam non permitti probe satis intelligam et cernam vix de alterutro disserendi facultatem superesse, arbitratus sum me non abs re facturum, si circuncisionis tantummodo sacramentum pertractem, ut cuius ratio non tam multis perspecta est quam exosculandi illius et amabilis ac benedicti nominis Iesu, quod omnium piorum ore nobis etiam tacentibus celebratur. Illud est enim *nomen, quod est supra omne nomen*, ad cuius appellationem *omne genu flectitur coelestium, terrestrium et infernorum*[129], nomen, *in quo qui benedictus est super terram*, ut propheta ait[130], *benedicetur in Deo*, quo *nemo potest* eum appellare *nisi in spiritu sancto*[131]. Nomen est, ad quod mitescunt ferae[b], fiunt innoxii *serpentes*, *daemones eiiciuntur*, *linguis loquimur novis*[132] et omnis generis morbi curantur, propter quod *propitiatur Deus cunctis iniquitatibus* nostris[133], in quo *quicquid petierimus dabitur nobis*[134]. In summa: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*[135]. Quam tantam eius vim admiratus David carmine ipsum tali celebrat: *Domine*, inquit, *Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra*[136], cum pridem *in Iudaea* tantum *notus* fuisset *Deus* et *in Israel magnum nomen eius*[137].

Illo itaque nomine vobis alioqui satis commendato et piorum[c] omnium cordibus impresso ad circuncisionis mysterium explicandum me converto, cuius originem tradit Moyses in Genesi fuisse talem: Cum Hebraeus Abram[d] iubenti Deo, ut *de terra et cognatione sua* in regionem aliam, *quam* ei *demonstrabat*[138], proficisceretur, incunctanter paruisset eidemque promittenti sibi iam per aetatem effoeto[e] posteritatem non magis, quam *stellae coeli* aut sint *arenae maris*[139], numerabilem absque dubitatione fidem habuisset eaque de causa *iustitiae* laudem fuisset promeritus[140], multis perspecta modis eius obedientia, fide, constantia ac iustitia, voluit Deus semen eius ab impiorum semine signaculo aliquo discretum, quo originis suae paternaeque virtutis admonita posteritas eius quoque studeret aemula esse. Quamobrem mutato nomine eius *Abram* in *Abraham*, eo quod esset futurus *multarum gentium pater*[141], iussit, ut se cum familia omni lege sempiterna circuncideret[142]. Quod institutum ab eo coeptum per omnem adeo posteritatem invaluit, ut nemo veterum legatur eius neglecti causa fuisse reprehensus praeter unum Moysen, cui revertenti a Madianitis in Aegyptum cum Sephora uxore angelus mortem interminabatur[143], propterea quod filium suum nondum circuncidisset. Quo conspecto puelli mater ingenti correpta metu illico filium *petra acuta circuncidit* provolutaque ad Moysi pedes ait: *Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum ob circuncisionem*, ut ait scriptura[144]. Adeo ab ea tanquam crudeli atque inhumana lege pietas materna abhorrebat. Quin etiam quanto cum cruciatu fiat circuncisio, si non experientia posset vel ab eo cognosci, quod, cum Emor et Sychem (ut habet Geneseos[145] historia) principes cum universo civitatis suae populo a filiis Iacob dolose persuasi se circuncidissent, *tertio* circuncisionis *die* Symeon et Levi cum modica familia in civitatem irruentes totam multitudinem, quae defendere se ob doloris vehementiam non poterat, propter stuprum sorori suae Dynae illatum trucidarunt.

Nihilo tamen minus Hebraei, quamvis dura, crudelis atque inhumana circuncisionis lex illa videretur et a ceteris patrum suorum traditionibus leviter admodum nec infrequenter deflecterent, tamen sive gloria stirpis (de qua superbiebant) sive promissorum divinorum magnitudine sive religione ducti (senserunt enim ac tradiderunt eorum quidam ritui mysterium inesse) eius admodum tenaces ac patientes erant, cruciatus illos non modo contemnentes verum etiam ducentes sibi gloriosos gentesque reliquas velut immundas aspernati sibi solis mirifice placebant. Cuius rei admiratio cepit et Aegyptiorum mystas illos (qui in veneratione praecipua religionis opinione habebantur) et, cum ad eos sacramentum istud non proprie pertineret, Hebraeorum

[a] *add. C* [b] *V* fere [c] *V* priorum [d] *V* Abraham [e] *V* effato

[129] Phil. 2, 9s.
[130] Isai. 65, 16.
[131] 1 Cor. 12, 3.
[132] Marc. 16, 17s.
[133] Ps. 102, 3.
[134] Matth. 7, 7; Luc. 11, 9; Io. 16, 23.
[135] Ioel 2, 32.
[136] Ps. 8, 2.
[137] Ps. 75, 2.
[138] Gen. 12, 1.
[139] Gen. 15, 5; 22, 17; 32, 12.
[140] Gen. 15, 6.
[141] Gen. 17, 5.
[142] Gen. 17, 10ss.
[143] De hoc angelo cf. *Origenes*, Contra Celsum V, c. 48 (GrChrSchr. Origenes II 52, 17ss.). *Idem*, Comment. in epist. ad Rom. II, c. 13 (*Migne*, PG XIV 907 A).
[144] Exod. 4, 25s.
[145] Gen. 34, 13ss.

Digitized by Google

simiae facti, a quibus plurima *mutuabantur*[146], se quoque circuncidebant et neque ad *literas* sacras illas *(quas hieroglyphicas appellant) addiscendas* neque ad *astrologiae* aut *geneseos (qua nihil divinius ducebant)* cognitionem quemquam admittebant *nisi* prius *circuncisum*. Et nemo *apud eos hierophantes*, nemo *sacrorum mista*, nemo *vates*, *aruspex*, genethliacus, *coeli aut infernorum conscius* existimabatur, *nisi fuisset circuncisus*[147]. Quin etiam *Arabum*, *Phoenicum et Aethiopum* quosdam *sacerdotes* memorant idem sequutos exemplum circuncisionis se charactere initiasse[148]. Quo factum est, ut circuncisio, quae fuerat Hebraeis insigne religionis, Aegyptiis, Arabibus et Phoenicibus F5r facta sit superstitionis insigne, non novum tamen hoc, quum ita soleat impie|tas pietatem mentiri et angelus *sathanae se transfigurare in angelum lucis*[149].

Atque haec est circuncisionis illius origo, causa et progressus ad Christum usque, in quo benedicendus erat non unus Hebraeorum populus, sed *omnes gentes terrae*[150]. Non enim per Abrahamum aut eius circuncisionem benedictio promissa expectabatur, sed per semen eius. *Semen* autem promissum et per virginem redditum *erat Christus*[151], in quo carnalis ista circuncisio in multo praestantiorem conversa est. Enimvero Christus cum Deus esset et homo, accipiens in humana sua carne circuncisionem carnalem transtulit eam in spiritualem, qua electos suos, ad quos promissio Abrahae facta pertinebat, signaret, non quidem signo aliquo carni mortali impresso, quam habent boni cum malis communem et in qua charactere eodem signari poterant etiam reprobi, nihilo propter signaculum illud futuri meliores, sed in anima, in qua nonnisi germani Abrahae filii et electi Dei signantur infallibili illo spiritus caractere[152], qui nos meliores efficiat ac Deo probet. De quo apostolus ait: *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt eius, et discedet*[a] *ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini*[153]. Invocamus quidem, quotquot in ipsum credimus nomen Domini; sed *signaculum* spiritus habent, qui circunciderunt se *ab iniquitate*. Hos discernit et cognoscit, qui *scrutator est cordium*, Deus[154]; ad hos pertinet pactum illud aeternum. Hoc est *firmum fundamentum Dei*, quod stat et stabit. Ad quam circuncisionem spiritualem referuntur omnia, quae de carnali illa Moyses scripsit[155]; fuerunt enim istius umbrae quaedam et imagines. Sed quoniam Iudaeus doctrinam hanc veritatis non recipit et literae affixus errare nos arbitratur, ne res[b] dubias videamur iactare pro certis, ante ex ipsamet lege (cui innititur) venit ille nobis confutandus ac redarguendus, quam probemus omnia veteris circuncisionis iura huc esse translata. Age igitur, si rogemus Iudaeum causam, quare[c] iusserit Deus praeputium circuncidi, quod amputari absque cruciatu magno non poterat. Nam persuasum utrinque esse debet Deum non sine causa et frustra grave aliquid in homines statuere. Si natura vitiosum erat adeoque Deo invisum, quare creavit? Si non erat invisum Deo nec molestum homini aut natura malum, quare iussit amputare? Si, quia superfluum erat, auferri voluit, videbitur miserorum cruciatu suum errorem (si ita fas sit de Deo loqui) voluisse emendare. *Ipse* enim *fecit nos et non nos ipsi*[156]. Aut si alia quaepiam causa suberat ad Deum non pertinens, nunquid de praeputiis cura est Deo? Hic quid ille respondeat nisi datam circuncisionem in foederis divini signum, quo populus Deo dedicatus a reliquis gentibus ipsum non[b] agnoscentibus nec cultui eius mancipatis secerneretur. Verum id quidem et satis conveniebat Iudaeorum populum rudem notis huiuscemodi[d] signari, sed non istud querebatur. Danda erat ratio, quare discernendo populo suo Deus signo isto et non potius alio quopiam voluit uti, quo videlicet tam dignum Deo signaculum istud fuisse appareat, quam conveniebat Iudaeos eo notari, quae nisi detur, studiosis illis, qui facta divina admirantur eorumque rationes pervestigant, neutiquam fiet satis, quin etiam videbitur haec ipsa lex cum decoro naturae decentissimo et rationis iudicio pugnare. Dicent enim ethnici: Sic non habebat Deus vester, quem omnipotentem et sapientem esse dicitis, in corpore humano locum alium, ubi religionis et pacti sui characterem locaret, nisi in verecundarum partium (quas natura velavit) circuncisione?

Quale item sit (rogabunt) aeternum Dei testamentum ista corporis parte reconditum circumferre? Et quale denique ob resectam cutis particulam (quae neque bonum neque malum alioqui hominem reddat) circuncisum non circunciso ducere meliorem et hunc illi praeferre vel posthabere? Hic mutus erit Iudaeus nec poterit legis, quam profitetur, dare rationem, nisi

[a] *V C* discedat [b] *om. V L* [c] *C* quur [d] *C* eiuscemodi

[146] Cf. *Origenes*, Comment. in epist. ad Rom. II, c. 13 (l. c. 910 D).
[147] Ibid. c. 13 (l. c. 911 A). Cf. *H. Bonnet*, Reallexikon d. ägypt. Relig.-Gesch. 109ss. *K. Galling*, RGG I³ 1091.
[148] *Origenes* ibid. (l. c. 911 B). Cf. *Herodotus*, Persica II 37 et 104. *Ed. Meyer*, Zur Beschneidung der Phöniker, Ztschr. f. alttest. Wiss. XXIX (1909) 152.
[149] 2 Cor. 11, 14.
[150] Gen. 22, 18.
[151] Gal. 3, 16.
[152] 2 Cor. 1, 22.
[153] 2 Tim. 2, 19.
[154] Sap. 1, 6.
[155] Gen. 17, 10ss.
[156] Ps. 99, 3.

Digitized by Google

confiteatur nobiscum circuncisione illa carnali circuncisionem aliam Deo dignam, et quae hominem vere sanctificet, adumbrari, cui significandae non quaelibet alia corporis pars, sed tantum pudenda ista sit apta, quamquam huc adigetur non ista tantum ratiocinatione; succurrunt enim ipsa etiam lex et prophetae, quorum authoritas maius pondus habet. In Levitico ait Dominus: *Ambulabo contra eos* (de Iudaeis carne utique circuncisis loquitur) *et inducam eos in terram hostilem, donec erubescat incircuncisa mens eorum*[157]. Audimus hic circuncisionem potiorem mentis. Mens autem circuncidi (nisi spiritaliter) quomodo queat? Similis est in Deuteronomio locus, ubi ad circuncisos iam carne Iudaeos Moyses ait: *Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua*[158]. Si in praeputii circuncisione conquiescendum existimavit Moyses, quid circuncisionem cordis ex Dei nomine iis, qui circuncisi iam sunt, promittit? Luculenter[a] itaque hic apparet | non modo, F 5v quod demonstrandum nobis erat, circuncisionem quandam esse spiritalem carnali ista praestantiorem, verum etiam et hoc, quod illa sit, quam velit potissimum et exigat Deus. Idem est videre et in alio Deuteronomii loco, ubi Deus ait: *Circuncidite igitur praeputium cordis vestri et cervicem vestram, ne induretis amplius*[159]. En et cor ipsum hominis, ad quod nulla manus pertingit praeterquam Dei, habet praeputium, quod circuncidatur, sed spirituale, quod nisi circuncidimus, non proderit carnem habere circuncisam. Quorsum igitur glorietur Iudeus in figura, in umbra, in signis, si haec est veritas? Quorsum praeputii sui decurtationem iactabit, si praestantior, si sanctior et Deo gratior est circuncisio cordis? Pleni sunt rerum istarum prophetae, quorum agmen longum, si causa posceret, huc possem adducere. Sed apud vos, Patres sanctissimi, id arbitror in re tam manifesta fore supervacuum.

At, dum Iudaeorum persequor stoliditatem, videar forsan alicui ipse impegisse et laqueos mihi innexuisse, unde non extricer. Nam si figura est et umbra circuncisio, quid tantopere Christum in carne circuncisum praedico et extollo? Neutiquam vero stringor hoc modo, qui Christi circuncisionem aliter quam suam Iudaeus magnifico. Non enim sibi circuncisus est Christus sicut Iudei, sed nobis, quibus et *natus et datus est*[160], sed nec ideo, quod putaret cum Iudaeis praeputium omne natura immundum coram Deo esse aut carnis mutilationem virtutem esse Deo gratam atque acceptam. Sed ideo circuncisionem accepit, ut figuralem illam transferret in spiritualem veram circuncisionem. Ideo sub umbram hanc descendit, ut ea discussa rem ipsam in luce nobis exhiberet.

Praeter quam utilitatem profuit nobis et alias Christi circuncisio multis modis.

P r i m u m enim mortalibus omnibus comprobavit se carnem veram et nostri similem assumpsisse, qui voluit nos sibi in *unum corpus* (in quo omnes servaret) *concorporare*[161]. D e i n d e voluit *fratribus* suis secundum carnem, Iudaeis (inquam), ne quam illis offensionis causam praeberet[162], *per omnia assimilari*[163]. Et qui non p o s t r e m u s est eius fructus, liberavit nos a dura circuncisionis lege, circuncisus ipse pro nobis. *Misit* enim *Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum* Dei *reciperemus*[164]. Sed qui potuit isthuc fieri? Num legem (ut nos liberos ab ea redderet) destruxit? Minime. Sed pro nobis implevit. Pro nobis autem *implere*[165] quomodo potuit id, quod, ut ipsi nos praestemus, lex exigit et requirit? Sic enim habet mandatum Dei: *Masculus, cuius praeputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*[166]. Et iterum: *Erit autem pactum meum in carne vestra in foedus aeternum*[167]. *In vestra*, inquit, *carne*, non aliena. Multis sane mortalibus[b], quibus rationem caro absorbuit, praebuere haec legis[b] verba ingentis[b] causam ruinae, qui aeternum illud Dei testamentum ad suam ipsorum carnem referentes tam grandi rerum moli tam fragile ac vile substraverunt fundamentum. Quales fuere Iudaei, qui propter hanc legem legem Christi etiamnum aversantur. Quales item Ebionitae, qui, cum Christum recepissent *suaque omnia ad pedes apostolorum posuissent*[168], propter haec legis verba retro conversi ac circuncisi a Christo exciderunt[169]. Sic Cerinthus[170], sic pseudoapostoli[171], sic ad tempus Galatae[172], sic Mahumet et cum eo gentes innumerae a Christo recessere, quibus persuasum erat suam esse carnem, pro qua tanta polliceretur Deus, et de illa dictum esse: *Pactum meum erit in carne vestra in aeternum*[173].

[a] *V* luculentur [b] *om. C*

[157] Lev. 26, 41.
[158] Deut. 30, 6.
[159] Deut. 10, 16.
[160] Isai. 9, 6.
[161] Eph. 3, 6; 4, 4.
[162] Cf. 1 Cor. 10, 32.
[163] Hebr. 2, 17.
[164] Gal. 4, 4s.
[165] Cf. Matth. 5, 17.
[166] Gen. 17, 14.
[167] Gen. 17, 13.
[168] *Epiphanius*, Panarion, haer. 30, 17, 2 (GrChrSchr. 25. Epiphanius I 356, 3s.).
[169] Ibid. haer. 30, 26, 7ss. (l. c. 369, 18ss.).
[170] Ibid. haer. 28, 5, 2ss. et haer. 30, 26, 2ss. (l. c. 317, 13ss.; 368, 12ss.).
[171] Ibid. haer. 61, 5, 3s. (GrChrSchr. 31. Epiphanius II 385, 11ss.).
[172] Cf. Gal. 3, 10ss.; 5, 2ss.
[173] Gen. 17, 13.

Digitized by Google

Heu carneas et caecas hominum istorum mentes et stupida crassaque ingenia! Itane mortales de putente sua carne gloriari? Itane Dei et creatoris sui pacta gratuita carnis suae merito adscribere, et quidem carnis illi particulae, quae pudenda prorsus atque indigna sit.

Quid est autem *omnis caro* nisi *foenum*[174], nisi *pulvis*[175], nisi *lutum*[176]*?* Et huius scilicet vilior particula digna aestimabitur, pro qua paciscatur Deus homini immortalitatem? Quanta est indignitas opinari tam vilibus Deum addictum esse rebus? Alia, o caeci, alia est caro, pro qua pactus est nobis Deus aeternitatem. Haec est unigeniti eius caro, qui nobis natus, datus et circuncisus est idemque est masculus ille, in quo circuncidimur omnes. Quemadmodum enim, quod Abrahae dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae*[177], non potest ad eos omnes, qui ab Abraham descenderunt, referri — *nec* enim *dicit* scriptura: *in seminibus quasi in multis, sed in semine tuo quasi in uno*, hic unus autem *est Christus*[178] —, ita quod eidem dicitur: *Et erit pactum meum in carne vestra*[173], non ad unum quemlibet Iudaeum referri potest nec de multis, sed de carne una pronunciat Deus. Haec autem una caro, o Iudaei, est Christus de *carne vestra ex semine Abraham*[179] natus, qui idem et caro nostra est[180].

Quotquot enim in ipso baptizati sumus[181], *unum sumus* cum illo *corpus et membra de membro*[182], *de carnibus et ossibus eius*[183]. Illo ergo circunciso simul intelliguntur circuncisi, quotquot in eo F 6r existunt. Quam carnem unam | et masculum unum Colossensibus indicans is, qui aliquando *raptus* fuit *in tertium coelum*[184]*:* In Christo, inquit, *circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei per baptismum*[185]. Itaque iam *non est masculus et foemina*[186], *gentilis et Iudaeus, circuncisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus*[187], in quo *neque circuncisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura, sed fides, quae per dilectionem operatur*[188]. *Non enim qui in manifesto* hic *Iudaeus est neque quae in manifesto in carne* fit, *circuncisio est, sed qui in abscondito Iudaeus est, et circuncisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est*[189]. Enimvero non magni meriti res coram Deo est carnem circunferre mutilatam. Cordis et animae vitia amputasse illa demum praeclara est et Deo grata circuncisio. Haec est, quam legislator volebat atque intendebat, ad hanc invitat nos Christus infantulus circuncisione sacrosanctae carnis suae. Hanc docuerunt apostoli, praesagierunt futuram atque etiam suo exegerunt tempore prophetae, patriarchae et iusti viri olim in carne sua adumbrarunt pulchra et accurata ratione, quae pars hominis, quo ordine, qua aetate, quo cultro et quo modo circuncidi debeat, praescribentes. Quomodo[a] enim non numeris omnibus traderetur absolutum, quod ex Dei ipsius gerebatur praescripto?

Et quidem, quae pars hominis circuncidi debeat, in praeputii carne intelligitur. Non enim praecepit Deus praecidere ungues aut capillos vel barbam abradere, res, quas excernit ipsa natura, non etiam[b] corporis solida membra, sine quibus non potest homo integer consistere, sed congenita nobis praeputia, naturae quidem sui amantissimae chara, pudenda tamen. Quae quoniam carne constant et sanguine, non absque cruciatu revelluntur, tametsi abundare in corpore humano nec admodum ei necessaria esse videantur. Qua figura significat Deus vitia illa pudenda, in quae ferimur ab ipsa adolescentia ac per omnem aetatem adeo proclives quaeque radices iam in ipsis nostris visceribus egere nec possunt nisi natura, cui congenita sunt, reluctante et acerbo cum dolore extirpari, circuncidenda tamen esse, modo velimus inter filios Dei computari. Qualis est concupiscentiae venereae impetus, superbiae malum, ambitionis pestis, studium avaritiae, luxus, odium, invidentia et id genus morbi carnis, qui, etsi tenaciter adeo depravatae inhaereant naturae, ut extirpari et sanari, nisi vim nobis inferamus, vix queant, tamen nemo defendit, nemo non improbat utpote pudenda et verecunde (quantumvis corruptos homines delectent naturaeque adblandiantur) tegenda. Atque haec talia cui non merito videantur quaedam esse praeputia, et quidem cordis praeputia, unde *exeunt*, ut veritas ipsa nos docuit[190], *cogitationes* immundae, *quae coinquinant hominem*. Et *pravum est cor* hominis[191] *pronum*que (sicut apud Moysen Dominus ipse conqueritur) *ab adolescentia sua in malum*[192], quanquam scriptura sacra eadem illa vitia tribuit etiam *menti* iubetque et hanc circuncidere[193], ideo forte, quod mens videatur in corde suam habere sedem.

[a] *L edd. sequ.* modo [b] *C* enim

[174] Eccli. 14, 18; 1 Petr. 1, 24.
[175] Gen. 3, 19; Ps. 102, 14.
[176] Isai. 64, 8.
[177] Gen. 22, 18.
[178] Gal. 3, 16.
[179] Rom. 11, 1; 2 Cor. 11, 22.
[180] Cf. Gal. 3, 29.
[181] Rom. 6, 3; Gal. 3, 27.
[182] Rom. 12, 5; 1 Cor. 12, 27.
[183] Eph. 5, 30.
[184] 2 Cor. 12, 2.
[185] Col. 2, 11s.
[186] Gal. 3 28.
[187] Col. 3, 11.
[188] Gal. 5, 6; 6, 15.
[189] Rom. 2, 28s. [190] Matth. 15, 11. 18s.
[191] Ier. 17, 9. [192] Gen. 6, 5; 8, 21.
[193] Lev. 26, 41.

Digitized by Google

Legimus in Hieremia et aurium circuncisione opus esse; sic enim ait: *Cui loquar et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircuncisae sunt aures eorum, audire non possunt*[194]. Moyses querebatur se *labiis esse incircuncisum*[195]. Et quemadmodum circuncidere oportet mentem, cor, aures, labia, sic fortassis et manus et pedes et oculi et nares habent, quod circuncidatur. *Labia* quidem, *ne loquantur dolum in corde*[196], et[a] cor, ne cogitet *detractiones*[197], turpiloquia et ea, quae *nec nominari* vult inter fratres apostolus[198]. Aures, ne adulatoribus, calumniatoribus aut *colloquiis* eorum pravis, qui animas *corrumpunt*[199], auscultent, sed potius verbo Dei. *Oculi, ne videant vanitates*[200] et sint pleni concupiscentiis[201], sed *simplices sicut columbarum*[202]. Gustus a *crapula, ebrietate*[203] et gulae irritamentis, ne fiat homini suus *venter Deus*[204] et tanquam *crucis Christi inimicus* ab apostolo deploretur[205]. Manus, ne *muneribus, sanguine, rapina* aut *iniquitate* ulla polluantur[206]; *pedes a lapsu*[207], ne gradiantur via duplici, sed *in via currant mandatorum* Dei[208]. Tot sunt hominis partes, quae circuncisionem requirant, quanquam interim verum est corde bene circunciso[b] totum satis hominem circuncisum esse.

Ordinem ad haec quendam in circuncisione servandum esse Abraham suo nos docet exemplo. Siquidem is prior se ipsum, deinde *Ismaelem filium suum*, postea *vernaculos*, postremo *empticios* et advenas circuncidit[209], se quidem non impuritatis ullius praescindendae causa, sed propter exemplum, quippe qui iam iustitiae laudem a Deo fuerat adeptus. Iam audierat: *Ego protector tuus, Abraham, et merces tua magna nimis*[210]. *Benedicam benedicentibus te et maledicentibus tibi maledicam*[211], et iam quarto acceperat de posteritate, de Christo, de Chananaeorum fertilissima amplissimaque regione possidenda promissionem[212]. Nihilo tamen minus, quanvis iustus, re|ctus, Deo charus et annosus esset, debuit *pater multarum gentium*[213] futurus, priusquam pro- F6v missionis filium Isaac generaret, ipse circuncidi[213a].

Quid hoc sibi vult, Patres Rmi, aliud, nisi quod in ecclesia Dei oporteat primo ipsos Abrahamos, ipsos patres familias, qui alios circuncidant, circuncidi saltem in exemplum, quanto vero magis, si habeant ipsimet, quod circuncisionem requirat, videlicet ne audiant: *In quo alium iudicas, te ipsum condemnas*[214]. Neque enim Isaac nascitur nisi de parente circunciso[215]. Nec ecclesiarum patres bonos Christo generant filios, nisi fuerint ipsi circuncisi priores; sic enim aiunt plus valere exemplum bonum quam leges bonas[216]. Circunciso parente mox *Ismael filius* circunciditur[217], primus post patrem familias in domo. Et quis primus[c] in ecclesia post ecclesiae patres est nisi clerus in[d] sortem Domini electus et adscitus? Quem sequuntur tanquam vernaculi populus fidelium, *cives sanctorum et domestici Dei*[218]. Post vernaculos tardius circuncisionem admittunt servi empticii illi, qui sua *lucra* in ecclesia Christi *sectantes*[219] *non Domino nostro* Iesu *Christo serviunt, sed* suae cupiditati, *suo ventri*[220]. Postremi veniunt advenae, qui in ecclesiam de regione tenebrarum sero pene reversi poenitentiae castigatione severiori circunciduntur. Hoc ordine circuncidit Abraham domum suam[209] et hic ordo est, quem in Abrahamo Deus ecclesiae praescripsit, quem pervertere si quis adnitatur, nihil egerit aliud, quam ut cum natura pugnare et *Dei ordinationem*[221] infringere voluisse videatur.

Interim tamen praetereundum non est, siquidem velimus sacrae scripturae candidi et non iniqui interpretes haberi, quod Abraham, gentis pater, non a filio, non a vernaculis nec a servis aut alienigenis circunciditur, sed sua ipsius propria voluntate et manu. Nosse enim oportet

[a] *V C perg.:* corde detractiones	[b] *V* circuncisio
[c] *L et edd. sequ. perg.:* in ecclesiae patres	[d] *L* post

[194] Ier. 6, 10.
[195] Exod. 6, 12. 30; cf. ibid. 4, 10.
[196] Ps. 11, 3; 33, 14; 1 Petr. 3, 10.
[197] 2 Cor. 12, 20; 1 Petr. 2, 1.
[198] Eph. 5, 3.
[199] 1 Cor. 15, 33.
[200] Ps. 118, 37.
[201] Cf. Matth. 5, 28; 2 Petr. 2, 14.
[202] Matth. 10, 16.
[203] Luc. 21, 34.
[204] Phil. 3, 19.
[205] Phil. 3, 18.
[206] Cf. Isai. 59, 3; Ezech. 20, 26. 39; Amos 3, 10.
[207] Ps. 55, 13; 114, 8.
[208] Ps. 118, 32.
[209] Gen. 17, 26s.
[210] Gen. 15, 1.
[211] Gen. 12, 3.
[212] Cf. Gen. 12, 2; 17, 6; 18, 18; Rom. 4, 11. 16.
[213] Gen. 17, 4s.; Rom. 4, 17s.
[213a] Cf. quae *Sleidanus* de hoc loco annotavit: „Hat unter anderem gesagt, eh man zum Isaac komme, müss man den Abraham vorhin beschneiden. Das soll gar köstlich ding und seer woll geredt sein. Das mögen sie nun in genere woll leiden, pleiben doch, wie sie sind. Wo aber ein Ioannes Baptista keme, der inen die rechte beschneidung sagte und bede, ire lere, leben und disciplin, umbstieße und anzeigte, das es alles im bodem verwüstet und veronreinigt seie und gar nichts [sein] solt, dem würd mit der zeit auch gelonet werden", *Baumgarten* l. c. 199.
[214] Rom 2, 1. [215] Gen. 21 2ss.
[216] *Tacitus*, Annales XV c. 20. Cf. *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 10, prov. 61 (Opera II 384 D). *K.F.W. Wander* Deutsches Sprichwörter-Lexikon I 304, n. 5.
[217] Gen. 17, 26.
[218] Eph. 2, 19.
[219] 1 Tim. 3, 8.
[220] Rom. 16, 18.
[221] Rom. 13, 2

Digitized by Google

non permissum (nedum iniunctum) minoribus, ut negocium sibi sumant aut libidine ferantur maiores suos circuncidendi, ut sicut Cham ille naturae reverentia deposita parentum suorum *verenda nudata fratribus* ostendant[222], quos certa maledictio apud Deum manet. Sed debet Abraham a se ipso, non ab alio quovis minore circuncidi, derisus et contemptus. Ipsique sese patres debent ad proavorum et maiorum suorum normas et leges illas, quas nulla (quae quidem *a Deo* sit[223]) queat dissolvere potestas, ultro componere. Etenim non datam (ne ipsis quidem apostolis) esse a Deo potestatem ea, quae pro *aedificatione*[224] sancita sunt, destruendi[a] apostolus ipse, ille *gentium doctor*, *in fide et veritate*[225] nobis affirmat, pro quibus solis forsan conservandis quales, quales patres eorum fuerint, poterunt minores solliciti esse et Paulos quosdam agere[226].

Quae vero aetas circuncisioni huic divinae deputetur, si libet cognoscere, en Abraham circunciditur *annorum nonaginta novem*, *Ismael tredecim annorum*[227], *infans* parvulus *dierum octo*[228], familia vero absque aetatis respectu. Hoc vero quid est, Patres R[ml], nisi quod nulli parcitur aetati, quando neque infima circuncisionem evadit neque suprema. Abraham, qui anno nonagesimo nono superato iam centesimum agebat, aetatis supremae, parvulus infimae, Ismael et familia mediae gerunt imaginem. Omnis enim aetas circuncisioni christianae matura est, quod spiritus sanctus per prophetam significans sic Christi tempora descripsit: *Non erit ibi infans dierum et senex, qui non impleverit dies suos, quoniam puer centum annorum morietur et peccator centum annorum maledictus erit*[229]. A Deo[b] nemini datur ad perseverandum in peccatis spatium ulterius. Atque hoc ipsum est, quod habet historia divina: *Statim*, inquit, *in ipsa*[c] *die, sicut praeceperat ei Deus, circuncidit Abraham carnem praeputii sui et Ismaelis filii sui et omnem domum suam*[230].

Et quoniam non amputatur absque cultro praeputium, de hoc quoque dispiciamus. In scripturis quidem non invenitur circuncisioni adhibitus culter alius quam *petra acuta*[231]. Mirum vero, si tam acuta possit ulla fingi, quae circuncidendo cordi, quod omnium oculorum fugit aspectum, adhibeatur. Si non extat autem talis aliqua, qua falce aut securi cordis praeputium quis amputet? Nisi forte confugiendum putamus ad illam, de qua scriptum est: *Petra autem erat Christus*[232]. Sed haec petra qua cote exacuatur, ut scindat, aut quomodo cultri vicem obtineat Christus? Verum cessabimus mirari, ubi[d] propius[e] Christum inspexerimus consideraverimusque ipsum simul esse *verbum* illud *incarnatum*[233], verbum, inquam, *Dei vivum et efficax, quovis gladio ancipiti penetrabilius*, quippe quod *ad spiritus et animae, compagum quoque et medullarum divisionem usque pertingens cordis* ipsas *cogitationes* secretissimas *discernit*[234]. Ecquem autem cordi circuncidendo gladium magis penetrabilem aut petram acutiorem quaeramus?

Verum[f] dicet forte quispiam: Sed quis in potestate atque arbitrio suo hanc petram habeat, ut ea circuncidere et se et alios queat? Quem ad apostolum mitto, a quo audiat responsum:
F 7r *Ne dixeris*, inquit ille, *in corde tuo: Quis ascendit in | coelum?*[235], *id est Christum deducere, aut: Quis descendit in abyssum?, hoc est Christum a mortuis revocare. Sed sicut dicit scriptura: Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo*[236]. *Hoc autem est verbum fidei*[237]. Si credis enim, non opus tibi est, ut quaeras extra te eum, qui est ubique. Intus habes petram, qua circuncidaris, modo instanti ac circuncidere volenti pareas et acquiescas nec volueris *obdurare cor tuum*[238] *sicut* illi, qui noluerunt audire eius vocem et *temptaverunt* eum *in deserto*[239]. Etenim est et extra te *gladius* quidam *spiritus*, quem a Deo acceptum versant ac stringunt eius ministri, ecclesiarum praepositi, secant, eradicant, excidunt, exterminant, *aedificant, plantant*[240]. Hic est *gladius* ille *spiritus, quod est verbum Dei*[241], quo *gladius* ille *anceps*[234] vitalibus nostris infigitur, et verbum, quo *verbum* illud *vivum et efficax*[234] in te movetur. Si exceperis et obedientia humili intromiseris *gladium* istum *spiritus*, gladius ille anceps, nempe petra illa acutissima, circunagetur et permeabit tibi cor et medullas circuncidetque cogitationes immundas, desideria carnis omnesque affectus pravos, ipsissima illa[g] ac penitissima cordis praeputia. Et quoniam *verbum* illud instaurat universa[242], *cor mundum* rursus in te *creabit et spiritum rectum renovabit in visceribus* tuis[243].

[a] *L et edd. sequ.* destinandi [b] *VC* adeo
[c] *V C L* ipso [d] *C* ut [e] *V L* proprius [f] *C* virum [g] *add. C*

[222] Gen. 9, 22.
[223] Rom. 13, 1.
[224] 2 Cor. 10, 8.
[225] 1 Tim. 2, 7.
[226] Cf. Gal. 2, 10.
[227] Gen. 17, 24s.
[228] Gen. 17, 12; Lev. 12, 3.
[229] Isai. 65, 20.
[230] Gen. 17, 23ss.
[231] Exod. 4, 25; Ios. 5, 2.
[232] 1 Cor. 10, 4.
[233] Io. 1, 14.
[234] Hebr. 4, 12.
[235] Deut. 30, 12.
[236] Deut. 30, 14.
[237] Rom. 10, 6–8.
[238] Ps. 94, 8.
[239] Hebr. 3, 8s.
[240] Ier. 1, 10.
[241] Eph. 6, 17.
[242] Cf. Ps. 106, 20.
[243] Ps. 50, 12.

Digitized by Google

Porro modum, quo fieri debeat circuncisio, si quis requirat, in ipso illum inveniet nomine. Circum circum enim ducendus est culter petrinus in orbem, ne quid resideat aut relinquatur impuri[a]. *Modicum* enim *fermentum totam massam corrumpit*[244]. Nisi enim labefactantis carnis vivum ipsum culter penetret, si non pertententur radicitus mala graviora, sed radantur tantummodo aut ad tempus demetantur, tanquam irritata et plura et nocentiora, quam erant, resurgent fietque *novissimus error peior priore*[245]. Quamobrem praemisso Hieremia, magno illo circuncisionis huius praecone, ipse nos monet Dominus: *Circuncidamini*, inquit, *et auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda et Hierusalem, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur et non sit, qui extinguat*[246]. Graves profecto et metuendae sunt incircuncisis nobis minae istae non hominis, sed Dei voce tam terribili intonantis, *ne forte ut ignis*[b] *egrediatur* (inquit) *et non sit, qui extinguat* iram. Proinde *auferte*, non palpate *praeputium*, auferte, et ne velitis scalpere tantummodo. Praeputium ablatum non renascitur. Sic praeputanda sunt mala, sic *zizania eradicanda*[247], ne renascantur. Quo in negotio forsan videar cuipiam facere de rebus factu non possibilibus verba inania. Siquidem donec homines, erunt et vitia. Semper est inquietus *adversarius*, semper *circumit*[248], ut *seminet zizania*[249], semper *quaerit quos devoret*[248]. Et de parentibus circuncisis, velimus, nolimus, nascuntur filii praeputiati. Verum id quidem, sed non est propterea animo ad mala illa concedendum. Saltem, si prohiberi, ne redeant, non poterunt, non invitentur, non foveantur, non aperiantur eis ostia. *Circuncisus est aliquis? Non adducat praeputium*[250]. *Si enim, quae destruxi, iterum reaedifico* et rursus instauro, *praevaricatorem*, inquit apostolus, *me constituo*[251]. Semper quidem inquietus est adversarius, sed non proficit, nisi *quando dormiunt homines;* tum enim spargit *inimicus homo zizania* sua[252]. Cui periculo poterunt, imo debent excubiis suis ecclesiae *speculatores* occurrere[253]. Quid enim episcopus nisi speculator? Et quid faciat speculator, nisi ut invigilet[254]? Et quod nascuntur de circuncisis *incircuncisi*[255], de ablutis et purgatis immundi, non voluntate parentum piorum id fieri, sed inevitabili naturae corruptione eorundem est querela.

Unde est, ut non etiam culpa mali huius parentes, quibus illud invisum est quique propterea ingemiscunt et dolent, perstringat. Ad quem modum, ut vestra quoque egregia voluntas, vestrum studium vestraque hac in re integritas omnibus fiat perspecta, Patres R[mi], non parum retulerit, quo intelligat orbis christianus, quodcunque renascetur malorum, per vos non stetisse, sic vos amputasse corruptelas, sic causas excidisse malorum, sic nec rimulam, qua revertantur, reliquisse, quasi qui nolueritis unquam ea redire. Qua sane ratione fiet, ut, si non tollentur[c] omnia, quod, ut nostra habet conditio, impossibile videtur, vitia saltem quam minima relinquantur et eorum, quae vel forte relinquentur vel renascentur, non sitis daturi Deo rationem; *animas* enim *vestras*, sicut propheta ait, *liberaveritis*[256].

Haec vero vestra est vocatio, hoc officium vestrum. Ad hoc estis in nomine Domini nostri Iesu Christi in hac synodo frequentissima magna religione maximaque cum orbis totius expectatione constituti. Ad hoc nomen illud adorandum, quo nemo fuerit ad causas privatas impune abusus, actionibus et studiis vestris praetenditis vobisque iure vestro bono vendicatis. Ad hoc tributa est vobis a Deo potestas (non qualiscunque, sed quae contra ipsa etiam tartara et omnia regna mundi praevaleat) divina. Nisi vos autem in eo authoritatis fastigio constituti laborantem ecclesiam ab impuritate morum, a scabie contracta, a gravaminibus | et abusibus, de quorum F 7v multitudine intolerabili publica est querela, circunciditis et repurgatis, quem expectabimus[d] alium, hoc qui faciat absque, non dico circuncisione, sed corporis totius excoriatione et convulsione eorum, quae hactenus permansere nobis integra? Quamobrem ecclesiae salus hodie versatur in manibus vestris. In vos illa suspicit, fidem atque opem vestram implorat et per natum ac circuncisum Dominum vos obtestatur, ut ne velitis a negocio tam sancto, tam necessario tantaque cum laude inchoato cessare, donec illa suo nitori restituatur. Nec audire velitis eos, qui perniciosa securitate arbitrantur non admodum referre, bene an male vivatur, modo retineatur integritas doctrinae, pro qua sola iubent vos esse sollicitos, vana nimirum spe sibi persuasum habentes ita rem omnem extra periculum fore propter promissionem Christi: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*[257]. Quid enim dicunt aliud quam: *Pax, pax, ubi non est*

[a] *C* immundi [b] *V* inquis [c] *C* tollantur [d] *V* expectantibus

244 1 Cor. 5, 6.
245 Matth. 27, 64.
246 Ier. 4, 4.
247 Matth. 13, 29.
248 1 Petr. 5, 8.
249 Matth. 13, 25.
250 1 Cor. 7, 18.
251 Gal. 2, 18. 252 Matth. 13, 25. 28.
253 Cf. Ezech. 33, 2. 6s.; 1 Mach. 12, 26.
254 *Augustinus*, De civitate Dei I, c. 9, 3 (CChr. XLVII 10, 79ss.).
255 Cf. Ezech. 31, 18; 32, 19; 1 Mach. 1, 51.
256 Cf. Ezech. 3, 19. 21; 33, 9. 12.
257 Matth. 16, 18.

Digitized by Google

pax[258], et: *Templum Domini, templum Domini*[259], quod studiis hominum prophanis ille ducit pollutum[260]. Sic blandiebantur sibi et olim Michea teste Iudaei. *Audite haec*, inquit, *principes domus Iacob et iudices domus Israel, qui abominamini iudicium et omnia recta pervertitis. Qui aedificatis Syon in sanguinibus et Hierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant et sacerdotes eius in mercede docebant et prophetae eius in pecunia divinabant et super Dominum requiescebant dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrum est?*[261] Pulchrum quidem, imo et necessarium ad salutem nostram fuerit doctrinae conservasse integritatem; sed qui propterea securi sunt, ii mihi ignorare videntur ob vitae corruptionem aut[a] integritatem illam doctrinae amitti *tradique* homines *iusto Dei iudicio in sensum reprobum*[262] aut heresum scismatumque violento turbini vel saltem[b] tyrannorum et infidelium barbarae ac rabiosae oppressioni aliisve cladibus publicis ecclesiam (ceu divinae iustitiae flagellis) ad supremum usque eius halitum[c] committi.

Quo nihil certius esse compertum habent, qui superiorum temporum historias ecclesiasticas Eusebii, Theodoriti similiumque perlegerunt praesentemque rerum statum circumlustrant, cum gestis maiorum componunt et, quem tandem sit habiturus exitum, prudenter secum dispiciunt ac coniectant. Et fere perpetuo hereses et schismata ex moribus corruptis nata[d] sunt atque invaluerunt. Sequitur enim vitae corruptionem corruptio mentis. *Quoniam in malevolam animam*, sicut in sacris dicitur, *non introibit sapientia nec habitabit in corpore peccatis subdito. Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum*[263]. Quam plagam et legis veteris transgressoribus Moyses imprecabatur: *Percutiat*, inquit, *te Deus amentia et caecitate ac furore mentis et palpes in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris*[264]. Dignum est enim, ut sole careant[265], quos delectat in tenebris versari. Et unde veniunt *spiritus vertiginis*[266], *spiritus soporis*[267], spiritus *superbiae*, *contumeliae*[268], *mendacii*[269] et *erroris*[270]*?* Unde tenebrae mentis et *sensus reprobus*[262]*?* Quare *perit sapientia a sapientibus et intellectus prudentium* obscuratur[271], nisi quia *cogitationes perversae separant a Deo*[272]*?* Profecto[b] neque legem novit neque prophetas, sed nec ipsum Christum, quem confitetur[e], qui confidit non *auferendum* a malis *regnum Dei et dandum genti facturae* iustitiam eius[273].

Quae mihi propter securos illos doctrinae fiducia dicta sunt, quorum praeposterum esse iudicium eisque, qui ecclesiae[f] Christi volunt quam optime consultum, si non potiorem, certe non posteriorem[g] exercendae disciplinae quam doctrinae illustrandae habendam rationem ipsi probe, Patres prudentissimi, cernitis. Christus enim eos, qui mentis et vitae puritate ipsi student inherere, necessariis ad recte credendum beneque vivendum praesidiis nunquam destituit, sed docet, illuminat et instruit tales amplius atque amplius in dies apparens *iis, qui diligunt eum*[274]. At securos illos, qui voluntate eius licet[h] agnita vivere perverse non verentur, aut plectit severe aut velut desperatos procul abiicit. Porro sive irato Deo prorsus *excidant* a fide Christi[275], sive eo propitio flagellis tantum hominum castigentur et in statum alium redigantur, isti, qui hoc tempore doctrinae retinent integritatem, quorum certe neutrum videri cuiquam debet non e propinquo metuendum. Nam quis neget Europae tandem posse accidere, quod toti iam Asiae atque Aphricae evenisse in propatulo est? Non tamen ob id fallet promissio Christi aut peribit eius ecclesia. Siquidem desertorum et apostatarum[i] loco surrogabit Dominus populum alium, eos vero, qui permanserint constantes, purgabit, castigabit ac probabit. Non enim promisit ecclesiae suae Christus opes huius seculi, non luxum, non pompas, non imperium, sed nec patriam certam nisi coelestem. Et quid, si haec ipsa circuncidantur, si reprimatur quoque tot
F 8r sacerdotiorum insana ambitio, si non *vendatur et ematur in templo*[276], si non tot laquei pe|cuniis tendantur, si pauperum et ecclesiae bona non distrahantur in res perditas, si pro quaestu revocetur *pietas* vera[277], num propterea ecclesiam Christi periclitaturam existimabimus et non potius purgatum et *tanquam aurum igni probatum*[278] iri? Quam repurgationem si vos (quod faxit Deus et exoptatissimum foret) facitis ipsi, Patres R[mi], mirum, quanto id gaudio tota coelestis curia excipiet quantamque attuleritis rei publicae christianae tranquillitatem. Sin autem, purgabit Deus nihilominus ecclesiam suam consiliis aliis et tardantes misericordiae suae flagellis *compellet* tandem *intrare*[279].

[a] *om. L et edd. sequ.* [b] *om. C* [c] *C* habitum, *L* anhelitum [d] *C* natae [e] *C* profitetur
[f] *V* ecclesiam [g] *V* posteriorum [h] *om. V L* [i] *V* apostatorum

[258] Ier. 6, 14; 8, 11.
[259] Ier. 7, 4.
[260] Ier. 7, 30.
[261] Mich. 3, 9–11.
[262] Rom. 1, 28; 2, 5.
[263] Sap. 1, 4s.
[264] Deut. 28, 28s.
[265] Cf. Sap. 18, 4.
[266] Isai. 19, 14.
[267] Isai. 29, 10.
[268] Prov. 11, 2.
[269] 3 Reg. 22, 23; 2 Par. 18, 22.
[270] 1 Io. 4, 6. [271] Isai. 29, 14.
[272] Sap. 1, 3. [273] Matth. 21, 43.
[274] 1 Cor. 2, 9.
[275] 1 Tim. 6, 21; 2 Tim. 2, 18.
[276] Matth. 21, 12; Marc. 11, 15; Luc. 19, 45.
[277] 1 Tim. 6, 6.
[278] Prov. 17, 3; Sap. 3, 6; Eccli. 2, 5; 1 Petr. 1, 7.
[279] Luc. 14, 23.

Digitized by Google

Nunc, nunc igitur, nunc *apprehendenda* est omnibus *disciplina*, *nequando irascatur Dominus et pereatis de via iusta*[280]. Nunc petra acuta circuncisioneque salutari est opus, nequando queratur Dominus: *Frustra percussi filios vestros*, *disciplinam non receperunt*[281], nequando clamet orbis terrarum nihil hoc concilio actum, nihil promotum, aliis opus esse conciliis aliaque circuncisione. Nunc scandalis, nunc abusibus et exemplis pravis praeputatis, nunc restitutis in sua munera, suas functiones suamque dignitatem omnium graduum ordinibus, restitutis in suas fundationes et origines ecclesiis, quas hominum *insatiabilis* cupiditas[282] ministeriis (Deo et hominibus debitis) nudatas sibi reddidit censuales, nunc vitae integritate *ad ecclesiae aedificationem*[283] revocata confundetur *imprudentium hominum ignorantia*[284] haeresesque omnes sua sponte colliquescent ac diffluent. Nunc relevata gravaminum mole, quibus magna pars orbis se queritur oppressam, et *Salomonis* mitigato parumper *iugo*[285] potest omnium querelis fieri satis et *regnum* David *stabiliri*[286]. Alioqui verendum, ne durior (quod Deus avertat) circuncisio corporisque totius excoriatio sequatur. Non desunt enim malevoli homines, qui tale quiddam iam dudum volvant ac meditentur et, si queant, ecclesiam totam semel evertant. Quorum machinationes insanas, perditas et execrabiles retundet ecclesiae suae author, custos et protector Deus, qui circuncisionem spontaneam, pacificam, salutarem in suavitate, in spiritu sancto requirit et diligit, qualem ecclesia (quae in vos, Patres sanctissimi, respicit) de pietate, prudentia et *solicitudine vestra*[287] paterna cupide expectat. Dei enim *cooperatores* estis[288], qui vineam suam opera vestra, *ut fructum*[a] *plus afferat*, *purgabit*[289] et *opus bonum in vobis ceptum perficiet*[290] ac *consummabit*[291] *circuncidetque cor vestrum et cor seminis* vestri, *ut diligatis Dominum Deum ex toto corde* vestro[292], cuius auxilio praesenti difficultates omnes superabitis, etiamsi totus reluctetur aut insaniat orbis. Quod praestare et ad *nominis* sui *gloriam*[293] concedere dignetur is, qui *nobis natus*[294] et circuncisus habet in manu sua *corda filiorum hominum*[295] potestque ea *dirigere in vias rectas*[296]. Amen.

5.

Doctoris Ioannis Gropperi, archidiaconi Coloniensis

Oratio in solenni epiphaniae Domini die tribus illis, quos Colonia complectitur Agrippina, sanctissimis magis sacro

Ad patres Tridenti habita in sacro oecumenico concilio[1]

Die 6. Ianuarii 1552

Haud equidem sum nescius, Patres Sanctissimi, non procul eum a lata culpa abesse, qui imbecillitatis suae memor et, quid ferre recusent, quid valeant humeri, non inscius, munus tamen id, quod suarum virium magnitudinem excedit, non dubitet simplici in sese animo gerendum suscipere. Is enim, dum in eo peragendo per ineptitudinem suam turpiter succumbit, non alios modo, quibus ea provincia iure debebatur, idoneos ac praestantes viros gravi contu- Coloniae 1552 A 2r

[a] *C* fructuum

[280] Ps. 2, 12.
[281] Ier. 2, 30.
[282] Eccli. 14, 9.
[283] 1 Cor. 14, 5. 12.
[284] 1 Petr. 2, 15.
[285] Cf. 3 Reg. 12, 4. 9ss.; 2 Par. 10, 4. 9ss.
[286] Cf. 2 Reg. 7, 13; 1 Par. 17, 11.
[287] 1 Cor. 7, 32; 2 Cor. 7, 11; 1 Petr. 5, 7.
[288] Cf. 1 Cor. 16, 16; 3 Io. 8.
[289] Io. 15, 2.
[290] Phil. 1, 6.
[291] Io. 17, 4.
[292] Deut. 30, 6.
[293] Ps. 28, 2; 113, 1 (bis); Mal. 2, 2.
[294] Isai. 9, 6.
[295] Eccl. 9, 3.
[296] Ier. 31, 21.

[1] De hac oratione Massarellus in Actis mentionem fecit, Conc. Trid. VII, I 441, 20. Iam die 24. XII. 1551 Billick priorem conventus Coloniensis OCarm. Doroler certiorem fecerat in festo epiphaniae Gropper *cum tribus magis munera* oblaturum, i. e. orationem habiturum esse; cf. supra p. 22, adn. 1. Quamquam Patres concilii hanc orationem *tanto applausu* exceperant, *ut dignam iudicaverint*, *quae excuderetur*, Gropper ipse primo dubitavit permittere, ut ea typis describeretur, veritus, *quoniam acerbe admodum in adversarios invectus est*, *ne causam ipsis praeberet concilii iudicium detrectandi*. Postea vero Billick *eum*, *quibus potuit modis*, *induxit*, *ut orationem excudendam Coloniam transmitteret*, *E. Billick* ad C. Doroler OCarm. die 25. I. 1552; vide supra ibid. Typis oratio Gropperi exscripta est Coloniae apud Iasparem Gennepaeum s. a. [1552] sub titulo: „IOANNIS GROPPERI D. ORATIO IN SOLENNI EPIPHANIAE DOMINI DIE, TRIbus illis (quos Colonia complectitur Agrippina) sanctissimis Magis sacro. Ad Patres Tridenti habita in sacro Oecumenico Con-

Digitized by Google

melia afficit, sed et expectationem illorum, quibus suam accommodavit operam, foedissime fallit sibique una perpetuam teterrimae ignominiae notam e re male gesta inurit et comparat. Cuius quoque me poterat evangelica illa parabola commonefacere, quam Dominus de homine proponit eo, qui, quum in animum induxerat aedificare, *non prius* secum diligenter expenso, an ea, quae ad exaedificandum attinerent, suppeterent, ubi rem exorsus esset, quia exequi non potuit, omnibus se spectantibus deridendum illudendumque propinavit[2]. Quae sane ratio non immerito et potuit me et debuit, ne temere hunc locum augustissimum conscenderem, deterrere. Etenim ex hoc loco non tanquam e rostris, e quibus olim oratores Romani, viri eloquentissimi, ad promiscuam populi concionem de rebus interdum frivolis nec magni adeo momenti verba faciebant, mihi agendum est, sed potius ex ecclesiastica cathedra ad ipsa columina *civi-* A 2v *ta|tis Dei viventis Hierusalem*[3], catholicae et apostolicae ecclesiae *principes*[4], *speculatores domus Israel*[5] dominicique gregis *custodes*[6] ac *duces*[7], de rebus longe maximis et gravissimis dicendum erit. Ad vos, inquam, christiani orbis splendidissima *luminaria*[8], viros longe sapientissimos et cum in omni disciplinarum genere tum in lege praecipue Domini undequaque doctissimos, quorum vel solus conspectus (tanta est enim vestri huius omnium celeberrimi consessus maiestas et autoritas) vel ipsum credo Ciceronem etiam, Romanae eloquentiae parentem, inter ipsa orationis initia exterrere obmutescentemque reddere potuisset. Quo minus mirum fuerit, si ipse, qui probe pernovi, quam sit mihi curta supellex quanque sim omni et solidae eruditionis praesidio et dicendi cum peritia tum exercitatione destitutus, dicere ex hoc loco incipiens totus intremiscam atque etiam tacitis cogitationibus, quod eo audaciae venerim, meam mihimet temeritatem ipse exprobrem.

Verum enimvero sunt quaedam, quae vicissim me sic trepidantem non parum sublevent ac in munere semel suscepto prosequendo confirment. Et initio quidem vestra iussio et hortatus, quae faciunt, ut bene sperem et confidam vos pro singulari vestra humanitate levius mihi hanc culpam condonaturos esse, si officio a vobis imposito pro rei simul ac loci dignitate expectationeque vestra non omnino fecerim satis. Solemus enim iumentis ineptioribus, quibus graviora, quam ferre queant, onera scientes iniecimus, si sub sarcina succumbant, facilius ac libentius ignoscere. Et nota est vestra incredibilis benignitas, quae omnes, qui ex hoc loco dicere A 3r soliti sunt, magno cum favore excipere semper consuevistis. | Deinde et hoc me non parum recreat, quod sermo mihi ad vos habendus sit, qui praelucente spiritu sancto ex diversis longe remotissimis orbis partibus ad hanc urbem accessistis, non ut humanae eloquentiae studeatis aut quas peragendas suscepistis res omnium maximas *phalerata facundia*[9] expediatis conficiatisque, sed magis, ut superbas munitiones, quas perfidiosissimi ecclesiae desertores *armis* hisce *carnalibus*[10], hoc est in sublimitate sermonis doctisque et *persuasibilibus humanae sapientiae verbis*[11], sed absque ullo solidae veritatis fundamento in ecclesiae pernitiem et destructionem erexere, armis Deo potentibus *in ostensione spiritus et virtutis*[11] diruatis *omnem*que *celsitudinem se adversus scientiam Dei extollentem* supprimatis, *redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*[12]. Quocirca hoc a me in praesentia exquirere videmini, non ut verborum lenocinio fucata et rhetoricis coloribus picturata, sed magis ut vera ac solida, quae et loco et tempori et rebus et personis et officiis vestris non omnino aliena sint, etiam verbis simplicissimis in medium huc proferam.

cilio, Anno partae salutis M.D.LII. COLONIAE. Cum Gratia & Priuilegio, apud Iasparem Gennepaeum." Verso titulo invenitur copia picturae trium magorum puero Iesu dona ferentium in lignum incisae. Exemplaria exstant Augustae Vind., Bibl. rei publ. et civitatis; Bruxellis, Bibl. royale Albert I (II 10.604 ALP); Coloniae, Bibl. Univ. (GB IV 2506); Cracoviae, Bibl. Jagiell. (Theol. 9490); Friburgi, Bibl. Univ.; Monachii, Bibl. rei publ. (Hom. 413/7 et Hist. eccl. 169/2); Pelplin, Bibl. seminarii Duchon. (II C. c. 1 c/adl.); Bibl. Vaticana (Racc. gen. teol. IV, 3632/9); Vindobonae, Bibl. Austr. Nat. (24 L. 27/13); cf. *J. Meier*, Johannes Groppers Predigt vor den Trienter Konzilsvätern l. c. 145, adn. 95. *Fr. J. v. Bianco*, Die alte Universität Köln l. c. I, I 706. *W. van Gulik*, Johannes Gropper (1503–1559), Freiburg 1906 (=EEJ V, 1–2), 150s. *A. Postina*, Der Karmelit Eberh. Billick l. c. 205, n. 132. *W. Lipgens*, Kardinal Johannes Gropper (=RST 75), Münster 1951, 206. 229, n. 33. De hac oratione etiam rettulit *H. Crombach*, Annales ecclesiast. et civiles metropolis Coloniae IV, p. 575: „Is [Io. Gropper] ineunte anno [1552] festo Epiphaniae delectus est orator, qui patres conscriptos Tridenti ad constantiam exemplo ss. trium regum adhortaretur, quod diserte praestitit ostensis tribus muneribus Christo consecrandis, ut aurum sincerae fidei sublata haeresis scoria, thus cultus divini et legitimae sacramentorum administrationis ac myrrham reformationis disciplinam cleri restituerent ecclesiae. Quid vero potissimum restaret perficiendum, ita recenset breviter: *Primatum Petri... [vide infra p. 47, 47ss. cum adn. b]*", Coloniae, Arch. histor. civitatis, *Chroniken u. Darstellungen 111*. Cf. *Corn. Loos*, Ill. Germaniae scriptorum catalogus, Moguntiae 1581, f. Ir.

2 Luc. 14, 28s.
3 Hebr. 12, 22.
4 Ps. 44, 17.
5 Ezech. 33, 7.
6 Isai. 62, 6.
7 Ps. 67, 28.
8 Phil. 2, 15.
9 *Terentius*, Phormio 500 (III 2,15). *Quintilianus* Institutio orat. X, c. 1, 80.
10 2 Cor 10, 4.
11 1 Cor. 2, 4.
12 2 Cor. 10, 5.

Digitized by Google

His igitur rationibus confirmatus sermonem de lectione evangelica, quae modo intra sacra missarum solennia vobis auscultantibus publice recitata est, Deo bene favente instituam, idque eo maxime, quod huius lectionis historia non tantum nobis ineffabilia praesentis diei gaudia denunciet ac communicet, sed et sanctae Dei ecclesiae (cuius vos formam prae vobis fertis[13]) imaginem velut ad vivum expressam exhibeat et praeterea vestrum in hoc sacrosancto oecumenico concilio munus pulcherrime adumbret. Caeterum vero, quum ne verbum quidem de tantis mysteriis digne effari, nedum | absolvere, quam institui, aliquo saltem cum fructu ora- A 3v tionem queam, nisi is de coelo dicendi mihi facultatem suppeditet, qui *os mutorum aperit et linguas infantium disertas esse facit*[14], hunc communibus ac supplicibus votis ante omnia mihi adeundum video, ut illud lumen splendidum menti meae clemens infundat, quod trium magorum, primorum suae gloriae ex gentibus praeconum, animis coelitus inspiravit. Quare vos, Patres sanctissimi, exoratos velim, ut simul mecum ad hunc coelestem patrem ex imis pectoribus eam precationem fundatis, quam exauditurum illum veracissimus (qui non fallit) filius certo repromisit[15], simulque virgini matri, quae *seculorum* omnium *regem*[16] et gentium illuminatorem[17] ex se aeditum hodie sinu suo complexum sanctissimis magis contuendum et adorandum exhibuit, angelicam illam salutationem offeratis dicentes: *Pater noster. Ave, gratia plena*[18].

Cum natus esset Iesus etc.[19]

Evangelicam lectionem, cum legeretur, Patres sanctissimi, arrectis auribus et attentis animis audivistis. In ea re nihil vulgare, nihil secundum communem morem aut humanam consequentiam gestum animadvertistis. Universa, quae narrantur, humanum longe excedunt captum. Natus denunciatur Iesus, quod est (si nomen interpretemur) *salvator*[20], rex ille coeli et terrae, *per quem facta sunt omnia et sine* quo *factum est nihil*[21], *gloria Israelis*[22] et *gentium lumen*[23] immensum. Natus vero ex humili matre, sed *intacta virgine*[24], non ex virili semine, sed mystico spiramine, non in solo virginis patrio, sed peregrinae regionis in pandocheo, non in regia urbe Hierosolyma, quae tum orientis facile caput erat, sed in parvo Iudaeae oppidulo Bethleemo (quod *domus panis* inter|pretatur) *minimo* quidem, si murorum et ambitus angustias spectemus, sed A 4r profecto haud minimo *in millibus Iuda*[25], si cum propheta[25] tanti regis ortum, quo prae omnibus non Iudaeae modo, sed mundi totius urbibus praeclara et nobilis evasit, consideremus. Natus denique Herodis Ascalonitae, exteri et impiissimi regis, temporibus, qui non a Iacob (cui *Israel* nomen inditum erat[26]), non a Iuda (cui repromissio regni facta fuerat[27]), sed ex Idumaea gente ortum ducens occupato regno coelestem simul legem et Dei iustitiam sub terrena sua potestate saevissimaque et inani dominatione vinctam et depressam tenebat. Quo etiam tempore divinae legis et *sanctuarii custodia*[28] ad impios Israelitici populi sacerdotes et degeneres scribas non iam unum idemque ex Dei spiritu (ut ipsorum maiores) de religione sentientes ac docentes, sed per sectas multum diversas pernitiosa dissensione discerptos fuerat devoluta, qui certe legem, in qua versabantur, et *voces prophetarum, quae per omne sabbatum legebantur*[29], ignorantes salutiferum et spiritale Dei verbum ad suos perditos et carnales sensus et affectus nequissimos detorquebant atque etiam ad captandum humanae gratiae lucrum cum veritatis damno divinae contestationis obliti[30] subinde mutilabant, id quod praesens evangelii lectio (ut paulo post attingam) clarissime ostendit.

Sub his regni et sacerdotii Iudaici moderatoribus Christus, coelestis rex[31] et aeternus sacerdos[32], vixdum natus ac etiamnum *pannis involutus et repositus in praesepi*[33], admirabili et stupenda virtute *coelum commovet et terram*[34] ac Iudaeos pariter et gentes in densissimis *tenebris et umbra mortis degentes*[35] novi splendore luminis[36] ad se quaeren|dum et agnoscendum invitat et pertrahit, A 4v pastoribus quidem genere Iudaeis angelorum multo cum lumine apparentium et *gloriam Deo et hominibus pacem* concinentium[37] ductu, magis vero remotissimae Persidis sapientibus gentium primitiis novae et plane admirabilis stellae[38] indicio sese videndum et adorandum praebens.

[13] Cf. 1 Petr. 5, 3.
[14] Sap. 10, 21.
[15] Matth. 6, 6ss.; Luc. 11, 9ss.
[16] 1 Tim. 1, 17.
[17] Luc. 2, 32; Act. 13, 47.
[18] Luc. 1, 28.
[19] Matth. 2, 1.
[20] Cf. Matth. 1, 21; Luc. 2, 11.
[21] Io. 1, 3. Credo Nicaeno-Constantinopolitanum.
[22] Isai. 46, 13; Luc. 2, 32.
[23] Isai. 60, 3; Luc. 2, 32.
[24] Cf. *Thomas Aquin.* hymnum *Pange, lingua*, str. 2 (Breviarium Rom., feria V in festo Corp. Christi ad vesperas).
[25] Mich. 5, 2; Matth. 2, 6.
[26] Gen. 32, 28.
[27] Gen. 49, 10.
[28] Num. 3, 32.
[29] Act. 13, 27.
[30] Deut. 4, 1ss.; 12, 28ss.
[31] 2 Tim. 4, 18.
[32] Cf. Ps. 109, 4; Hebr. 5, 6; 7, 17 etc.
[33] Luc. 2, 12.
[34] Agg. 2, 7.
[35] Ps. 106, 10; Luc. 1, 79; Hebr. 2, 15.
[36] Isai. 9, 2; Matth. 4, 16; Io. 1, 9. 12.
[37] Luc. 2, 13s.
[38] Matth. 2, 2. 9s.

Digitized by Google

Et quam multa, Patres sanctissimi, miranda et stupenda stella ista complectitur? Non stella vulgaris est, non una de multis, sed prorsus nova et ab aliis discreta syderibus. Cum enim *aliae stellae* solis polis exceptis rapido firmamenti motu *ab oriente in occidentem* ferri cernantur, *haec a septentrione in meridiem*, inusitato videlicet itinere ac tramite, veniebat. Sic enim Chrysostomo testificante[39] *Palaestina* secundum locorum situm *spectabat ad Persidem*. Cum aliae *noctu* tantum visantur, sole vero exorto obscurentur penitus, haec lucente iam medio die radiis solaribus clarius fulgebat. Cum aliae sub nymbis plerunque lateant, haec nullius occursu nubis abdebatur. Cum aliae diurnis absolutis cursibus sub noctem occidant, haec nunquam mergebatur. Cum aliae suum natura inditum, continentem ac perpetuum cursum semper teneant, haec ad viatorum voluntatem pergebat et *igneae* illius instar *columnae*[40] cum proficiscentibus ibat et cum stantibus insistebat. Cum aliae malis perinde atque bonis luceant, haec magis tantum lucebat, Herodis et scribarum subducta conspectibus. Cum denique aliae suis orbibus infixae de excelso coeli vertice nunquam descendant, haec inferioris aeris partes tenens et sublime Br relinquens ad *tugurium* | usque et praesepe dominicum se demisit, donec ipsius quam proxime iam nati infantis capiti immineret.

Huius igitur stellae seu divinae potius virtutis rationis plenae energia magi perciti subito, cum primum ipsorum mentibus irradiare cepisset, domo, patria, amicis, necessariis, propinquis, famulitiis atque adeo regno (quod vel ab eis vel eorum saltem arbitrio et prudentia regebatur) derelicto longissimam peregrinationem ob novum Iudaeae regem recens ortum[41], quem stella signabat, invisendum susceperunt, qua vasto terrarum spatio magnis itineribus emenso multisque gravissimis difficultatibus superatis ad Iudaeam tandem perveniunt Hierosolymamque regiam urbem divina dispensatione primum accedunt.

Hic licet Herodem alienigenam amplissimum et florentissimum regnum (Iudaeae enim Samariam tum et Galilaeam cum Chalcide coniunxerat) inaudita tyrannide et incredibili saevitia (quam sine discrimine tam in suos quam alienos ferro et caedibus exercebat) non administrare, sed funestare et de his potissimum, quos de regni sui mutatione vel leviter suspectos habuisset, immanissima supplicia sumere comperissent, ipsi tamen in media Hierosolyma, ubi tum ille agebat, omni timore posito suae tam longinquae profectionis causam, etsi longe sibi invidiosissimam, coram omnibus libere edicunt inquirentes et dicentes: *Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum?*[41], quod certe nemo alius nisi cum maximo ac praesenti et aperto periculo (nimirum sola hac voce protinus mille in se gladios conversurus) facere potuisset. |

Bv At qui magos praelucente stella Hierosolymam usque perduxerat, adeo nihil mali Herodem (cuius furorem et manus continebat) eis intentare permisit, ut magis cum tota etiam Hierosolyma gravissimo illum metu et perturbatione implicaret[42], eoque, quo sua gloria et virtus inimicorum testimonio manifestior et illustrior redderetur, etiam pertraxit, ut a *sacerdotibus et scribis* ad se accersitis certum ex prophetis praesagium, *ubi Christus nasceretur*[43], exquireret, qui et impiissimo tyranno (in cuius gratiam omnia faciebant) morem gerere volentes testimonium quidem propheticum, sed infideliter proferunt. Siquidem potissimam eius partem, ut nati regis inaestimabilem dignitatem Herodi palpantes obscurent, praecidunt. Dicentes enim: *Scriptum est per prophetam: Et tu, Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel*[44], id, quod sequitur maxime ad rem faciens, gratia simul et livore corrupti occultant et supprimunt, nempe: *et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis*[45].

Porro Herodes auditis scribis hoc unum animo versabat, quomodo Dei consilium destruere et natum regem extinguere posset, ignorans miser, quod *non sit sapientia, non prudentia, non consilium contra Dominum*[46]. Magos itaque, quos neque populi tumultum neque suam formidare potestatem cognovit, blanditiis aggreditur, suadet, ut in Bethleem properantes puerum *diligenter* inquirant eundemque, ubi invenissent, Hierosolymam reversi sibi non adorandum quidem, ut B2r simulabat[47], sed persequendum et perdendum (O stupendam Herodis in|saniam!) prodant, eum videlicet puerum, ob quem tanti itineris molestiam laboremque ii susceperant. At illi impio rege et malae fidei scribis dimissis Bethleemum tendunt. *Et ecce, quam* ad Herodem et scribas divertentes *stellam* amiserant, dum ceptum ad quaerendum Dominum iter persequuntur, coruscanti se lumine rursus praecedere ac pergere, donec *staret supra* locum, *ubi erat puer*[48], laeti conspiciunt, quo nimirum stellae tam devotae et obsequentis mysterio eius, quem quaerebant, regis prae aliis terrae regibus incomparabilem maiestatem haud obscure cognoscebant. Quare etsi extrinsecus nihil praeter stellam magnificum aut gloriosum viderent, non altas, non super-

[39] In Matthaeum hom. 6, c. 2 (*Migne*, PG LVII 64).
[40] Exod. 13, 21s.
[41] Matth. 2, 2.
[42] Matth. 2, 3.
[43] Matth. 2, 4.
[44] Matth. 2, 5s.
[45] Mich. 5, 2.
[46] Prov. 21, 30.
[47] Matth 2, 8.
[48] Matth. 2, 9.

Digitized by Google

bas, non marmore incrustatas aedes cernerent, non regiam diversis populis personantem, sed humilem potius domunculam et pauperem casam seu tabernam (quae prae sua angustia vix illos recipiebat) contemplarentur, tamen hanc ut regale palatium intrant et *puerum*, quem tanta itineris intercapedine et labore quaesiverant, *cum Maria matre eius reperiunt*[49]. Num vero tanti puelli puerperam diademate redimitam aut in eburneo vel aureo lectulo recumbentem, num puerum in micantibus auro et gemmatis cunis repositum aurove et ostro nitentibus fasciis et fulgentibus stragulis opertum invenerunt? *Minime gentium*[50]. Matrem invenerunt pauperem peregre constitutam, nullo famulitio, nullo obstetricum vel pedissequarum obsequio stipatam, puerum in huius pauperculae matris gremio vilibus pannis colligatum, cuius cunae squalidum praesepium, cuius famulitium iumenta erant. |

Et tamen, ut hunc conspexerunt, illico in terram prostrati non quoslibet ei, sed divinos B 2v prorsus honores Deum in Christo puero habitantem agnoscentes detulerunt, talia ei munera offerentes, quibus illum ipsum, quem Esaias verbo[51], ipsi suo facto proclamarent *Emanuelem* esse, id est *Nobiscum Deum*. Quam eorum devotionem mysticis muneribus declaratam Hispanus ille Iuvencus presbyter venerabilis (qui primus evangelicae historiae maiestatem sub carminis leges contrahere non infoeliciter est conatus) unico versiculo complexus ait:

Aurum, thus, myrrham regique hominique Deoque[52].

Hoc denique devotionis obsequio, ad quod exhibendum novo regi nato venerant, rite peracto, non iam amplius de stella (ut qui *solem* ipsum *iustitiae*[53] aspexerant) solliciti, a Christo viam edocti haud quidem *ad Herodem* rursum contendunt, sed *in suam regionem* quam foelicissime revertuntur[54], nempe ut qui ante adoratum Christum apud suos administratione regia et sacerdotio, sed umbratili fungebantur, exinde regni coelestis nunquam perituri[55] et aeterni sacerdotii praecones fierent et antistites.

Hucusque, Patres, historiam perstrinximus, quo viam allegoriae, quae nobis vos alloquendi materiam non omnino (ut puto) ineptam seu rei, quam agitis, incongruam suppeditaret, sterneremus.

An vero non videtis in hac historia catholicae et apostolicae ecclesiae (quam vos repraesentatis) imaginem pulcherrime depictam et effigiatam contineri? | An non cernitis, quos magi, B 3r isti viri sapientissimi et regali sacerdotio insignes, significent, qui coelestis ductu luminis Christum in Bethleem quaerunt, quaesitum inveniunt, inventum proni adorant et mysticis muneribus venerantur? An non intelligitis, quis sit impius Herodes, qui scribae fallaces et infideles grammatei Herodi adulantes et truncata et malefida divinae scripturae citatione flagitiosissimi tyranni gratiam venantes? An obscurum est, quo vesana ista Herodis et scribarum conspiratio spectet, qua Christo et (quae *corpus eius* est) *ecclesiae*[56] exquisitis artibus et dolis (etsi id non succedit) insidiae struuntur, aperta etiam vis intentatur? An non videtis, quam pulchre officium vestrum, quod Christo in ecclesiae matris sinu haerenti debetis, ob quod studiose praestandum huc accessistis quodque, antequam hinc discedentes in regionem quisque vestram revertamini, exequi vos oportet, in mysticis istis magorum muneribus designetur? Sed quo illustrior haec imago fiat, age singulas eius partes velut indice quam paucissimis commonstremus!

Initio puerum Iesum natum audistis. De hoc olim evangelicus propheta Esaias, velut eum iam praesentem oculis aspexisset, de oraculo certissimus ita praecinuit dicens: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius et vo|cabitur nomen eius* B 3v *admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*[57], cuius foelicissimum principatum, qui Esaiam iam dudum antecesserat, Christi secundum carnem parens ille, David summo desiderio exoptans, ad coelestem patrem exultans in spiritu succlamat aiens: *Deus, iudicium tuum regi da et iustitiam tuam filio regis, ut iudicet populum tuum in iustitia et pauperes tuos in iudicio, ut salvos faciat filios pauperum et humiliet calumniatorem*, ut *oriatur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna. Et dominetur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Cui *reges Tharsis et insulae munera offerant, reges Arabum et Saba dona adducant et adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei*[58]. Cuius *firmamentum in terra* (ecclesia sanctorum) fundetur *in summis montium*[59] contra omnium hostium insultus atque adeo contra *inferorum*

[49] Matth. 2, 11.
[50] *Terentius Afer*, Eunuchus 625 (IV 1, 11).
[51] Isai. 7, 14.
[52] *Iuvencus*, Evangeliorum lib. I, v. 250 (CSEL XXIV 16).
[53] Mal. 4, 2.
[54] Matth. 2, 12.
[55] Cf. Luc. 1, 33.
[56] Col. 1, 24.
[57] Isai. 9, 6.
[58] Ps. 71, 1–4. 78. 108.
[59] Ps. 71, 16.

Digitized by Google

portas[60] immobilis perstans. Cuius *fructus superextollatur super Libanum*[59], de qua progerminent ac floreant fideles omnis iustitiae fructu repleti[61], ut celebrent nomen eius perpetuo et, dum sol luxerit, idipsum propagent[62]. O laudandum *Dominum*, *Deum Israelis*, *qui facit* haec *mirabilia solus. Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum et repleatur maiestate eius omnis terra. Fiat. Fiat*[63].

Porro hic tanti regis filius omnem hunc, quem a patre *principatum et* iudicandi *potestatem*[64] secundum vaticinia prophetarum[65] accepit, in humeros vestros, Patres sanctissimi, imposuit[66]. B4r Vos toti *mundo*, *in quo tanquam splendidissima luminaria lucetis*[67], suis donis, qui|bus abunde cumulati estis[68], admirabiles fecit. Vos *spiritu consilii et fortitudinis*[69] imbutos *magni consilii angelos* constituit, ut *omne* ipsius *consilium* populo *annuncietis*[70]. Vos, ad quos *sermo Dei factus est*[71], Deos nuncupavit, sicut scriptum est: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes*[72]. Vos *patres futuri seculi*, a quibus *semen incorruptibilis verbi Dei*, quo *renascuntur*[73] et innovantur fideles, ad posteritatem dimanabit. Vos *principes pacis*, quorum *pulchri super montes sunt pedes annunciantium pacem*, *annunciantium bona*, *praedicantium salutem*[74] et his, *qui longe sunt et* his, *qui prope*[75] neminem a pulchritudine pacis tam amabilis excludentes.

Et ut propius ad evangelium accedamus, vos illi magi *omni sapientia et intellectu spirituali*[76] repleti, vos *regale sacerdotium*, *ut virtutes annuncietis eius*, *qui vos vocavit in admirabile lumen suum*[77]. Illorum magorum arbitrio (ut tam ethnici quam ecclesiastici scriptores ⌜Plato[78], Plinius[79], Plutarchus[80], Tertullianus[81], Hieronymus in Ezechielem[82], Chrysostomus[83], Theodoretus[84]⌝[a] meminerunt) olim Persici, Aegyptii, Arabici et Aethiopici reges cuncta agebant, vos regum et principum terrae magistri, quibus praeceptum est, ut a vobis *volumen legis accipiant*, in quo *omnibus diebus vitae suae legant*, *ut timere Dominum Deum discant et custodire* omnia *verba et ceremonias eius*, *quae in lege praecepta sunt*[85], *non declinantes* vel *ad dextram* vel *ad sinistram*[86].

Verum tot nominibus foelices in infoelicissima et vere Herodiana tempora incidistis, quando videlicet insana haereticorum malignitas cum nonnulla terrena potestate (quam *prurientem auribus*[87] ad se miris palpationibus et dolis pertraxit) coniuncta in excidium spiritalis Israelis | B4v conspiravit. Quando ab *allophylis*[88] istis *dura cervice et incircuncisis cordibus et auribus* et *spiritui sancto semper resistentibus*[89] *arca* Dei *ob peccatum filiorum Heli (cuius oculi caligaverant*[90]*) grande nimis*[91] *capta et gloria* Domini *ab Israel translata est*[92], quando Hierosolyma, *civitas Dei*[93], *visio pacis*[94], in Chaldaeorum (qui a septentrione[95] terram sanctam in meridie sitam respiciunt) impias manus, proh dolor, ob immedicabiles *praevaricationes* tum *populi* tum *sacerdotum domum Domini* gentium more *polluentium*[96] ex parte devenit, quando ab istis immanissimis hostibus *murus* civitatis ex eo potissimum latere, quo munitissimus et inexpugnabilis videbatur, *destructus*[97], domus Dei (quatenus illorum vis progredi potuit) direpta et incensa *universaque vasa domus Domini tam maiora quam minora et thesauri templi*, et quicquid pretiosum fuit, *in Babylonem* transportata sunt[98], idque cum tanta hostium insolentia, ut et pulchrum et gloriosum sibi existiment desolationem istam prorsus horribilem et omnis abominationis plenissimam in orbem invexisse eandemque invectam crudeliter etiam chartis quasi perpetuo duraturis monumentis consignare et ad poste-

[a] *in marg. add.*

[60] Matth. 16, 18.
[61] 2 Cor. 7, 4; Col. 2, 10.
[62] Cf. Ps. 71, 17.
[63] Ps. 71, 18s.
[64] Col. 2, 10; cf. Matth. 28, 18.
[65] Isai. 9, 6.
[66] *Io. Chrysostomus*, De sacerdotio II, c. 2 (*Migne*, PG XLVIII 633s.).
[67] Phil. 2, 15.
[68] Mal. 1, 2. 5.
[69] Isai. 11, 2.
[70] Act. 20, 27.
[71] Ioel 1, 1.
[72] Ps. 81, 6.
[73] 1 Petr. 1, 23.
[74] Isai. 52, 7.
[75] Isai. 57, 19; Rom. 10, 8; Eph. 2, 17.
[76] Col. 1, 9.
[77] 1 Petr. 2, 9.
[78] *Plato*, Politikos 3, 21 (290 d).
[79] *Plinius*, Naturalis historia XXXVII 147: „Magis regem constituentibus".
[80] *Plutarchus*, Vitae parallelae XVII: Alexander c. 2, 3; c. 50, 3 et 52, 1 (665. 693. 694); XXII: Dion c. 24, 2 (968).
[81] *Tertullianus*, Apologeticum, c. 35, 12 (CChr. I 146, 60).
[82] *Hieronymus*, In Esaiam VI, c. 19, 2/4 (CChr. LXXIII 278. 19ss.).
[83] *Io. Chrysostomus*, In Matthaeum hom. 6, c. 1 (*Migne*, PG LVII 63). *Ps.-Chrysostomus*, Opus imperf. in Matth. hom. 2 (ibid. LVI 637).
[84] *Theodoretus*, Quaestiones in Exod. c. 7, interr. 18 (*Migne*, PG LXXX 245/46 A).
[85] Deut. 17, 18s.
[86] Deut. 17, 11.
[87] 2 Tim. 4, 3.
[88] Ps. 55, 1.
[89] Act. 7, 51.
[90] 1 Reg. 3, 2.
[91] 1 Reg. 2, 17.
[92] 1 Reg. 4, 17. 21s.
[93] Ps. 45, 5; 47, 9; 86, 3.
[94] Ezech. 13, 16.
[95] Ier. 1, 14s.
[96] 2 Par. 36, 14; cf. Ier. 7, 30; 32, 34.
[97] 4 Reg. 25, 10; 2 Par. 36, 19.
[98] 2 Par. 36, 18.

Digitized by Google

ros transmittere gaudeant. Ita cum alia diversa petulantissima scripta ab iis aedita sint, tum inter ipsa desolationis initia longe pestilentissimus et superbissimus liber emissus est, quem convenientissimo certe rei nomine *Captivitatem Babylonicam*[99] inscripserunt, in quo de sua perdita et vesana *malitia gloriantes*[100] et *peccatum suum sicut Sodoma praedicantes*[101] velut iam *victores capta praeda*[102] de ecclesia Dei tantum non triumphant et *reliquiis Israelis*[103] petulantis|simis Cv vocibus illudunt ac insultant. Hic enim spurcissimus liber vel solus manifeste satis indicat, quomodo violentissima irruptione in templum dominicum facta divinam et catholicam doctrinam *adulterarint*[104], sacramenta Dei prophanarint, *iuge sacrificium* (quoad eius fieri ab ipsis potuit) aboleverint[105], caeremonias sustulerint, proculcarint disciplinam.

Nihil modo de sanctissimae virginis matris (quam et Seraphin et Cherubin, summi angelicorum spirituum ordines, supra se sublimiter *exaltatam*[106] ut Domini sui matrem prima post Deum veneratione reverenter colunt), nihil de sanctorum, qui nobilissima *Christi membra* et viva *spiritus sancti templa sunt*[107], horribili contemptione, nihil de illorum prodigiosis paradoxis, quae et in Deum ipsum et in omnes sanctos eius omnino blasphema et contumeliosa cernuntur, nunc dicam. Heu nimium manifesta hodie sunt sacrarum aedium sacrilega demolitio, altarium execrabilis eversio, sanctarum imaginum nefanda proiectio et destructio, sacrorum canonum nefaria exustio, sacerdotum et monachorum immanis profligatio, virginum Deo sacratarum sub matrimonii spetie incesta constupratio, facultatum ecclesiasticarum ad ministrorum stipendia et pauperum sustentationem destinatarum facinorosa direptio et occupatio. Et ut alia eius generis innumera omittam, manifesta totius hierarchiae ecclesiasticae atque adeo publicae honestatis universae exitialis luxatio, dissolutio et exterminatio.

Haec partim oculis vestris, Patres sanctissimi, vidistis, | partim *auribus vestris audivistis*[108] et Cv *commota sunt viscera*[109] vestra *super contritione Ioseph*[110], super prophanatione *sanctuarii* Dei[111] et horribili contemptu Christi eius, qui, cum olim in haereditate sua *in omnibus gentibus* toto *terrarum orbe*[112] latissime dominaretur, nunc hominum istorum perfidia et impietate (quae Turcica rabie confirmatur) in angustissimum terrae angulum protrusus videtur et modo non extinctus esse, ut eum in spiritali Bethleem pro suo in tot amissos populos redintegrando principatu et imperio restituendo renasci sit necesse. Sed *benedictus Deus, pater misericordiarum et Deus totius consolationis*[113], vobis iam pridem, cum adhuc procul dissiti essetis, stellam salutiferam dilectissimi filii sui velut rursus exorituri et in sinu amantissimae matris ecclesiae in faustissima et laetissima epiphania conspiciendi monstravit eiusdemque stellae flammantis vigore in vobis fidei non tepescentis fervorem excitavit, qua *contra spem in spem*[114] ei, *qui vivificat mortuos et vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt, credidistis*[115] certissime *scientes, quia, quaecunque promisit* Deus, *potens est et facere*[116], qua et persuasi estis semel tandem eum Davida suum ab impio filio Absolone Achitophelica consilia sequente[117] regni parte depulsum in regnum integrum reducturum et conversurum *captivitatem Sion*[118].

Non ergo haec vulgaris, sed singularis est stella, quae ex eo tempore, quo *cordibus vestris* primum *illuxit*[119], nunquam occidit, quae meridiano sole clarius[120] mentibus vestris infulsit, cuius sane flammam quondam foelicis recordationis Paulus huius nominis papa III per huius sacri oecumenici concilii indictionem in vobis primum succendit, quam postea ob concitatos ab adversariis tumultus vel | ad solam concilii mentionem (in quo Christus renasceretur) misere C2r conturbatis nonnihil se remittentem Iulius III pontifex opt. max. divino spiritu afflatus recreavit et auxit, itemque Carolus V, Caesar invictissimus (quo nulla religiosiorem aetas imperatorem vidit), hactenus fovit et etiamdum conservat. Huius igitur faustissimae stellae exortu ad Bethleemum Tridentinam venistis, angustam quidem, si permultarum urbium maximarum amplitudinem spectemus, sed vestro adventu et praesentia claram. Venistis autem, ut hic Christum velut renasciturum quaeratis, quaesitum inveniatis, inventum adoretis et adoratum simul cum magis gratissimis muneribus e vestris thesauris depromptis accumuletis.

Accessistis non humano (ut dixi) affectu perciti. Quis enim humanam rationem secutus patrium solum, aedes, domos, amicos, familias, facultates et, qui bonis pastoribus incompara-

[99] *M. Luther*, De captivitate Babylonica ecclesiae praeludium (WA VI 497–573).
[100] Ps. 51, 3.
[101] Isai. 3, 9. [102] Isai. 9, 3.
[103] Ier. 6, 9; 31, 7.
[104] Cf. 2 Cor. 2, 17.
[105] Dan. 8, 11ss.; 11, 31.
[106] Cf. Eccli. 24, 17s.
[107] 1 Cor. 6, 15. 19; 2 Cor. 6, 16.
[108] Ier. 26, 11. 15.
[109] Gen. 48, 30; 3 Reg. 3, 26.
[110] Amos 6, 6.
[111] Ps. 88, 40.
[112] Rom. 1, 5; 10, 18.
[113] 2 Cor. 1, 3.
[114] Rom. 4, 18.
[115] Rom. 4, 17.
[116] Rom. 4, 21.
[117] Cf. 2 Reg. 16, 23; 17, 1ss. 14s.
[118] Ps. 125, 1. 4.
[119] 2 Cor. 4, 6.
[120] Cf. Isai. 18, 4.

Digitized by Google

biliter his omnibus chariores sunt, suos, imo Christi greges non gravate reliquerit difficillimumque iter per vasta terrarum spatia (quomodo vestrum plerique ab extremis terrae finibus multo cum discrimine cum rerum tum vitae huc appellentes fecerunt) non summa cum aegritudine susceperit? Sed accessistis huius stellae peramabilis illicio et incitamento, quae *regem regum*[121] demonstrat, quae ignea quadam irradiatione cuncta transcendere, cuncta superare facit, cuius natura est, ut nullam secum carnalium voluptatum, quae a pecuniis, possessionibus aut quibuscunque aliis terrenis bonis (si tamen, quae non beant, bona dicenda sunt) vitaeque delitiis capiuntur, ardere secum patiatur, curas et onera huius vitae consumens. Huius, inquam, stellae C2v ductu transito Herode et scribis, qui vos | nullis minis absterreri, nullis blanditiis a proposito semel itinere dimovere potuerunt, in hanc nostram Bethleemum pervenistis.

Et quid ni Tridentum Bethleem, id est *domum panis*, appellem? An non hic a primo vestro ingressu omnem curam impendistis, ut coelestem illum panem[122] (in quem ecclesiae perduelliones *lignum* interfectionis *miserunt*[123] impietatisque suae toxicon, quo gustato animae emoriuntur, infuderunt) velut novum *e terra educatis*[124], quo moribundos et appropinquantes iam usque ad portas mortis *ab interitionibus suis eripiatis*[125], ereptos sensim reparetis, reficiatis atque sanetis? Hic enim ex hordiusculis et subasperis divinae scripturae spicis frumentum Christi flagello disputationis diligenter excutitur, ventilabro ac vanno episcopalis censurae ab aristis, gluma et paliis repurgatur et velut mola vestrarum sententiarum pondere teritur earundemque accurata collatione veluti cribratur, cribratum *caelesti rore* spiritalis sensus, quem vobis *spiritus* suppeditat *veritatis*[126], quasi *aspergitur*[127], decretorum vero et canonum compositione eodem *suggerente spiritu*[128] velut in *massam* eliminato omni *fermento*[129] redigitur et in spiritalis formam panis effigiatur, cuius quoque spiritus igne pinsitur, pistus denique in sacris sessionibus aureae mensae ecclesiae Dei superpositus toti mundo spectandus et contuendus, sed ab iis solum, qui mundi sunt, manducandus proponitur.

Ad hanc ergo spiritalem Bethleemum quando pervenistis, Patres, nolite subsistere, sed C3r defixis in coelum oculis stella ductrice confidenter et alacriter pergite, donec | ad eum locum pertingatis, ubi suavissimus puer Iesus (quem mysticis muneribus honorare decrevistis) in gremio matris ecclesiae minime lacer (ut in haereticorum conventiculis), sed integer ac totus recumbit, ut vestra ibidem commonstratione et inveniatur et spectetur ab omnibus, qui requirunt ipsum. Ipsa enim mater ecclesia (quam vos refertis) divini magisterio spiritus edocta sola novit hunc coelestem puerum e scripturarum fasciis et integumentis evolvere et tenebricoso mundo (qui nunc *omni vento doctrinae in hominum nequitia*[130] et versutia misere circumactus in tetram caliginem delatus est) *iustitiae solem*[131] inferre, ut *illucescat his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*[132]. Non vos ab instituto Herodis saevitia, non Herodianae machinationes et molimina deterreant. *Audituri enim estis* Domino attestante *praelia et opiniones praeliorum. Videte, ne turbemini*[133]. Non scribarum malignitas remoretur, quae solita vestra praesidia in verbo Dei reposita scripturarum coacta et violenta contorsione, nefaria mutilatione et corruptione foedissima vobis hactenus (sed *irrito* semper *conatu*[134]) eripere tentavit. Talibus enim armis mundus pietatem oppugnat. Sed respicite in eum, qui dixit: *Confidite, quia ego vici mundum*[135]. Non diabolum ipsum, impiorum omnium inhabitatorem, formidetis, qui nunc tecta, nunc operta nocendi arte desaevit, ut hoc sacrum oecumenicum concilium contra omnium piorum expectationem quomodocunque tandem dissolvat, dissipet ac dispergat. Sed vos *resistite diabolo, et fugiet a vobis*[136]. Nescitis vobis dictum esse: *Ecce dedi vobis potestatem cal-* C3v *candi supra ser|pentes et scorpiones et super omnem potestatem inimici, et nihil vobis nocebit*[137]. Huic igitur *resistite fortes in fide*[138] et *Deus*, pater *pacis, conteret satanam sub pedibus vestris velociter*[139]. Pergite, ut cepistis, quo regi novo, qui inimico illo longe *fortior* et potentior est, qui *universa illius arma, in quibus confidebat, superveniens* diripuit et *spolia distribuit*[140], qui *rex regum* est *et dominus dominantium*[141], munera vestra veluti novos quosdam bellicos sumptus et necessaria impendia ad reducendam et *convertendam captivitatem Sion*[142] offeratis, quia Dominus *miserebitur Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus, quia placuerunt* vobis *servis* illius *lapides eius, et terrae eius*

[121] Apoc. 17, 14; 19, 16.
[122] Io. 6, 31. 41. 51.
[123] Ier. 11, 19.
[124] Ps. 103, 14.
[125] Ps. 106, 20.
[126] Io. 14, 17; 16, 13.
[127] Dan. 4, 20.
[128] Io. 14, 26.
[129] Cf. 1 Cor. 5, 6; Gal. 5, 9.
[130] Eph. 4, 14.
[131] Mal. 4, 2.
[132] Luc. 1, 79.
[133] Matth. 24, 6.
[134] Esth. 9, 25.
[135] Io. 16, 33.
[136] Iac. 4, 7.
[137] Luc. 10, 19.
[138] 1 Petr. 5, 9.
[139] Rom. 16, 20.
[140] Luc. 11, 22.
[141] Apoc. 17, 14; 19, 16.
[142] Ps. 125, 1. 4.

Digitized by Google

miserebimini, quia Dominus aedificabit Sion et videbitur in gloria sua. Respexit enim *in orationem humilium et non sprevit preces* pauperum[143]. Ipse *docebit* et armabit *manus* vestras *ad praelium et digitos* vestros *ad bellum*[144]. Eius gratia adhuc armamentarium tenetis, unde talia arma expedire potestis, quibus omnia nequissimi illius tela collatis cominus armis et inito certamine opera non admodum difficili extinguatis, imo victum et prostratum clarissimo triumpho confidenter traducatis.

Accingimini *armatura Dei*[145], induimini *loricam* iustitiae *et charitatis*[146], *calceatis*[a] *pedes in praeparationem evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei*, et *galeam*[b] *salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei*[147]. His armis Philistaeos istos invadite, Babylonios debellate, *arcam* Domini (quae *tabulas testamenti*, id est doctrinam sacram, et *manna*, ipsa nimirum divinissima sacramenta, et *virgam Aaron, quae floruit*, disciplinam scilicet ecclesiae, continet[148]) reducite, spolia ampla ab hoste referte, ex his *vasa* templi nova *fabricate*[149] et thesauros amissos in|staurate, ut C4r sic ad puerum Iesum sinu matris complexum properantes ei de thesauris vestris manubias gratissimas offeratis. Nihil ex ablatis ecclesiae thesauris apud hostes manu fortem David imitati relinquite, ut nihil *desit a parvo usque ad magnum*, sed *reducantur omnia*[150] simul, imo, si possibile fuerit, et hostes ipsos adducite, ut impleatur, quod futurum Esaias prophetavit in hanc laetitiae vocem, qua Hierusalem (sed spiritalem[151]) appellat prorumpens: *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini Sion sancti Israel pro eo, quod fuisti derelicta et odio habita, et non erat, qui pertransiret per te. Ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem et generationem. Et suges lac gentium et mammilla regum lactaberis et scies, quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus, fortis Iacob*[152]. Hic profecto speciosissimus triumphus fuerit, haec pulcherrima, quae Domino victori munera offerantur, de quibus David cecinit: *Accepisti dona in hominibus; etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*[153], perinde atque si dicat: qui nuper non populus Dei, nunc populus Dei. Et post pauca: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*[154], ab ipso nimirum, qui ex Saulis Paulos facit[155].

Aperite *thesauros* vestros et proferte *munera: aurum, thus et myrrham*[156], aurum solidae, syncerae et caholicae doctrinae *igne examinatae*[157] et *purgatae septuplum*[c][158], thus *iugis sacrificii*[159] et Deo dignae sacramentorum administrationis universique cultus divini, myrrham ecclesiasticae disciplinae.

Non | vos latet, Patres, in sacris scripturis ubique fere per aurum mundissimum *sapien-* C4v *tiam* et scientiam Dei significari[160]. Hinc Moyses, quaecunque verbi et doctrinae conservationem, propositionem, sparsionem, divulgationem et propagationem significabant, ex auro mundissimo facere iussus est: *candelabrum ductile*[161], cui lucerna verbi, septiformis flamma spiritus incensa, imponatur, *ut luceat omnibus, qui in domo sunt*[162]; *emunctoria*[163] ad huius lucernae lychnum repurgandum et producendum; *tintinabula*, quibus utatur sacerdos *in officio ministerii, ut audiatur sonitus eius, quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur*[164]; *thuribulum*[165], quo bonum odorem verbi longe lateque dispergat, *aliis quidem odorem mortis in mortem*, quos eodem ligat ac vincit, *aliis autem odorem vitae in vitam*[166], quos illuminatos ab erroribus absolvit et peccatis; *arcam* denique *intus et foris deauratam*[167] et *propiciatorium aureum*[168] et *duos* de auro purissimo *Cherubin*[169] (qui plenitudo scientiae interpretantur) *super propiciatorium se mutuo* intuentes[170], quo mutuo aspectu veteris et novi testamenti admirabilis illa consonantia significantissime designatur.

Nec mysterio vacare credendum est, quod Dominus *arcam intus et foris deauratam* fieri praecepit[171]. Est enim *sapientia* quaedam praecellens intus recondita, quam apostolus *loquitur inter*

[a] *ed.* calceati [b] *ed.* gladium [c] *ed.* septuplae

[143] Ps. 101, 14–18.
[144] Ps. 143, 1.
[145] Eph. 6, 11. 13.
[146] Eph. 6, 14; 1 Thess. 5, 8.
[147] Eph. 6, 15–17.
[148] Hebr. 9, 4; cf. Exod. 16, 33s.; 25, 16; Num. 17, 10; 3 Reg. 8, 9.
[149] Cf. Exod. 27, 3.
[150] 1 Reg. 30, 19s.
[151] Cf. Gal. 4, 26; Hebr. 12, 22.
[152] Isai. 60, 14–16.
[153] Ps. 67, 19.
[154] Ps. 67, 24.
[155] Cf. Act. 13, 9.
[156] Matth. 2, 11.
[157] Ps. 17, 31.
[158] Ps. 11, 7.
[159] Ezech. 46, 14; Dan. 8, 11.
[160] Prov. 16, 16; Sap. 7, 9.
[161] Exod. 25, 31.
[162] Matth. 5, 15.
[163] Exod. 25, 38.
[164] Exod. 28, 33–35.
[165] Exod. 25, 29; 37, 16.
[166] 2 Cor. 2, 16.
[167] Exod. 25, 11.
[168] Exod. 25, 17.
[169] Exod. 25, 18.
[170] Exod. 25, 20.
[171] Exod. 25, 1. 11.

Digitized by Google

perfectos in mysterio[172]. Est et doctrina quaedam magis patens et exposita, quam ut *lac parvulis in Christo*[173], qui solidum cibum[174] adhuc ferre non possunt, subministrat. Utranque nostri seculi Philistaei suis cauponationibus et adulterationibus turpissime vitiarunt[175] ac | [Dr] totum corruperunt: illam quidem intus reconditam suis in sacra biblia invectis pernitiosissimis commentariis et nocentissimis (quas vocant nomine sane perquam congruenti) *postillis*[a], hoc est impiis ad scripturas additamentis, audacia plus quam sathanica turpissime prostituerunt, prophanarunt, deturparunt; hanc vero humiliorem venenatis suis catechismis[176] ad necandos parvulos et rudem plebem concinnatis infecerunt, vel ob hoc digni, nisi resipiscant (id quod a Domino communibus votis ardentissime optandum et efflagitandum fuerit), quibus *suspendatur mola asinaria in collum et demergantur in profundum maris*[177]. Quid igitur vobis, Patres, faciendum, ut novo regi Christo mundum illud et *obrizum* et delicatum *aurum*[178] offeratis? Certe ante omnia illorum *scoriam* haereticae pravitatis et schismaticae corruptionis (qua erosum, obscuratum et obliteratum est nimis) *ad purum excoctam*, *omne stannum*[179] sensus carnalis, quod auro ecclesiae superinduxerunt, ex ecclesiae officina penitus eiicere et eliminare vos necesse est. Id quidem facere incepistis, sed restant alia permulta. Quod est enim catholicum dogma, quod illi non contaminarint, non conspurcarint, ut lamentari libeat cum propheta: *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus! Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*[180]. Deinde vestra authoritate (quam Carolus ille V, ecclesiae potentissimum praesidium, pro suo officio et *zelo domus Dei*[181], quo totus inardet, fortiter tuebitur) pernitiosissimos adversariorum catechismos, *postillas*[b] pestilentissimas aliaque venenata plane commentaria et scripta, quibus omnia depravarunt, damnabitis solertique providentia e medio sustolletis. Denique eiiciendi vobis erunt | [Dv] ubique ex ecclesiis, scholis et paedogogiis lupi cum *vulpibus*, *quae demoliuntur vineam* Domini[182]. Quod si feceritis, tum demum Domino aurum purum putum obtuleritis. Quid enim proderit, si ex vestris thesauris aurum bene eliquatum purgatumque proferatis, si scoriam, qua vixdum prolatum idem rursus decoloretur, in medio relinquatis.

Post aurum vero et thus vobis offerendum erit, *thus* quidem (ut scriptura praecepit) *lucidissimum*[183] *iugis sacrificii*[184] et sacramentorum omnium universique divini cultus administrandi syncera et perspicua ratio ac modus. Hoc thus est *odor suavissimus Domino*[185], sine quo omne *incensum abominatio est*[186] illi. Ad hanc oblationem vos invitat alia huius praeclarissimi diei festivitas. Nam et *hodie Christus a Ioanne in Iordane baptizatus est*[187] et *in nuptiis aquam* convertit in *vinum*[188] ad omnium suorum sacramentorum institutionem suavissime praeludens et, quantae illa efficaciae et virtutis consequenti tempore forent, iam tum manifestans. Sacramenti enim, quod divini ordinis [signum] vocamus, efficaciam in ministro Ioanne praemonstravit, id quod idem probe intelligens propter nos aiebat: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum, is est, qui baptizat in spiritu sancto*[189]. Qui et ob id in Iordanem descendit, ut sui sanctissimi corporis attactu omnes aquas ad abluendas et tollendas penitus omnes peccati maculas redderet efficaces. Super quem quoque *apertis coelis vox* patris audita est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ipsum audite*[190]. Itidemque *spiritus sanctus* in visibili *specie descendit*[191], ut ostenderet communi sanctissimae trinitatis operatione | [D2r] suum patrisque spiritum (qui in ecclesia Dei oleo sancto significatur) baptizatos sanctificare, neophytos confirmare, poenitentes restituere et aegrotantes *allevare*[192], ut vel sanitatem[c] consequantur vel saltem morbum levius ferant. Qui et hodie *aquam* convertit in *vinum*[188], ut ostenderet se quotidie eadem potestate, sed secreta, panis et vini aqua mixti naturas in sui

[a] *ed.* apostillis [b] *ed.* apostillas [c] *ed.* sanctitatem

[172] 1 Cor. 2, 6s.
[173] 1 Cor. 3, 1s.
[174] Hebr. 5, 12.
[175] Cf. Gen. 26, 18.
[176] De Postillis M. Lutheri cf. *J. Benzing*, Lutherbibliographie, Baden-Baden 1966, 126–136, n. 1061–1155. *K. Aland*, Hilfsbuch zum Lutherstudium, Witten[3] 1970, 187–204, n. 1–412. — *M. Luther*, „Deudsch Catechismus" (Der Große Catechismus) 1529, WA XXX, I 125–238. 499–521. — Der kleine Catechismus für die gemeine pfarrherr und prediger 1529, ibid. 243–425. 666–807.
[177] Matth. 18, 6.
[178] Cf. 2 Par. 3, 5; Iob 28, 15.
[179] Isai. 1, 25.
[180] Thren. 4, 1.
[181] Ps. 68, 10; Io. 2, 17.
[182] Cant. 2, 15.
[183] Exod. 30, 34; Lev. 24, 7.
[184] Cf. supra p. 43, 8 cum adn. 105.
[185] Exod. 29, 18. 25; 35, 28.
[186] Isai. 1, 13.
[187] Matth. 3, 13; Marc. 1, 9; Luc. 3, 21. Cf. Breviarium Rom., festum epiphaniae Domini, vesp. II, ant. ad *Magnificat*: „Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus. Hodie stella magos duxit ad praesepium. Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias. Hodie in Iordane a Ioanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos".
[188] Io. 2, 9. Cf. adn. 187.
[189] Io. 1, 33.
[190] Matth. 3, 16s.; 17, 5; Marc. 1, 10s.
[191] Matth. 3, 16; Luc. 3, 22.
[192] Cf. Act. 3, 7.

Digitized by Google

preciosissimi corporis et sanguinis substantiam transmutare. Qui denique hodierno die sua divina praesentia et illo a seculis inaudito miraculo legitimas nuptias consecravit et, cuius sanctissimae rei in ecclesia signum forent, ut olim in Adam et Eva, cum primum *in paradiso* instituerentur[193], fuerunt, indicavit, videlicet inter se, sponsum illum coelestem, et ecclesiam, suam sponsam, arctissimae et insolubilis unionis[194], quam et hodierno die primum omnium sibi incredulorum hactenus discipulorum fide copulavit. Sic enim dicit scriptura: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius*[195]. Et vos, Patres sanctissimi, gloriam eius manifestate pergentes (ut coepistis) sacrosanctum novae legis sacerdotium et [id], quod *aeternus* ille *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*[196] Christus Iesus *plenum* et singulare *sacrificium* instituit[197] (quo omnia ea, quae in veteri lege praecesserant, consummata sunt, in quo ipse sacerdos simul et victima Deo patri gratissima pro ecclesia sua, dum redeat, sistitur), cum reliquis divinissimis sacramentis nostrae salutis operatoriis aliisque religiosis caeremoniis et ritibus christianae pietatis invitamentis ac stimulis in suam dignitatem asserere et vindicare universumque Dei cultum in pristinum locum suum et illam primaevae ecclesiae puritatem, nitorem, maiestatem et usum reponere, | ut de vobis dicatur, quod de D 2v David scriptum est: *Dedit in celebrationibus decus et ornavit tempora sua*[198]. Quod tamen tum demum efficaciter feceritis, si pariter execrandas adversariorum agendas, quibus solennes ecclesiae invocationes et preces, per quas sacramenta conficiuntur, audacia plus quam gigantaea explodere suisque commentis eorum loco substitutis abrogare conati sunt, anathematis nota inuratis et ex ecclesiae finibus quam longissime relegandas curetis.

Postremo et m y r r h a m vos offerre necesse est, ut sine qua priora, aurum et thus, quamvis preciosissima, frustra immolaveritis. Haec autem est ecclesiastica disciplina. Ut enim myrrha defunctorum corpora, ne tabo ac putrefactione dissolvantur, integra conservat, ita disciplina eos, qui per doctrinam et sacramenta vitaeque pietatem carni, mundo et *peccato demortui* et Christo *consepulti sunt*[199], in Christo (ne flaccescant et putrefiant) fidelissima et saluberrima conditura conservat. Fateor, amara est myrrha, sed salutaris. Sic et *omnis disciplina* (ut testatur apostolus) *in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris, postea autem fructum suavissimum exercitatis per eam reddet iustitiae*[200]. Quid multis? *Disciplina* s. Cypriano[201] testante *custos est spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes et nutrimentum bonae indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper ac iugiter in Deo vivere, ad promissa coelestia et divina praemia pervenire. Hanc sectari salubre est, aversari et negligere lethale.* Ad quam spiritus sanctus in Psalmis vos non nisi horrenda interminatione, nisi quod imperat feceritis, hortatur et impellit dicens: *Erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore et exultate ei cum tremore. Apprehendite disci|plinam,* D 3r *nequando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta, cum exarserit in brevi ira eius*[202]. *Apprehendite disciplinam*, ut pastores illi habeamini ac re vera sitis, de quibus Hieremias prophetavit dicens: *Dabo vobis pastores secundum cor meum et pascent vos pascentes disciplina*[203]. Et Esaias propheta: *Restituam* (inquiens) *iudices tuos, ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus. Post haec vocaberis civitas iusti, urbs fidelis. Sion in iudicio redimetur et reducent eam in iustitia*[204]. Et iterum: *Ecce in iustitia regnabit rex et principes in iudicio praeerunt*[205]. Solius disciplinae neglectu (Patres, id quod vos ignorare non potestis) quicquid id est mali, quod ecclesiam tamdiu affligit, vexat, concutit et discerpit, in rem publicam christianam pervasit. Idem nonnisi disciplinae restitutione constitutioneque seria eliminabitur ac tolletur. Fieri enim non potest, ut, dum radix morbi incurata relinquitur, morbus non paulo post, cum iam curatus putatur, periculosius recrudescat *et fiant novissima peiora prioribus*[206]. Quare *tumentes vulnerum sinus* non *parcente manu contrectandi sunt* nec cicatrix praepropere, dum *virus* intus *inclusum servatur*, obducenda. *Aperiendum vulnus est et secandum et putredinibus amputatis medicina fortiori curandum*[207].

Quid igitur facto opus est? Multa brevibus complectar. ⌜Primatum Petri vindicate, sine quo totum corpus dissolutum et luxatum relinquetis. Iurisdictionem suam unicuique restituite, quae cum unicuique illesa non servatur, omnis ordo dissolvitur et confunditur. Suum unicuique munus imponite, ut sit quisque quod dicitur. Ineptos ab ordinibus et ministeriis sacris repellite. Solis dignis manus imponite. Indignos destituite et removete! *Vendentes et ementes in templo*

[193] Gen. 2, 15.
[194] Cf. Eph. 5, 23. 29ss.
[195] Io. 2, 11.
[196] Ps. 109, 4; Hebr. 5, 6; 7, 17.
[197] *Cyprianus*, ad Caecilium epist. 63, c. 4 et 14 (CSEL III 704, 8–10; 713, 15).
[198] Eccli. 47, 12.
[199] Rom. 6, 2. 4.
[200] Hebr. 12, 11.
[201] De habitu virginum c. 1 (CSEL III 187, 2–6).
[202] Ps. 2, 10–13.
[203] Ier. 3, 15.
[204] Isai. 1, 26s.
[205] Isai. 32, 1.
[206] Matth. 12, 45; Luc. 11, 26.
[207] *Cyprianus*, De lapsis c. 14 (CChr. III 227, 281–284).

Digitized by Google

D 3v *flagello ex funi|culis facto eiicite*[208]. *Vas per templum* (intelligitis quae dico) *ferri ne sinite*[209]. Canonicam inquisitionem, denunciationem et accusationem manifestorum criminum, quae ecclesiam scandalizant, restituite. Synodos et visitationes ecclesiarum cum poenitentia publica[a] (sine qua exerceri haec cum fructu nullo modo possunt) in suum legitimum usum revocate. Inobedientes et refractarios censura ecclesiastica cohibete. Resipiscere nolentes, ne totum corpus inficiant, spiritali (quem a Christo accepistis) mucrone rescindite. Denique *lupos* ab ovilibus[210], *vulpes* a *vineis* submovete[211] universosque schismaticos et haereticos, *qui veritati* simul et unitati *resistunt*[212], exterminate *tradentes* eos *satanae in interitum carnis*[213], si *quando Deus det illis poenitentiam ad agnoscendam veritatem et resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem*[214], *ut* tandem *spiritus* eorum *salvus fiat in die Domini*[213].

Videtis, sancti Patres, quam multa vobis adhuc, modo tamen Domino mundum, perfectum et acceptabile munus offerre velitis (ob quod sane faciendum relictis omnibus per varios casus et multa pericula rerum huc contendistis), peragenda restent. Quae tamen omnia facile conficietis, si stellam eam, quae mentibus vestris semel illuxit, quae vos hucusque pertraxit et permovit, prompti et alacres porro insequamini. *Spiritus* est enim, qui *omnia continet*[215], omnia penetrat ac potest, qui certo certius in vobis erit, *vobiscum manebit*[216], *nunquam vos deseret, nunquam,* antequam secundum legem omnia perfeceritis, *vos derelinquet*[217]. Vobis certe nequaquam in regiones vestras hinc reverti licebit, nisi muneribus istis, quae in vasis vestris huc detulistis,
D 4r rite et legitime Domino oblatis. Alio|quin enim frustra veneritis et neque apud Deum neque apud homines laudem aliquam promerueritis. *Qui* enim *perseveraverit usque in finem, hic* solus et laude dignus et *beatus erit*[218][b].

Caeterum his perfectis et consummatis tum demum adorato Domino abibitis, *non ad Herodem* aut scribas eius vestra sapientia delusos suaque ipsorum *in astutia comprehensos*[219], sed *per aliam viam*[220], *pravis* iam *in directa et asperis in vias planas*[221] vestro indefatigabili studio et inexhausto labore commutatis, singuli *in regiones vestras* laeti et ovantes revertimini, videlicet a vestris quique subditis, quos exinde suavissimo pane hic a vobis parato et confecto pascetis reficietisque, summa cum exultatione et tripudio excipiendi. *In die illa* (Patres) *cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Sion. Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas et ingrediatur gens iusta custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem: pacem, quia in te speravimus*[222]. Tum et vestri cives de vobis ad se reversis sic laeti cantillabunt: *Cives* apostolorum *et domestici Dei*[223] advenerunt hodie portantes pacem et illuminantes patriam, dare *pacem gentibus*[224] et *liberare populum*[225] Domini. *Euntes* enim *ibant et flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*[226]. Reddetque vobis demum, o fideles et vigilantissimi pastores, si officio vestro pastorali sic perfuncti fueritis, pastorum ille pastor *(cum apparuerit) immarcescibilem*[c] *gloriae coronam*[227], ut, qui hic illum in diversorio quaesivistis, honorastis, illustrastis, illic *cum eo* in coelis perpetuum foelices *regnetis*[228].

Dixi[229].

[a] *ed. in marg. haec nota:* Poenitentia publica
[b] *haec nonnullis omissis H. Crombach recepit in Annales eccl. et civ. metropolis Coloniae IV, p. 575; vide supra p. 38 adn. 1*
[c] *ed.* immarcessibilem

[208] Matth. 21, 12; Marc. 11, 15; Io. 2, 14s.
[209] Marc. 11, 16.
[210] Matth. 7, 15; Io. 10, 12.
[211] Cant. 2, 15.
[212] 2 Tim. 2, 25; cf. 2 Cor. 2, 17.
[213] 1 Cor. 5,5.
[214] 2 Tim. 2, 25s.
[215] Sap. 1, 7.
[216] Io. 14, 16.
[217] Cf. Hebr. 13, 5.
[218] Matth. 10, 22; 24, 13.
[219] Iob 5, 13; 1 Cor. 3, 19.
[220] Matth. 2, 12.
[221] Isai. 40, 4. [222] Isai. 26, 1–3.
[223] Eph. 2, 19.
[224] Zach. 9, 10.
[225] Ezech. 13, 21.
[226] Ps. 125, 5.
[227] 1 Petr. 5, 4.
[228] Apoc. 20, 6; 22, 5.
[229] Die dominica 10. Ian. 1552 *mane ob sacra audienda et facienda* congregatio generalis habita non est, Conc. Trid. VII, I 452, 5s. An vero oratio habita sit et quis contionatus sit, ex actis non apparet. — De sacris diebus dominicis 17. et 24. Ian. habitis Massarellus mentionem non fecit. Die 24. Ian. iam hora 15 congregatio generalis coepta est, ibid. 465, 46. — Postero die 25. Ian., in sessione quinta, Io. Bapt. Campegius, *episcopus Maioricensis, orationem ornatissimam habuit,* ibid. 493, 15, quam vide ibid. 500, 29–504,56. — De rebus dominicis diebus 31. Ian. et 7. Febr. 1552 gestis Massarellus non commemoravit.

Die 7. Febr. Ambrosius Pelargus OP. in ecclesia Germanorum S. Petri orationem habuit, qua protestantes in perturbationem coniecti sunt. Cf. litteras Leonardi Badhorn die 20. Febr. ad Mauritium ducem Saxoniae datas:

„Suntag noch Purificationis Marie, den 7. dieses monadts Februarii, ist mir gesagt wurden, als solte des tages in der Deutzschen kirchen alhie eyner gepredigt und uff die Evangelischen hart gescholten haben, das man die ketzer einen noch dem andern wegnehmen solte mit wasser, fewer, schwert etc. Und es hetten die Lutherischen eine kirche begert, darinne

Digitized by Google

sie predigen mochten. Dasselbe solte man ihnen keynes weges gestaten. Item ein geleite begert. Und were ihnen auch eins gegeben; aber man were ihnen, dasselbe zu halten, nicht schuldig.

Darauff bin ich zu dem cardinal [Christ. Madruzzo] und darnach auch zu den Keyserischen gegangen, solchs geklagt und umb einsehung gebeten. Als hat der cardinal alsbalde außgeschickt, sich zu erkunden, wer der prediger gewest, mit zusage, do es sein prediger [Sigism. Phaedrus Diruta OMConv.] gewest, den also zu straffen, das wir daran ein genuge haben solten. Es hat sich aber befunden, das es des churfursten zu Trier prediger Pelargus gewest. Den haben die Keyserischen vorfordern lassen und ihme solchs vorgehalten. Ehr hat aber ausserhalb des ersten artikels, als das ehr von ketzern in gemein noch inhalt des evangelii desselbigen suntags [dominica V post epiphaniam] von unkraudt [Matth. 13, 24–30] aus Augustino [Quaestiones in evang. secundum Matth., qu. 11, 1, *Migne*, PL XXXV 1367; cf. Breviarium Rom., domin. V post epiphan., noct. III, lect. 7–9] geredt hette, das ander alles vorneint. Idoch daneben vom andern artikel angezeigt und bekanth, das es sich etwan zugetragen, eher wir herkomen weren, das ein mal in einer collation bei freunden geredt were wurden, wan wir kommen solten, so wurden wir unter andern begeren, das die unsern auch hie predigen mochten. Darauff hette er dazumal seine meynung gesagt. Aber uff der cantzel het er davon nicht geredt und mit keinem wort vom geleite wider offentlich noch sonderlich gesagt, das man dasselbe nicht halten solte, welchs wo ers gethan hette, so wolte er selbst sich strafwirdig bekennen. Und hat sich uff etliche personen beruffen, die ihn solten gehort haben. Es seint auch etliche vorhort, aber nichts bestendigs befunden.

Und haben die Keyserischen, desgleichen der cardinal [Madruzzo] und andere gebeten, das man sich solchs nicht hindern noch anfechten lassen wolte, wen es gleich also geschehen were. Den daran nicht gelegen und das concilium nicht belanget, was dieser oder ein anderer munch uff dis oder ein ander malh mochte geredt haben oder reden, sondern das concilium wurde sein gegeben geleitte, und was es zugesagt, halten. So hetten wir der Keys. M^t^ offentlich schrifftlich gedruck geleite durch das gantze reich und alle seyne lande. Und wolte die Rom. Konigl. M^t^ mit lebendigem geleite die unsern auch vorsehen und alher geleiten lassen. So weren wir alhie in E. churf. gn. sonderlichen freundes, des cardinals, stadt und gepite, der zugesagt, so weit sein leben und al sein vermugen sich erstreckt, E. churf. gn. gesanten kein arges widerfharen zu lassen. Wolde auch, so balde die theologen ankommen wurden, durch ein offentlich mandat und sonst vorsehung thuen, das sie niemandt wider mit worten noch wercken beleidigen solle. Es wurde uns auch ungewert sein, in unsern herbergen und heusern vor die unsern unsere messe und predigten zu halten etc.

Ich habe auch nicht unterlassen, dem churfursten zu Trier obgemelte anzeigung von seinem prediger zu vormelden, der in beysein des churfursten von Meintz antwort geben und angezeygt, wo er es gethan und, wie er beschuldigt, gepredigt hette, so wolte er sich also kegen ihm erzeigt haben, das wir befunden solten haben, das er daran keynnen gefallen gehat.

Volgenden suntag [14. Febr.] hat Pelargus im anfang der predigt die leuthe erinnert, das sie die ohren auffthuen und recht zuhoren und ihn nicht felschlichen mit unwarheit angeben solten. Und damit hat er sich entschuldigt und vorantwortet wollen haben.

Nachdem auch etliche munche und theologi in ihren zuvor gehaltenen disputationen unsere theologen mit groben worten angetastet, wie daraus zu ersehen, so habe ich nicht unterlassen, weil man des Pelargi halben in handlung gewest, dasselbige auch anzuzihen, sonderlichen bei den Keyserischen, die darauff diese antwort gegeben, das sie wusten, das solchs geschehen. Aber der mehrer teyl hette warlich keinen gefallen daran gehabt, und were auch denselbigen theologen untersagt wurden. Sie wolten auch anstadt der Keys. M^t^ fortan daran sein, wan man wider disputirn wurde und sonderlich die unsern vorhanden, das solchs nicht mehr geschehen solte. Und wolten sich dergleichen zu den unsern auch vorsehen", Dresdae, Arch. rei publ., *1 B, 10324, Trient. conc. II*, 42^v^–44^r^ (litt. exped.); cf. *A. Druffel*, Beiträge zur Reichsgeschichte II, München 1880, 133, n. 997. Vide quae Io. Sleidanus de eadem oratione Pelargi diebus 18.–20. et 29. Febr. 1552 rettulit. *H. Baumgarten*, Sleidans Briefwechsel l. c. 228s. 235. *A. Druffel* l. c. 134, adn. 3. Illa vero oratio famosa non exstat.

Die 2. Febr. purificationis b. Mariae missa concilii consueta et diebus anniversariis creationis et coronationis Iulii papae III (8. et 22. Febr.) missae sollemnes celebratae sunt, Conc. Trid. VII, I 507, 1ss. 9ss. 21ss. Sed neque his diebus neque diebus dominicis 14. 21. 28. Februarii 1552 in Actis de orationibus mentio fit.

Digitized by Google

6.

Adeodati Senensis, theologi Augustiniani Oratio in die cinerum

Ad Patres habita in concilio Tridentino[1]

[Die 2. Martii 1552]

Venetiis 1552 A 2r *Loquarne semel ad Dominos meos, cum sim pulvis et cinis?*[2] Sed loquar. Nam non ego, quantumvis abiectus et humilis, solus cinis sum sed etiam omnes. Hoc enim ipsum sancta hodierno die admonet ecclesia: *Memento*, inquiens, *homo*, *quia cinis es et in cinerem reverteris*[3]. Agnoscit pia, sed gemens ecclesia divinam sententiam. Agnoscit poenam praevaricationis antiquae, quam Deus homini non sine summa misericordia inflixit[4]. Stultum est enim cogitare id quod *seminatur*[5] *granum* vivificari posse, *nisi* prius *fuerit mortificatum*[6]. Ideo in priori hac *mortificatione carnis*[7], antequam eandem ipsam deponamus, militiae christianae praesidia sanctis inchoamus ieiuniis, aspersis cinere capitibus, quia peccatis nostris *caput* nostrum *Christum*[8] ad eam sacrificii rationem adegimus, ut charitatis igne succensus *se ipsum in holocaustum et hostiam Deo in odorem suavitatis* obtulerit[9]. Quos quidem cineres ex illis *palmarum ramis*, quibus *obviam* salvatori *processimus*[10] ad passionem venienti, non sine mysterio conflamus, quia victoria Christi[11] in cruce parta per palmam apte significata in hoc maxime se prodit, quod nos tumidos ac superbos humiliarit et ad nostrum ipsorum veram cognitionem perduxerit. Illud etiam elegantissime repraesentat A 2v victorias, quas contra hostes nostros comparamus, non nobis esse adscriben|das, qui sumus *terra et cinis*[12], sed Christo servatori, cuius praesidio muniti ecquid non possumus?[13]

De hoc autem sacro cinerum ritu ac caeremonia dicturus, per quam nobis humana miseria pulchre adumbratur, quae unus et praecipuus erit orationis nostrae scopus, conabor quam brevissime ostendere, quid spiritus Domini de ea tam naturae quam legis et gratiae tempore figuris commonstraverit. Quam ita generaliter tantoque consensu universa servat ecclesia, ut nonnisi vel de apostolorum traditione vel spiritus sancti tacita suggestione[14] ortum habuisse credatur, sicut divinae vindictae, quam Dominus quondam comminatus est[15], symbolum fuit ac testimonium evidentissimum.

In quo quidem lugubri, sed pio cinerum sacramento explicando precor adsit suo nobis favore virgo illa gloriosissima, cuius corpus ab hac lege singulari Dei munere exceptum est, quippe quae ex purissimo sanguine filii Dei sanctissimo corpori, quod *non vidit corruptionem*[16], materiam subministravit. Quod in hoc spiritus Domini aptavit, ut per mortem illius et[a] *resurrectionem* a morte animae ac[b] tandem ab incinerationis huius lege liberaremur[17], quippe ut copiosa *utilitas copiosae redemptionis*[18] esset in sanguine suo. Adsit, etiam atque etiam obsecro et obtestor, Christus filius eius, qui nobis *a quatuor ventis immittat spiritum* sanctum suum *insuffletque super ossa* nostra[19], hosce cineres et pulverem, ut audito[c] verbo Domini et ecclesiae hodie, A 3r nempe: *Pulvis es et in pulverem reverteris*[20], | *sapiant, intelligant ac novissima provideant*[21] moxque per salutarem poenitentiam *reviviscant*[19].

Quoniam igitur de hominis vanitate verba facturus sum, non erit ab re illius nobilitatem, dignitatem ac *decorem*, quo in sua illa prima conditione olim a Domino mirifice *est indutus*[22],

[a] *ed. Lov.* ac [b] *ed. Lov.* et [c] *Lov. hic add.* hodie

[1] De hac oratione Massarellus in Actis mentionem fecit, Conc. Trid. VII, I 510, 3. Typis exscripta est Venetiis 1552 apud Aldi filios, quorum editionem (exstat in Bibl. Vaticana, Aldine II 52, 13r–24v) secuti sumus; legitur etiam in editione Actorum Lovaniensi (*Concilium Tridentinum*, Lovanii 1567, p. 392–399, per errorem inserta inter orationes anno 1563 habitas) et in collectionibus conciliorum: *Labbe-Cossart* tom. XIV 1524–1534, *Mansi* XXXIII 800 D–810 A, *Le Plat* I 245–256. De auctore cf. *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento l. c. (supra p. 17[1]) 33s., qui vero errore deceptus hanc orationem non Adeodato, sed Simoni Florentino adscripsit eamque anno 1562, non 1552 habitam esse existimavit.

[2] Gen. 18, 27.

[3] Missale Rom., feria IV cinerum, ad impositionem cinerum.

[4] Gen. 3, 19.

[5] 1 Cor. 15, 42ss. [6] Cf. Io. 12, 24s.

[7] 1 Petr. 3, 18; 2 Petr. 1, 4.

[8] Eph. 4, 15. [9] Eph. 5, 2.

[10] Io. 12, 13. [11] Io. 16, 33.

[12] Eccli. 17, 31.

[13] Cf. Phil. 4, 13.

[14] Io. 14, 26. — Ritum initio quadragesimae cinerem benedicendi omnibusque fidelibus imponendi re vera non ante saec. X ortum esse constat; cf. *J. A. Jungmann*, Die latein. Bußriten, Innsbruck 1932, 47ss. 59s. [15] Gen. 3, 16ss.; cf. 2 Thess. 1, 8.

[16] Act. 2, 31.

[17] Matth. 1, 21; cf. 1 Petr. 1, 3.

[18] Ps. 29, 10; 110, 9; 129, 7.

[19] Ezech. 37, 5. 9.

[20] Gen. 3, 19; cf. Missale Rom. l. c.

[21] Deut. 32, 29.

[22] Ps. 92,1.

Digitized by Google

breviter perstringere. Inveni, Patres sanctissimi, in vetustis Arabum monumentis Abdalam quemdam Saracenum, magni nominis et famae etiam celebrioris virum, interrogatum aliquando, ecquid suo iudicio in pulcherrimo hoc orbis terrae theatro admirandum maxime spectaretur, nihil spectari in hac quasi mundana scena homine praestantius et admirabilius respondisse[23]. Cuius sententiae Mercurius ille ter maximus, obsoletarum religionum in Aegypto sator, docta illa exclamatione[24]: „Magnum, o Asclepi, miraculum est homo" pulcherrime astipulatur. Quod si mundi sapientes tam praeclare de homine collapso, quem illi tantum agnoverunt, sunt philosophati, quid[a] dixissent, si illum *secundum Deum in iustitia et sanctitate veritatis creatum*[25] intellexissent? De quo sapiens ille coelestis tam alte sentiens in haec verba plane erupit[b]: *Deus de terra creavit hominem et secundum imaginem suam fecit illum vestivitque illum virtute. Numerum dierum et tempus dedit illi et potestatem eorum, quae sunt super terram. Posuit timorem illius super omnem carnem et dominatus est bestiarum et volatilium. Consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illi cogitandi*[c] *et di|sciplina intellectus et scientia spiritus replevit illum. Bona etiam et mala ostendit illi*[26]. A 5v
Quippe qui factus denique coelestis subcoelestisque mundi copula, quod et Persae ac magi dixerunt, a beatissimis *angelorum* mentibus ac reliquis ultramundani saeculi virtutibus teste Davide *paulo est diminutus*[27]. Sed qui in coelo Dei optimi maximi munere ac dono esse videbamur, nostra, Patres amplissimi, ignavia et socordia cecidimus, quasi ex astris in angustias plane omnes atque *aerumnas*[28] et mille huiusmodi mala proiecti et praecipitati. *Homo*, inquit regius ille psaltes, *cum in honore* Dei miserentis beneficio *esset, non cognovit.* Hinc iusto illius punientis iudicio factum est, ut *comparatus sit iumentis insipientibus et* perquam *similis factus sit illis*[29].

Et ut a nomine exordiar, constat apud Hebraeos duas esse voces, quibus homo nominatur, *Adam* nempe et *Enos*, ut intelligamus hominem non solum conditione sed et nomenclatura calamitosum esse. Adam nanque demonstrat hominem secundum corpus, ut sit *Adam* dictus ab originis et materiae suae vocabulo velut *terrenus* sive *terrestris*, ad quod respexisse perspicue cernitur apostolus, cum dixit: *Primus homo de terra terrenus*[30]. Item qualis terrenus, tales et terreni. *Enos* autem, quod sua ethimologia *obliviscentem* significat, hominem quoad animam exprimit, secundum quam *oblitus est Domini*[d] *creatoris sui*[31], non quidem ea oblivione, quae vulgaris est, sed illa, quae *in spiritu et veritate*[32] existit. Quod ex antithesi subtilissime indica|vit pro- A 4r
pheta, cum inquit: *Quid est Enos, quia memor es eius, aut filius Adam, quia visitas eum?*[33], memoriam Dei cum oblivione nostra pulcherrime componens. Quid enim praeclarum esse potest *inutilis et abominabilis homo*[34], *qui domos habitat luteas terrenumque habet fundamentum*[35] et *quasi aquam bibit iniquitatem?*[34] Quem spiritus sanctus suis coloribus depingens titulis gloriosis et claris epithetis non est assuetus vocare, cum minime in principum aula, quae est titulorum officina, versatus sit, sed scapham, ut dicere solemus[35a], *scapham* vocat. In illius contemptum et humiliationem alias eum *pulverem* nominat[36], alias *carnem*[37], alias *vanitatem*[38], alias *mendacium*[39]. Cuius parentes, si eius generis nobilitatem spectemus, vocat *putredinem*, *sororem* autem *vermem* consumentem[40]. Quo despectu etiam apud Isaiam loquitur: *Aegyptus homo et non Deus, et equi eius caro et non spiritus*[41]. Cui Christus *non credebat semetipsum*, quia *sciebat, quid esset in homine*[42]. David quoque cum hac tanta verborum emphasi ait: *Sciant gentes, quoniam homines sunt*[43]. Quid porro in evangeliis Christi testimonio contemptibilius hominum traditionibus?[44] Itidem et Paulus: *Nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis?*[45] Et rursum: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*[46]. Qui etiam cum verecunde et modeste loquitur, significantissime huma-

[a] *ed. princ.* quia [b] *Lov.* erumpit [c] *ed. pr. Lov.* excogitandi [d] *Lov.* Dei

[23] Nescio an intelligatur Abu-'l-Fath Abdallah b. al-Fadl, diaconus et postea metropolita Antiochenus (saec. XI), cuius opera enumerat *G. Graf*, Die christl.-arabische Literatur, Straßbgr. Theol. Stud. VII, I, Freiburg 1905, 68–71. Inter ea collectio interrogationum et responsionum de materiis philosophiae et theologiae sub titulo: *Liber oblectationis fidelium* (Bibl. Vat., cod. arab. 164) exstat, cuius pars prima centum quaestiones de creatione mundi solvit, ibid. 69s., n. 9.

[24] *Ps.-Apuleius*, Asclepius, dialogus, cui titulus *Hermes Trismegistus*, c. 6: „Propter haec, o Asclepi, magnum miraculum est homo" (Apulei opera, rec. *P. Thomas*, III, Lipsiae 1908, 40, 17s.).

[25] Eph. 4, 24. [26] Eccli. 17, 1–6.

[27] Ps. 8, 6. [28] Gen. 3, 16.

[29] Ps. 48, 13. [30] 1 Cor. 15, 47.

[31] Deut. 32, 18. [32] Io. 4, 23s.

[33] Ps. 8, 5 (secundum textum hebr.)

[34] Iob 15, 16.

[35] Iob 4, 19.

[35a] De *iis, qui propter humilitatem condicionis apud praestantiores hiscere non audent*, *Des. Erasmus*, Adagia II, c. 8, prov. 43 (Opera II 648 F).

[36] Gen. 3, 19.

[37] Gen. 6, 3. 13; Ps. 64, 3; 144, 21.

[38] Ps. 38, 6; 143, 4.

[39] Ps. 115, 11; Rom. 3, 4.

[40] Iob 17, 14.

[41] Isai. 31, 3.

[42] Io. 2, 24s.

[43] Ps. 9, 21.

[44] Cf. Matth. 15, 9; Marc. 7, 7.

[45] 1 Cor. 3, 3.

[46] Gal. 1, 10.

Digitized by Google

nae naturae miseriam perstringens dicere solet: *Secundum hominem dico*[47]. *Homo* quippe *natus de* A 4v *muliere, brevi vivens tempore*, | qui *repletur multis miseriis*[48], tanto discrimine prodit in lucem, cuius tam destituta tantisque periculis obnoxia est infantia, tam fugax adolescentia, tam praeceps iuventus, tam molesta senectus, quem sexcenta et amplius morborum genera quotidie infestant nec pauciores impetunt casus, ruinae, venena, naufragia, bellum, terrae motus, lapsus, fulmen et quid non, ut hinc conferens quidam cum singulis animantium generibus conditionis nostrae sortem scite pronunciarit nullum esse animal homine calamitosius[49], alius item iudicaverit *optimum esse aut non nasci aut quam ocyssime aboleri*[49a].

Et profecto, viri Patres undecunque ornatissimi, si penitius introspiciamus, quid spiritus sanctus de nostris ossibus vaticinetur, quid de cineribus carnis nostrae in sacris bibliis philosophetur, statim audituri sumus: philosophi, ut dicitur, de trivio tamne magnum miraculum homuncio?[50] Et *bulla*, ut in proverbio est, *qui momento temporis enascens simul et evanescens*[51] *quasi flos egreditur et conteritur et nunquam in eodem statu permanet?*[52] Certe David sui pulveris ac cineris probe conscius et sancta quadam admiratione raptus exclamat: *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?*[53] Divus etiam Iob admirabundus[a] peneque ecstaticus: *Dignum*, ait, *ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?*[54] Regi et prophetae, qui *in cythara et voce psalmi*[55] suavissime cecinit, *homo foenum est, cuius dies tanquam flos agri sic efflorescunt*[56] et Br *velut umbra praetereunt*[57]. Denique | universae vanitatis rationem in hominem concurrere argumento id esse potest, quod homo cum caeteris creaturis hoc habet commune, ut mutationibus in horas sit subiectus, quod innumeris poenis et calamitatibus sit subditus, demum peccato, quod omnium vanitatum est summa, sit obnoxius, ut magna ductus ratione propheta dixerit: *Universa vanitas omnis homo vivens*[58]. Et Salomon, eius filius, eodem spiritu actus: *vanitatem vanitatum*[59], hoc est summam vanitatem, eum appellarit. Vanum autem illud vocant, quod inconstans, inutile, inane et nudum est cuique inniti quicquam non potest. Propheta etiam ille, qui semel, iterum atque iterum ad deiiciendam et frangendam penitus tanti vermis superbientis ac lascivientis audaciam repetitis ingeminatisque vocibus acclamavit: *Terra, terra, terra, audi verbum Domini*[60], nos esse tripliciter et in universum miseros apertissime declaravit. Quod paradoxon forte videri poterit paulo delicatioribus, qui *alta* de se *sapientes humilibus* minime *consentiunt*[61], sed *ambulantes in magnis atque in mirabilibus*[62], hei, nimium, nimium super se *suavissime vivunt*[63], illud nunquam non habentes in ore: *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*[64]. Et illud: *Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae, et non est refrigerium in fine hominis neque est agnitus quisquam reversus ab inferis*[65]. *Venite ergo, fruamur bonis et* Bv *utamur creatura tanquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus neque* | *praetereat nos flos temporis nostri. Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, quoniam haec est pars nostra et sors nostra*[66].

Consulto igitur spiritus sancti, cuius filia et discipula est catholica et apostolica ecclesia, piorum omnium mater ac nutrix, scripturarum quoque vocibus admonita pie docet et sancte etiam erudit ad retundendam carnis nostrae superbiam, quae Adamum illum gravissime olet, ritum hunc anniversarium et caeremoniam tot iam annis religiose instituit, ut stato hoc tempore sacri cineris aspersione quotannis admoneremur, quam fragiles, quam caduci, quam imbecilli et plane nulli simus, nisi *in vasis* nostris *fictilibus*[67], ossibus atque cineribus, quos circum usque gestamus, vetus ille *primus* et *de terra terrenus Adam*[68] moriatur, ut in nostris pectoribus[b] sacer ille *secundus de coelo* atque omni ex parte *coelestis*[68] Adam resurgat, ut, *sicut portavimus imaginem terreni*, ita *portemus imaginem coelestis*[69].

[a] *Lov.* admirandus [b] *Lov. et edd. sequ.* peccatoribus

[47] Rom. 3, 6; Gal. 3, 15.
[48] Iob 14, 1.
[49] *Plutarchi* Moralia I 10: Consolatio ad Apollonium c. 5 (103 D): Menandri fragm. 531 (rec. *Paton-Wegehaupt*, Lipsiae 1925, I 211, 23ss.). Cf. *Desid. Erasmus*, Adagia II, cent. 3, prov. 48 (Opera II 500 F s.; 503).
[49a] *Plinius Secundus*, Naturalis historia VII 1, 4: „multi extitere, qui non nasci optimum censerent aut quam ocissime aboleri". *Cicero*, Consolatio fragm. 11, apud *Lactantium*, Divin. institutiones III, c. 19, 14 (CSEL XIX 242, 22ss.). Cf. *Desid. Erasmus*, Adagia ibid. prov. 49 (l. c. 503 A).
[50] Vide supra p. 51, 6 cum adn. 24.
[51] *Desid. Erasmus* ibid. (l. c. 500 A). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 59, n. 275.
[52] Iob 14, 2.
[53] Ps. 143, 3.
[54] Iob 14, 3.
[55] Ps. 97, 5.
[56] Ps. 102, 15.
[57] Ps. 143, 4.
[58] Ps. 38, 6.
[59] Eccl. 1, 2; 12, 8.
[60] Ier. 22, 29.
[61] Rom. 12, 16.
[62] Ps. 130, 1.
[63] Iob 28, 13.
[64] Luc. 12, 19.
[65] Sap. 2, 1.
[66] Sap. 2, 6–9.
[67] 2 Cor. 4, 7.
[68] 1 Cor. 15, 47.
[69] 1 Cor. 15, 49.

Digitized by Google

Neque vero in hoc sacri cineris ritu comparando *mater* nostra *ac magistra*[70] ecclesia scripturis sacris est destituta. Primum nanque in lege naturae vir ille *in camino paupertatis et humiliationis excoctus*[71] ac *tanquam aurum in fornace* a Domino *probatus*[72] *saccum*[a] *consuit super cutem et operuit carnem cinere*[73], culpam suam nimirum per poenitentiam tegens, ne in districti iudicii examine ad ultionem videretur, quippe qui corde *poenitentiam egit* ac *in favilla et cinere*[74] satisfecit, quum divinam iustitiam contempla|tus nil aliud quam *favillam et cinerem* se esse[75] cognovit. Quo B 2r etiam poenitentiae ritu regem illum cum suis Ninivitis fuisse usum legimus, quando audita Dei sententia regium *abiecit vestimentum indutusque est sacco et sedit in cinere*[76], hoc est nec regiae dignitatis nec gloriae vestium nec voluptatis ciborum memor se totum Deo prostravit, caput demisit, pectus percussit, postremo hominem mortalem et peccatorem se recognovit, omni gratia indignum, summam autem poenam commeritum. Neque item hanc tam piam et salutarem cinerum caeremoniam legis testimonio vacare manifestis et perspicuis verbis liber Numerorum docet, cum de *aqua expiationis*, quae *cineres* continebat[77], sermonem faciens ita concludit: *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesiae*[78]. Quo profecto eleganti symbolo poenitentia nobis et nostrae vilitatis cognitio insinuatur. Hinc apud Iudeos consuetudinem natam esse constat, ut, quoties calamitatibus opprimerentur aut ad poenitentiae remedia confugerent, toties cinere se aspergerent aut in eo sederent, quod sanctissimi viri David[79], Daniel[80], Iudith[81], nutricius Esther[82] et plures alii fecisse deprehenduntur. Unde et prophetae adhortantis est vox: *Filia populi mei, accingere cilicio et conspergere cinere*[83]. Christus etiam suo ipsius ore Ninivitarum[b] poenitentiam commendans et civitatibus Bethsaidae et Corozaim duritiam et cor impoenitens hisce verbis exprobrans: *quoniam*[c], *si in Tyro et Sidone fuissent factae* | B 2v *tot virtutes*, utique *in cinere et cilicio sedentes poeniterent*[84], ritum hunc cinerum diserte satis comprobasse videtur, adeo, ut quidam in extremo illo christianae mortis agone constituti cineribus pro mollibus stramentis uterentur, ut terrae et *pulveri* assuescerent, in quem brevi erant *reversuri*[85], quippe qui non solum *cinerem tamquam panem manducabant*[86], verum etiam et pro cubili sternebant. Quod et beatus Martinus suo ipsius exemplo pie admodum commendavit, cuius illa beata vox fuit: „Non decet Christianum nisi in cinere mori"[87].

Atqui, Patres optimi, *pulvis ante faciem venti et lutum platearum*[88] condeletum et *conculcatum*[89], nempe haeresum novatores, quibuscum *nobis est colluctatio* tanquam *adversus carnem et sanguinem*[90], irrident, oblatrant, insurgunt contra hanc piam cinerum aspersionem, quasi non essent *filii Adae*[91] et quasi *peccatum* per Adam non *intrasset in mundum*, *in quo omnes peccaverunt*[92]. At[d] quid facerent aliud, qui tam longum vale ieiuniis et universae carnis mortificationi dixerunt, qui laboriosa opera penitus respuerunt et quos non pudet sub capite Christi spinoso membra fieri delicata, quam praesens hoc symbolum aspernari? Sed audiant, obsecro! *Si enim cinis vitulae per* Moysen *aspersus sanctificabat ad emundationem carnis, quanto magis*[93] cinis ex sacratis palmarum ramis *verbo Dei et oratione*[94] per sacerdotem evangelicum consecratus et a fidelibus reverenter susceptus, ut pie cre|dit ecclesia et sancte etiam precatur, sanctificabit vel saltem B 3r ad sanctificationem proficiet? *Si interrogati* non semel, sed iterum ac tertio, *quid primum in christianae religionis* insit *praeceptis*, nonne cum Augustino *humilitatem* semper *respondere*[95] liceret? Cui satis plane facimus, cum superbam cervicem nostram sensibilis[e] cineris ritui demittemus, ut, qui corpore peccavimus, holocaustum etiam de nostris corporibus Domino faciamus.

[a] *ed. pr.* sacrum [b] *ed. pr.* Ninivitatem [c] *Lov.* quomodo [d] *Lov.* sed [e] *ed. pr.* sensibus

[70] Conc. Lateranense IV (a. 1215), c. 2; vide infra p. 74, 43 cum adn. 139.
[71] Eccli. 2, 5; Isai. 48, 10.
[72] Sap. 3, 6; Eccli. 2, 5.
[73] Iob 16, 16. [74] Iob 42, 6.
[75] Iob 30, 19.
[76] Ion. 3, 6.
[77] Num. 19, 9. 13.
[78] Num. 19, 20.
[79] Ps. 101, 10.
[80] Dan. 9, 3.
[81] Iudith 9, 1.
[82] Esth. 14, 2.
[83] Ier. 6, 26.
[84] Luc. 10, 13; cf. Matth. 11, 22s.
[85] Gen. 3, 19; Ps. 103, 29.
[86] Ps. 101, 10.
[87] *Sulpicius Severus*, ad Bassulam epist. 3, c. 14: „strato suo in cinere et cilicio [Martinus] recubans, et cum a discipulis rogaretur, ut saltim vilia sibi sineret stramenta subponi: Non decet, inquit, Christianum nisi in cinere mori" (CSEL I 149, 7–10). Eadem narrant *Iacobus a Voragine*, Legenda aurea, c. 166 De s. Martino (rec. *Th. Graesse*[3], Osnabrück 1965, 748) et *Bon. Mombritius*, Sanctuarium seu vitae sanctorum II (Parisiis 1910) 229, 35s.
[88] Ps. 17, 43; cf. 2 Reg. 22, 43; Ps. 1, 4; 34, 5.
[89] Cf. Isai. 10, 6.
[90] Eph. 6, 12.
[91] Ps. 4, 3; Ier. 32, 19.
[92] Rom. 5, 12.
[93] Hebr. 9, 13.
[94] 1 Tim. 4, 5.
[95] Ad Dioscorum epist. 118, c. 3, 22: „Sicut rhetor ille nobilissimus, cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiae praeceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse..., si interrogares et quotiens interrogares de praeceptis christianae religionis, nihil aliud respondere nisi humilitatem liberet" (CSEL XXXIV, II 685, 22–686, 2).

Digitized by Google

Admonemur etiam praesentis solemnitatis caeremonia, ut cinerum conditiones et proprietates in nobis ipsis, qui *sumus cinis et pulvis*[96], penitius agnoscamus. Quid enim cinere levius, *qui* vel minimo *vento circunfertur?*[97] Quid autem homine inconstantius, qui ad omnem suggerentis daemonis aut mundi allicientis aut *carnis pellicientis*[98] *tentationem*[99], blanditias illecebrasque succumbit? Quid rursus cinerum natura imbecillius et impotentius, qui per se ipsos loco prorsus moveri nequeunt? Quod sane debilitatis et imbecillitatis humanae nos commonefacit, cum a peccato resurgere nobis penitus sit impossibile, nisi illius *de coelo spiritu flante*[100] impellamur, qui dixit: *Nemo venit ad me, nisi pater*[a], *qui misit me, traxerit eum*[101]. Postremo cineres suapte natura infoecundi sunt; nullum enim germen producere aut productum conservare aut[b] nutrire possunt, cum ex se ipsis sint steriles pinguedineque omni ac virtute vegetandi careant. Quid B3v autem humana natura post peccatum magis infoecundum ac sterile? Ut vere de illa tan|quam de terra maledicta dictum sit: *Spinas et tribulos germinabit tibi*[102]. Nihil itaque *ex nobis quasi ex nobis* possumus[103], nisi terra nostra *pluvia* illa coelesti ac *voluntaria*[104] madefiat planeque irrigetur, cuius David sitientissimus erat, cum suam sterilitatem agnoscens Dominum precabatur dicens: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*[105].

Proinde Christus, *Dei virtus* et *sapientia*[106], penitissime *cognoscens figmentum nostrum fictilibus* et *Samiis vasis* multo fragilius[107] *recordatusque pulveris*[108] nostri, *expuens* aliquando ⌜in terram[109] et⌝[c] in naturae nostrae cineres eos univit, firmavit ac stabilivit, nimirum quando *verbum caro factum est*[110] et terram nostrae humanitatis in consortium suae divinitatis ineffabiliter assumpsit. Quamobrem cum primum Christo initiamur, salutaribus aquis tingimur, cuius beneficio pulveris ac cineris conditiones, hoc est *veterem hominem cum actibus suis* exuentes[111] *Christum*que ipsum, in cuius nomine *baptizamur*, *induentes*[112] fidei constantiam atque uberem illam bonorum operum foecunditatem *de illius plenitudine accipimus*[113]. Quid igitur homine christiano fortius? Quid potentius? Quid ornatius ac locupletius? Quid denique illustrius? Cuius invictum pectus non cruces, non gladii, non tyranni, non tormenta, non denique mors ipsa superare possunt. Cuius cineres terrori sunt daemonibus, quibus se *cruciari* non semel fassi sunt[114]. Venerationi sunt fidelibus[115], quorum honore, pio ac religioso contactu saepe adeo sunt sublevati, ut *Elisaei ossa* vel post B4r mortem prophetarint[116]. De homi|ne igitur restituto et instaurato iam libeat ad raucedinem usque acclamare: Magnum, imo vero maximum, o Patres, miraculum est homo, de quo spiritus sanctus tam insigne testimonium proferre dignatus est: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes*[117].

Verum enimvero, quemadmodum tam praeclaram hanc et sublimem dignitatem nulla re magis quam humilitate nobis comparamus, ita nullum sane melius illa tuendae atque conservandae tantae gloriae studium inveniri potest. Quare, si sapimus, Patres, unam humilitatis virtutem quotidiana ac iugi mortis nostrae meditatione colamus. Haec enim una longe praestantissima est perscrutandi ratio vereque christiana, quam sapientes huius mundi etiam subodorati sunt. Philosophentur itaque Aegyptii et Chaldaei, apud quos nata et aucta est, sed non absoluta neque unquam absolvenda astrologia, et reliqui eius farinae stolidi homines astronomi de motu, aspectu ac influentiis siderum et planetarum. Placeat philosophis sua illa de natura, causis, elementis, orbibus atque intelligentiis superba, ne dicam inutilis philosophandi occupatio. Nobis vero Christianis, qui sumus lutei ac cineritii, de imbecillae fragilitatis nostrae cineribus docte, humiliter, pie, sancte multoque etiam cum foenore speculari gratum sit ac inter ipsos vilitatis nostrae cineres nobilitatem nostram quaerere coelo et coelestibus instauratoris Christi beneficio aequandam[118]. Incineremurque Phoenicis instar[118a], ut illustrius reviviscamus. *Renove-* B4v *mur, ut aquilae*[119] | solent, id quod e *corruptione* significantissime dixit apostolus in *incorruptio-*

[a] *Lov. perg.:* meus, qui me [b] *Lov.* vel [c] *om. Lov.*

[96] Gen. 18, 27.
[97] Eph. 4, 14; Iac. 1, 6.
[98] Cf. 2 Petr. 2, 18.
[99] Cf. Iac. 1, 12ss.
[100] Ps. 147, 18; Act. 2, 2.
[101] Io. 6, 44. [102] Gen. 3, 18.
[103] Io. 15, 5; 2 Cor. 3, 5.
[104] Ps. 67, 10; 71, 6. [105] Ps. 142, 6.
[106] 1 Cor. 1, 18ss. 30.
[107] Cf. Sap. 15, 13; Isai. 45, 9. *A. Otto*, Die Sprichwörter der Römer l. c. 307, n. 1577.
[108] Ps. 102, 14. [109] Io. 9, 6.
[110] Io. 1, 14. [111] Col. 3, 9.
[112] Gal. 3, 27. [113] Io. 1, 16.
[114] Cf. *Paulinus Nolanus*, Carmen 19, 266s.: „cruciantur daemones ante fores aut ante sepulchra piorum" (CSEL XXX 127). *Augustinus*, De civitate Dei XXI, c. 3 (CChr. XLVIII 759, 3s.). *B. Kötting*, Peregrinatio religiosa, Münster 1950, 251. 318s.
[115] *Hieronymus*, ad Riparium epist. 109, c. 1, 1 (CSEL LV 352, 1–5). Ibid. c. 2, 3: „Si non sunt honorandae reliquiae martyrum, quomodo legimus: *Pretiosa in conspectu*... [Ps. 115, 6]. Si ossa eorum polluunt contingentes, quomodo Heliseus mortuus mortuum suscitavit et dedit vitam, quod iuxta Vigilantium iacebat immundum" (l. c. 353, 19–23).
[116] 4 Reg. 13, 20s. [117] Ps. 81, 6.
[118] Cf. Marc. 12, 42s.
[118a] Cf. *L. C. F. Lactantius*, De ave Phoenice 95ss. (CSEL XXVII 141s.). *O. Feld*, LThK [2]VIII 482s. *H. v. Geisau*, Der kl. Pauly IV 799s.
[119] Ps. 102, 5.

Digitized by Google

nem[130]. Et faxit Deus, ut cineres per Adae veteris mortificationem et sepulturam[131] illustriores simus nihilque nobis cum illis, quibus dictum est: *Vos autem sicut homines moriemini*[132]. O si, Patres Amplissimi, quemadmodum in foco nostro familiari sub cineribus operti atque abditi latent carbones, ita sub nostrae mortalitatis cineribus lateant sacri et nunquam extinguibiles christiani amoris ignes, quo cum dilecta non solum *langueamus*[133], verum etiam ardeamus, profecto beati erimus.

Iam vero, unde nobis tot opinionum atque haeresum monstra nata sunt? Unde *voces alienorum*, quas Christi *oves* minime *noverant*[134], in ecclesiam irrepserunt? Unde tot tam effrontis et *inveteratae* duritiae[135], tam[a] adamantinae pervicaciae homines prodiere, qui tantis eloquiorum castorum divinis molibus non fatiscant tantisque ponderibus coelestibus non succumbant, tantis etiam evangelicis *malleis*[136] non conquassentur, tantis postremo apostolicis fulminibus non conterantur, nisi ex pulveris et cineris nostri oblivione atque arroganti *falsi nominis scientiae* persuasione, *quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*[137]. Unde etiam rei publicae christianae *facies* tam squalida tamque deformis et *super carbones denigrata?*[138] *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus?*[139] Quo *deperiit decor* ille *vultus* tui[130], *o pulcherrima mulierum?*[131] Unde tot tantique abusus in paradiso Dei, | nisi quia *superbit* ac lascivit *terra* haec *et cinis?*[132] cr

Proinde, Patres consultissimi, qui *levastis* dudum *oculos vestros vidistisque regiones* magis siccas ad ignem quam *albas ad messem*[133] et ab omni Christianorum orbe (nam *vicit iter durum pietas*[133a]) venistis tandem *in agrum*[134] Domini Dei vestri[b], quem vepribus magis quam frugibus infructuosisque arboribus quam fructuosis occupatiorem invenistis[135], atque ut, ne steriles eiusmodi arbores *olivae fructiferae*[136] ac *terebintho extendenti ramos* suos[137] terram occupare pergerent, sarculo agrum, *securi* malas arbores[138], falce *triticum in horrea*[139] Domini colere, excindere ac metere coepistis.

Quod[c] igitur tam pie tamque fauste a vobis coeptum est, *urgete* vestra *charitate*[140]. *Implete* ecclesiarum *gaudia*[141]. *Increpate feras arundinis*[142], Syrenes istas impio labore polygraphas, quae per canoros *dulcesque sermones innocentium corda seducunt*[143]. Cohibete scribacissimos pseudoevangelistas, qui *varias et peregrinas doctrinas*[144] olim sepultas tanto rei publicae christianae malo revocarunt ab orco. Quod si doctorum et scribarum nomine sibi blandiuntur, imitentur[d] hominem evangelicum *proferentem de thesauro suo nova*, sed cum *veteribus*[145]. Iubemur enim *comedere vetustissima veterum*[146], prohibemur *nova recentiaque* invenire, *quae non coluerunt patres* nostri[147], quos nova vetustate et veteri novitate sequi admonemur[148].

Sed illis tantisper dimissis ad vos redeo, o *sales terrae*[149]. Condite, imo, cum sitis ipsi sanctissimi, | *sanctificate ecclesiam*[150], ut in lectione sacra spiritus sanctus hodie[151], qui *vos* in ea *posuit* cv *episcopos*[152], benevole hortatur, liberantes illam a *doctrinarum ventis*, quibus plebs misera *circumfertur*[153], atque a pravis moribus, quorum culpa Christus ipse servator, qui *nos vocavit non* quidem *in immunditiam, sed in sanctificationem*[154], male audit et *blasphematur inter gentes*[155]. *Incipiat* vero *a sanctuario* Dei[156] optatissima haec sanctificatio, ad quam ipsi suspiramus *expectantes beatam spem*[157], ut inde tanquam *a capite in barbam*, *ad oram* usque *vestimenti descendat*[158], quoniam *haec est voluntas Dei, sanctificatio nostra*[159]. Onera, si tamen mandata illius, cuius *iugum suave est et onus leve*[160], *onera* dicenda sunt, quae ipsi populo et plebi christianae parracleti *spiritus* iussu *imposituri* estis[161], non

[a] *Lov.* tamque [b] *Lov.* nostri [c] *ed. pr. in marg. not.:* Adhortatio [d] *Lov. perg.* obsecro

[130] 1 Cor. 15, 42. 53.
[131] Rom. 6, 4–6; Col. 3, 3.
[132] Ps. 81, 7.
[133] Cant. 2, 5; 5, 8.
[134] Io. 10, 5.
[135] Ps. 17, 46.
[136] Ier. 23, 29.
[137] 1 Tim. 6, 20s.
[138] Thren. 4, 8.
[139] Thren. 4, 1; cf. 1 Mach. 3, 16.
[130] Iac. 1, 11.
[131] Cant. 5, 9. 17.
[132] Eccli. 10, 9.
[133] Io. 4, 35.
[133a] *Vergilius*, Aeneis VI 688.
[134] Cant. 7, 11.
[135] Cf. Luc. 13, 7s.
[136] Ps. 51, 10.
[137] Eccli. 24, 22.
[138] Cf. Matth. 3, 10.
[139] Matth. 13, 30.
[140] 2 Cor. 5, 14.
[141] Phil. 2, 2.
[142] Ps. 67, 31.
[143] Rom. 16, 18.
[144] Hebr. 13, 9.
[145] Matth. 13, 52.
[146] Lev. 26, 10.
[147] Deut. 32, 17; Ier. 6, 16.
[148] Rom. 7, 6.
[149] Matth. 5, 13.
[150] Ioel 2, 16.
[151] Missale Rom., fer. IV cinerum (in missa pro epist. legitur Ioel 2, 12–19).
[152] Act. 20, 28.
[153] Eph. 4, 14.
[154] 1 Thess. 4, 7.
[155] Isai. 52, 5; Rom. 2, 24.
[156] Ezech. 9, 6.
[157] Tit. 2, 13.
[158] Ps. 132, 2.
[159] 1 Thess. 4, 3.
[160] Matth. 11, 30.
[161] Cf. Act. 15, 28.

Digitized by Google

solum *digito* vestro *movete*[162], sed et *humero portate*[163]. Instaurate[164] antiquam, sed pene collapsam disciplinam, prout *videritis parvulos* vestros portare *posse*[165], qui, *cum deberent esse magistri propter tempus, edoceri rursum indigent, quae sint elementa exordii sermonum Dei, et facti sunt, quibus lacte opus sit et non solido cibo*[166], atque pro ea ratione ac moderatione, quam nostra turbulenta ferunt tempora, in quibus, proh dolor, *defecerunt sancti, diminutae sunt veritates a filiis hominum*[167], *abundavit iniquitas* et, quod inficias ire non possumus, *refrixit charitas*[168]. Nec est, qui se *opponat murum pro domo Israel* neque qui *ascendat ex adverso, ut stet in praelio in* isto *die Domini*[169], si vos, ecclesia- C 2r rum *columnae*[170], *pastores*[171] veraque *mundi lumina*[172], a qui|bus ipsi omnes pendemus toti, vel non sustineatis vel dormiatis vel conniveatis.

Purgate filios Levi, colate sacerdotium[173], ritus et[a] caeremonias, quae pietatem et religionem ornant, non obruunt, confirmate. Si quid autem superstitionis obrepsit, emundate atque emendate pro vestro iudicio, Patres, qui modo *sedetis conflaturi et emundaturi argentum*[173]. *Custodite* etiam praecipue omni cura, studio ac diligentia, ut Paulus ad vos scribit, propter fures et inimicos *depositum*[174]. *Depositum*, inquam, illud, quod *auro*, topazio gemmisque omnibus longe ditius ac *preciosius* est[175], nempe catholicae fidei talentum, idque inviolatum et purum *servate*[176] usque *in illum diem*[177]. Atque de eo *deposito* loquor, quod vobis *creditum est*[178], non a vobis inventum, quod accepistis, non ipsi excogitastis, rem non ingenii, sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis, rem ad vos perductam, non a vobis prolatam, cuius non autores, sed custodes, non institutores, sed *sectatores* estis[179]. *Prophanas* autem *vocum novitates*[180] ab ecclesiae penetralibus, quae est templum Dei, penitus extraneas vetustatique etiam et universitati contrarias, quasi Syreneos scopulos *devitate*[181]. Quae profecto si recipiantur, credite apostolo[182], necessum est, ut sanctorum patrum doctrina, pietas, religio, fides denique ipsa aut tota aut certe magna ex parte violetur, inficiatur, labefactetur, adeoque labefactetur, ut *ecclesiam*, quae *domus Dei* est, *columna et firmamentum veritatis*[183], totus plane christianus orbis et credat et dicat C 2v ignorasse, errasse, | blasphemasse, nescisse, quid crederet, eiusque etiam paracleti spiritus praesidio hactenus destitutam esse, quem servator Iesus in coelum ascensurus sese illi a patre *missurum* atque in ea et cum ea *mansurum*[184] *ad seculi usque consummationem*[185] recepit. Accipiant sanctae pietatis nostrae literae lucem, evidentiam, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem et proprietatem. Illibatumque omnino et incorruptum natura permaneat semen illud undique sanctum[b], quod in hac ecclesiae *Dei agricultura*[186] fide patrum satum est.

Adiicite itaque splendorem, gratiam et venustatem, preciosas divini dogmatis gemmas in structura et ornatu spiritalis huius tabernaculi tanquam *Bezelehel*[187] exculpite, fideliter coaptate, sapienter ornate, ut vobis exponentibus intelligatur, quod ante obscurius credebatur. Per vos posteritas intellectum gratuletur, quod antea prisca illa et vetustior aetas non intellectum venerabatur. Et ut semel dicam, eadem, *quae didicistis, accepistis et audistis*[188], docete, ut, cum dicatis nove, non dicatis nova. Idipsum impense[c] efflagitat christianus populus[d]. Hoc a vobis expectant christiani reges atque principes, maxime vero omnium invictissimus ille Caesar Augustus, et pietate et bello et armis clarissimus, cuius *manum et brachium glorificavit*[189] Deus, qui *dedit imperium regi suo et sublimavit cornu Christi sui*[190], *ad faciendam*[e] nimirum *vindictam in nationibus, increpationes in populis*[191]. Itidem summo studio contendit petitque obnixe sanctissimus ille pater et | C 3r pontifex maximus Iulius III, episcoporum princeps[f], apostolorum haeres, potestate Petrus, unctione vero Christus. Monet denique et miris etiam modis obtestatur pia mater ecclesia, quae hodie *gemens, ut columba*[192] solet: Immutemus[g], inquit, in melius, quae ignoranter pecca-

[a] *Lov.* ac
[b] *Lov.* sacrum [c] *ed. pr. perg.* se [d] *ed. pr. et Lov. in marg. not.:* populus, principes, imperator
[e] *om. Lov. et edd. sequ.* [f] *ed. pr. et Lov. in marg. not.:* papa, ecclesia [g] *Lov.* immutemur

[162] Matth. 23, 4.
[163] Iob 31, 36; Gal. 6, 2.
[164] Cf. Ezech. 36, 10; Amos 9, 11.
[165] Gen. 33, 14.
[166] Hebr. 5, 12.
[167] Ps. 11, 2.
[168] Matth. 24, 12.
[169] Ezech. 13, 5.
[170] Gal. 2, 9.
[171] Eph. 4, 11.
[172] Matth. 5, 14.
[173] Mal. 3, 3.
[174] 1 Tim. 6, 20.
[175] Cf. Prov. 8, 19; Isai. 13, 12.
[176] Ps. 118, 168.
[177] 2 Tim. 1, 12; 4, 8.
[178] Lev. 6, 2; Gal. 2, 7; 1 Thess. 2, 4; 1 Tim. 1, 11.
[179] Tit. 2, 14.
[180] 1 Tim. 6, 20.
[181] Cf. 1 Cor. 1, 10.
[182] Cf. 1 Tim. 6, 3ss.; 1 Petr. 4, 7ss.
[183] 1 Tim. 3, 15.
[184] Io. 14, 16. 26.
[185] Matth. 28, 20.
[186] 1 Cor. 3, 9.
[187] Cf. Exod. 31, 2ss.; 35, 30ss.
[188] Phil. 4, 9.
[189] Eccli. 36, 7.
[190] 1 Reg. 2, 10.
[191] Ps. 149, 7. [192] Isai. 59, 11.

Digitized by Google

vimus, quippe quae suorum filiorum rixas videns simulque *in uno die orbari utroque filio*[193] timens ad sponsum ita loquitur[a]: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?*[194] Sed vos non deterreat, Patres, *afflictio*[195] sponsae, quos ut *sponsi amicos*[195a] tam sollicitos eius tenet obsequium. Quin potius arrigite, quaeso, pias aures ad *vocem* illam *sponsae*[196], ad vocem, inquam, plenam fiduciae illius, cui *innititur*, nempe *dilecti*[197]: *Nolite*, inquit, *considerare, quod fusca sim, quod decolorarit me sol*, quod *filii*, non quidem *matris meae* (quod tamen crudele esset), sed *amantissimi uteri* mei[198] *pugnaverint contra me*[199]. Atqui, *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, imo, *si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo*[200]. Scio sponsum meum *posuisse custodes in vineis Engaddi*[201], de quibus *meliora et viciniora saluti*[202] sperare ausim, quam ut dicant: *Vineam meam non custodivi*[199]. *Sed habeo*, inquit, *adversum vos pauca*[203]. *Succingite* ergo potius *lumbos mentis vestrae*[204] *memores mandatorum* Dei *ad faciendum ea*[205]. Si vero, ut est huius viae nostrae iustitia, ut est fragilitas, somnus aliquis sensim obrepserit, *ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*[206]. Quod si etiam | dormientibus vobis ⌜in utranque aurem⌝[b] *superseminavit* noctu *inimicus* homo *zizania*[207], C 3ᵛ exurget ille, cuius *cor vigilat*[208], et *peribunt succensa* quaeque *ab increpatione vultus* eius[209]. Sic *alligantur fasciculi ad combustionem*[210]. Sic *pisces* discernuntur in litore[211]. Sic *fatuae virgines* a sapientibus dignoscuntur[212]. Sic *colliguntur* ab angelis *de regno eius omnia scandala*[213].

Vigilate itaque, Patres sanctissimi, *state in fide, viriliter agite, confortamini*[214], ut *iniquorum fabulationes*[215] et *novorum daemoniorum*[216] *doctrinas*[217] ab ecclesia Dei tandem aliquando depellatis. Annuet, sat scio, Christus vestris votis, modo impense velitis, id quod hactenus fecistis et modo etiam facitis, et quidem paterno affectu. Propterea enim ab universo Christianorum orbe convenistis, ut de aegrotantis utriusque populi sanitate tractaretis, *infirma* consolidaretis, *confracta* alligaretis, *abiecta* reduceretis[218]. Nec id quidem temere, licet tot praecesserint huiuscemodi tractatus, toties convenerit ecclesia diligentissima utens disquisitione pro stabilienda veritate et destruendo errore. Eadem enim cum Paulo saepe dicere et vobis *non pigrum* et ecclesiae maxime fore noscitur *necessarium*[219]. Hoc nanque *concilia* novissima semper *prioribus* contulerunt[220], non quasi novam fidem profiteri et asserere voluerint, sed unam et ipsam quidem antiquam pro ea ratione, qua implicitum a magis explicito differt, summo studio ac pietate dilucidare et illustrare conati sunt, prout *spiritui sancto visum est*[221] et rebus et temporibus expedire. Qui novi splen|doris incremento ecclesiam suam pro eius paraclesi irradiat et, prout C 4ʳ cernit portare posse, loquitur, suggerit et inspirat[222]. Ergo qui bene coepistis, bene pergite! Date operam, ne quisquam de vobis[c] vere ac merito dicere possit: *Hic homo coepit aedificare et non potuit consummare*[223]. Dignum est enim tam felix principium tamque faustum medium salutari ac glorioso fine claudere. Non ignoro me non excitare dormientes, sed potius adhortari progredientes.

Redeant itaque per vos, Pastores vigilantissimi[224], in ovile ecclesiae aberrantes oves[225]. Arceantur lupi ac *fures*, qui eas *mactant et perdunt*[226]. *Abscindantur* falsi et fallentes apostoli, *qui* eas *conturbant*[227]. Agnoscant verum suum pastorem, Romanum nimirum summum pontificem, cui *claves* traditae[228], cui *oves* creditae sunt[229]. Estis quidem et vos, Patres, iure optimo coeli *ianitores*[230] et gregum pastores[231] simulque in partem *sollicitudinis ecclesiarum* vocati[232], sed ille *tanto melius* tantoque perfectius, excellentius ac gloriosius, *quanto differentius prae* vobis[c] partici-

[a] *ed. pr. et Lov. in marg. not.:* vox, ecclesia ad synodum [b] *om. Lov. et edd. sequ.* [c] *Lov.* nobis

193 Gen. 27, 45.
194 Gen. 25, 22.
195 Ionas 4, 1.
195a Io. 3, 29.
196 Apoc. 18, 23.
197 Cant. 8, 5.
198 Osee 9, 16.
199 Cant. 1, 5.
200 Ps. 26, 3.
201 Cant. 1, 5. 13.
202 Hebr. 6, 9.
203 Apoc. 2, 14.
204 1 Petr. 1, 13.
205 Ps. 102, 18.
206 Ps. 120, 4.
207 Matth. 13, 25.
208 Cant. 5, 2.
209 Ps. 79, 17.
210 Matth. 13, 30.
211 Cf. Matth. 13, 48.
212 Cf. Matth. 25, 2ss.
213 Matth. 13, 41.
214 1 Cor. 16, 13.
215 Ps. 118, 85.
216 Act. 17, 18.
217 1 Tim. 4, 1.
218 Ezech. 34, 16.
219 Phil. 3, 1.
220 *Augustinus*, De baptismo II, c. 9, 14: „nam et concilia posteriora prioribus apud posteros praeponuntur" (CSEL LI 190, 18s.).
221 Act. 15, 28.
222 Io. 14, 26; 16, 13; 2 Petr. 1, 21.
223 Luc. 14, 30.
224 Ezech. 34, 12.
225 Cf. Matth. 18, 12.
226 Io. 10, 10.
227 Gal. 5, 12.
228 Matth. 16, 19.
229 Io. 21, 17.
230 Cf. Ezech. 44, 11. 14; Marc. 13, 34.
231 Matth. 18, 12s.; 1 Petr. 5, 2.
232 Cf. 2 Cor. 11, 28.

Digitized by Google

pibus et *consortibus*[233] suis *nomen haereditavit*[234]. Cui quicquid non unitur, quicquid non innititur, *credite evangelio*[235], ruina est[236] nec ad ecclesiastici aedificii[237] unitatem pertinet, extra quam qui deprehensus fuerit, peribit superveniente *diluvio*[237a]. Illius igitur doctrinis omnes imbuantur, monitis obtemperent, praeceptis acquiescant, pro cuius fide Christus Iesus, *pastor* ille *bonus*[238], *pastorum princeps*[239] *et episcopus animarum nostrarum*[240] singulariter oravit et *exauditus est pro sua reverentia*[241].

C4v Denique[a], ut | tandem finiam, Patres sanctissimi, sed tandem[b] lutei ac cinericii, hoc dicit Dominus Deus, *qui aufert spiritum principum*[242], idem et ecclesia[c], quae *dissolvi* cupit *et esse cum Christo*[243]*: Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris*[244]. Nullus enim ab hac sententia liber esse potest aut debet, non opulentus, non bysso, non purpura indutus, non princeps, non denique ullus hominum, etsi in summo potestatis fastigio constitutus emineat. *Finem* itaque *dicendi omnes pariter audiamus. Deum time et mandata eius observa. Hoc est omnis homo. Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium, sive bonum sive malum*[245]. Iccirco *timete potius eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Ita, dico vobis, hunc timete*[246].

7.

Fratris Mariani Rocha Feltrensis ord. Erem. s. Augustini Prioris monasterii divi Marci de Tridento ac theologorum minimi Oratio ad patres habita in concilio Tridentino[1]

dominica tertia quadragesimae [20. Martii] 1552

Venetiis 1552 A2r Etsi, posteaquam in ornatissimum hunc locum conscendi, Ill[me] ac R[me] D. legate, R[mi] praesides, clarissimi DD. oratores, sanctissimi Patres ac praestantissimi auditores, nullum mihi verbum aptius videatur, unde exordiri possim, quam illud Mosis legislatoris: *Non sum eloquens*[2], quin potius (ut verum fatear) *impeditioris*[d] *et tardioris linguae* mihi factus videar, quam *heri* fueram et *nudiustertius*[2], conabor tamen (vestris auribus ad audiendum benignissimis, vestris animis ad ignoscendum promptissimis confisus) magnum illud et efficax pro confirmanda Christi Domini et servatoris nostri divinitate tractare, quod Iudaeorum non verbis, sed intimis *cordium cogitationibus*, posteaquam eas *vidit*[3], respondit. Quo deinde sermone illas ipsas cogitationes repraehenderit totamque eorum criminationem confutaverit, ostendam. Quae cum altissima sint et tenuissimas vires meas longe superent, ut breviter complecti valeam, ad virginis Christi Iesu genitricis auxilium humili prius mente confugiam.

A2v Quum totum orbem falsitatis nebulae ob|scurarent et invisibiles tenebrae corda infidelium hominum opprimerent, obscuritas pro luce, nox pro die, pro veritate mendacium colebatur. Tenebatur enim humanum genus vinctum et teterrimi hostis malis artibus ac dolis deceptum,

[a] *ed. pr. et Lov. in marg. not.:* Peroratio [b] *Lov.* tamen [c] *Lov. et edd. sequ. perg.* mater
[d] *Ed. princ.* impeditionis

[233] Ps. 44, 8.
[234] Hebr. 1, 4.
[235] Marc. 1, 15.
[236] Cf. Matth. 7, 27; Luc. 6, 49.
[237] Cf. Matth. 7, 24ss.; 16, 18.
[237a] Luc. 17, 27. [238] Io. 10, 11.
[239] 1 Petr. 5, 4.
[240] 1 Petr. 2, 25.
[241] Luc. 22, 41–43; Hebr. 5, 7.
[242] Ps. 75, 13.
[243] Phil. 1, 23.
[244] Gen. 3, 19. Missale Rom., fer. IV cinerum; vide supra adn. 3.
[245] Eccl. 12, 13–14.
[246] Matth. 10, 28; Luc. 12, 5. — Die dominica prima quadragesimae (6. Martii) Hieronymus Vannusius OP. de Fano Fortunae, familiaris archiepiscopi Calaritani, die dominica secunda quadragesimae (13. Martii 1552) Antonius de Ulloa OMin. de obs. Hispanus in missa conciliari orationes habuerunt, Conc. Trid. VII, I 510, 14s. 23s., quae vero orationes non exstant.

[1] De hac oratione Massarellus in Actis mentionem fecit, Conc. Trid. VII, I 515, 5. Typis exscripta est Venetiis 1552 *ad signum Spei* separatim. Editionem principem, quae exstat in Bibl. Vat., *Racc. I, IV 2177* (int. 21), secuti sumus. Haec oratio etiam legitur in editione Actorum Lovaniensi (*Concilium Tridentinum*, Lovanii 1567, p. 75–80; cf. *G. Calenzio*, Documenti inediti 529) et in collectionibus conciliorum *Labbe-Cossart* tom. XIV 1079–1085 et *Mansi* XXXIII 355 D–361 C, quas editiones repetivit *Le Plat* I 256–263. De auctore cf. *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento 22s.
[2] Exod. 4, 10.
[3] Matth. 9, 4; Luc. 9, 47; 11, 17.

Digitized by Google

nec non archana quadam vi tractum miserrimam *serviebat servitutem*[4]. Quod natura grave et odiosum esse debebat, ultro facinus adamabat. Pietas scelere contaminabatur et contempta iustitia alienis omnes inhiabant atque omnes passim simulata quadam honesti facie daemonis insidiis plane capti atque interclusi tenebantur. Miseratus vero nos Dei filius in hoc apparuit, ut dissolveret haec opera diaboli, has pestes excluderet, daemonium ab homine eiiceret et salutarem homini restitueret libertatem. De quo divino et immortali erga genus nostrum beneficio ut et memores simus et grati, hodiernae evangelicae lectionis[5] initia nos monent. *Erat* Iesus *eiiciens daemonium et illud erat mutum*[6]. Mutus quippe, imo et surdus et caecus erat, qui totius humani generis imaginem gerebat, cui Christus videndi aciem restituit, ne amplius praestigia sathanae, sed verum Deum intueretur. Aures reseravit, ne ultra idolorum mendacia, sed Dei viventis verba audiendo viveret. Linguam dissolvit, ne diutius sileret, sed *(fide ex auditu*[7] concepta*) corde crederet ad iustitiam*, *ore* autem *confiteretur ad salutem*[8].

Haec tot miracula mox, ubi *turbae* viderunt, *obstupentes* dixere: *Nunquid est hic filius David?*[9] At vero pharisaei ex adverso, ne vere filius ille David, hoc | est Messias patribus promissus et A 3r expectatus, crederetur, hanc de malo suorum cordium thesauro adhibere calumniam cogitabant: *Hic in Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia*[10]. *Et alii paribus* stimulati livoris aculeis *signum de coelo quaerebant ab eo*[11] putantes daemonum eiectionem divinitatis non sane sufficiens esse argumentum, quippe cum Iosue[12] et Esaias[13], homines illi et mortales, longe mirabiliora in corporibus caelestibus effecisse viderentur. At Christus non *signum de caelo*, sed divinitatis suae cognoscendae rationem attulit evidentissimam, dum *eorum cogitationes videre* se[14] patefacere et redarguere posse ostendit. Quem locum (cognitione dignissimum) tametsi sciam pro dignitate a me tractari non posse, tractabo tamen et contemplabor, ut initio dicendi proposui, quanta maxime potero brevitate.

Hominum arcanas cogitationes, hoc est interiores illas sine strepitu vocis collocutiones, quibus sese animus noster alloquitur, neque daemones agnoscunt neque angeli sancti, illi (inquam) nostri custodes et praesides, qui nos (Deo optimo maximo iubente) tuentur, defendunt, custodiunt incolumesque servant, qui nostra omnia diligenter speculantur quique, etsi, ut veritas ipsa testatur, *semper videant faciem patris*, *qui in coelis est*[15], reconditas tamen animorum nostrorum meditationes neque vident neque vi sua atque natura comprehendere valent. Unus ille mundi procreator Deus, qui omnia sentit, omnia movet, omnia moderatur et regit, is est, cui nota sunt omnia[16], humanae | etiam cogitationes, antequam sint, cuius rei rationem reddi- A 3v disse videtur magnus apostolus, quum scripsit: *Quis hominum scit*, *quae sunt hominis*, *nisi spiritus hominis*, *qui in ipso est?*[17] Si ea ratione humanus spiritus, quae in hominis corde latent, cognoscere potest, quia *in ipso* homine *est*, nemo certe nisi unus Deus est, qui in intima nostra consilia pervenire possit, cum divinae tantum virtutis sit in humanas illabi mentes, in ipsis esse et operari, ac propterea unius Dei (qui rebus omnibus intimior est quam res ipsae sibi) verissima sunt elogia: *Tu solus nosti corda filiorum hominum*[18]. *Scio*, Domine, *quia omnia potes*, *et nulla te latet cogitatio*[19]. Unus ipse dicere potest: *Pravum est cor hominis et inscrutabile*, *quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda et probans renes*, *qui do unicuique iuxta viam suam et iuxta fructum adinventionum suarum*[20].

Sed liceat mihi, Patres sanctissimi, hoc loco monere, ut nemo iudicium hoc de tacitis hominum cogitationibus, quod totum unius Dei proprium est et peculiare, sibi assumat, liceat cum Paulo adhortari: *Nolite ante tempus iudicare*, *donec veniat Dominus*, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium ; et tunc laus erit unicuique a Deo*[21], liceat ob oculos ponere, quam grave futurum sit divinum illud iudicium, in quo de cogitationibus quoque interrogatio erit[22], ille, ille (inquam) de nostris cogitationibus iudicium faciet, qui toties nos monuit: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*[23]. | *Lava a malitia cor tuum*, *Hierusalem*, *ut salva fias*. A 4r *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae?*[24] Cuius illa nobis proponitur horribilis comminatio: *Auferte praeputia cordium vestrorum*, *viri Iuda et habitatores Hierusalem*, *ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur*, *et non sit*, *qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum*[25]. Tunc

[4] Gen. 30, 26.
[5] Missale Rom., missa domin. III quadragesimae; legitur evang. Luc. 11, 14–28.
[6] Luc. 11, 14.
[7] Rom. 10, 17; Gal. 3, 2. 5.
[8] Rom. 10, 10.
[9] Matth. 12, 23.
[10] Matth. 12, 24; Luc. 11, 15.
[11] Luc. 11, 16.
[12] Ios. 3, 5; 10, 13.
[13] Isai. 38, 8.
[14] Matth. 12, 25; Luc. 11, 17.
[15] Matth. 18, 10.
[16] Io. 16, 30; 21, 17.
[17] 1 Cor. 2, 11.
[18] 3 Reg. 8, 39.
[19] Iob 42, 2.
[20] Ier. 17, 9–10.
[21] 1 Cor. 4, 5.
[22] Sap. 6, 4.
[23] Isai. 1, 16.
[24] Ier. 4, 14.
[25] Ier. 4, 4.

Digitized by Google

pibus et *consortibus*[233] suis *nomen haereditavit*[234]. Cui quicquid non unitur, quicquid non innititur, *credite evangelio*[235], ruina est[236] nec ad ecclesiastici aedificii[237] unitatem pertinet, extra quam qui deprehensus fuerit, peribit superveniente *diluvio*[237a]. Illius igitur doctrinis omnes imbuantur, monitis obtemperent, praeceptis acquiescant, pro cuius fide Christus Iesus, *pastor* ille *bonus*[238], *pastorum princeps*[239] *et episcopus animarum nostrarum*[240] singulariter oravit et *exauditus est pro sua reverentia*[241].

C 4^{v} Denique[a], ut | tandem finiam, Patres sanctissimi, sed tandem[b] lutei ac cinericii, hoc dicit Dominus Deus, *qui aufert spiritum principum*[242], idem et ecclesia[c], quae *dissolvi* cupit *et esse cum Christo*[243]*: Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris*[244]. Nullus enim ab hac sententia liber esse potest aut debet, non opulentus, non bysso, non purpura indutus, non princeps, non denique ullus hominum, etsi in summo potestatis fastigio constitutus emineat. *Finem* itaque *dicendi omnes pariter audiamus. Deum time et mandata eius observa. Hoc est omnis homo. Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium, sive bonum sive malum*[245]. Iccirco *timete potius eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Ita, dico vobis, hunc timete*[246].

7.

Fratris Mariani Rocha Feltrensis ord. Erem. s. Augustini Prioris monasterii divi Marci de Tridento ac theologorum minimi Oratio ad patres habita in concilio Tridentino[1]

dominica tertia quadragesimae [20. Martii] 1552

Venetiis 1552
A 2^{r} Etsi, posteaquam in ornatissimum hunc locum conscendi, Ill^{me} ac R^{me} D. legate, R^{mi} praesides, clarissimi DD. oratores, sanctissimi Patres ac praestantissimi auditores, nullum mihi verbum aptius videatur, unde exordiri possim, quam illud Mosis legislatoris: *Non sum eloquens*[2], quin potius (ut verum fatear) *impeditioris*[d] *et tardioris linguae* mihi factus videar, quam *heri* fueram et *nudiustertius*[2], conabor tamen (vestris auribus ad audiendum benignissimis, vestris animis ad ignoscendum promptissimis confisus) magnum illud et efficax pro confirmanda Christi Domini et servatoris nostri divinitate tractare, quod Iudaeorum non verbis, sed intimis *cordium cogitationibus*, posteaquam eas *vidit*[3], respondit. Quo deinde sermone illas ipsas cogitationes repraehenderit totamque eorum criminationem confutaverit, ostendam. Quae cum altissima sint et tenuissimas vires meas longe superent, ut breviter complecti valeam, ad virginis Christi Iesu genitricis auxilium humili prius mente confugiam.

A 2^{v} Quum totum orbem falsitatis nebulae ob|scurarent et invisibiles tenebrae corda infidelium hominum opprimerent, obscuritas pro luce, nox pro die, pro veritate mendacium colebatur. Tenebatur enim humanum genus vinctum et teterrimi hostis malis artibus ac dolis deceptum,

[a] *ed. pr. et Lov. in marg. not.:* Peroratio [b] *Lov.* tamen [c] *Lov. et edd. sequ. perg.* mater
[d] *Ed. princ.* impeditionis

[233] Ps. 44, 8.
[234] Hebr. 1, 4.
[235] Marc. 1, 15.
[236] Cf. Matth. 7, 27; Luc. 6, 49.
[237] Cf. Matth. 7, 24ss.; 16, 18.
[237a] Luc. 17, 27. [238] Io. 10, 11.
[239] 1 Petr. 5, 4.
[240] 1 Petr. 2, 25.
[241] Luc. 22, 41–43; Hebr. 5, 7.
[242] Ps. 75, 13.
[243] Phil. 1, 23.
[244] Gen. 3, 19. Missale Rom., fer. IV cinerum; vide supra adn. 3.
[245] Eccl. 12, 13–14.
[246] Matth. 10, 28; Luc. 12, 5. — Die dominica prima quadragesimae (6. Martii) Hieronymus Vannusius OP. de Fano Fortunae, familiaris archiepiscopi Calaritani, die dominica secunda quadragesimae (13. Martii 1552) Antonius de Ulloa OMin. de obs. Hispanus in missa conciliari orationes habuerunt, Conc. Trid. VII, I 510, 14s. 23s., quae vero orationes non exstant.

[1] De hac oratione Massarellus in Actis mentionem fecit, Conc. Trid. VII, I 515, 5. Typis exscripta est Venetiis 1552 *ad signum Spei* separatim. Editionem principem, quae exstat in Bibl. Vat., *Racc. I, IV 2177* (int. 21), secuti sumus. Haec oratio etiam legitur in editione Actorum Lovaniensi (*Concilium Tridentinum*, Lovanii 1567, p. 75–80; cf. *G. Calenzio*, Documenti inediti 529) et in collectionibus conciliorum *Labbe-Cossart* tom. XIV 1079–1085 et *Mansi* XXXIII 355 D–361 C, quas editiones repetivit *Le Plat* I 256–263. De auctore cf. *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento 22s.
[2] Exod. 4, 10.
[3] Matth. 9, 4; Luc. 9, 47; 11, 17.

Digitized by Google

nec non archana quadam vi tractum miserrimam *serviebat servitutem*[4]. Quod natura grave et odiosum esse debebat, ultro facinus adamabat. Pietas scelere contaminabatur et contempta iustitia alienis omnes inhiabant atque omnes passim simulata quadam honesti facie daemonis insidiis plane capti atque interclusi tenebantur. Miseratus vero nos Dei filius in hoc apparuit, ut dissolveret haec opera diaboli, has pestes excluderet, daemonium ab homine eiiceret et salutarem homini restitueret libertatem. De quo divino et immortali erga genus nostrum beneficio ut et memores simus et grati, hodiernae evangelicae lectionis[5] initia nos monent. *Erat* Iesus *eiiciens daemonium et illud erat mutum*[6]. Mutus quippe, imo et surdus et caecus erat, qui totius humani generis imaginem gerebat, cui Christus videndi aciem restituit, ne amplius praestigia sathanae, sed verum Deum intueretur. Aures reseravit, ne ultra idolorum mendacia, sed Dei viventis verba audiendo viveret. Linguam dissolvit, ne diutius sileret, sed *(fide ex auditu*[7] concepta*) corde crederet ad iustitiam*, *ore* autem *confiteretur ad salutem*[8].

Haec tot miracula mox, ubi *turbae* viderunt, *obstupentes* dixere: *Nunquid est hic filius David?*[9]
At vero pharisaei ex adverso, ne vere filius ille David, hoc | est Messias patribus promissus et A 3r
expectatus, crederetur, hanc de malo suorum cordium thesauro adhibere calumniam cogitabant: *Hic in Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia*[10]. *Et alii paribus* stimulati livoris aculeis *signum de coelo quaerebant ab eo*[11] putantes daemonum eiectionem divinitatis non sane sufficiens esse argumentum, quippe cum Iosue[12] et Esaias[13], homines illi et mortales, longe mirabiliora in corporibus caelestibus effecisse viderentur. At Christus non *signum de caelo*, sed divinitatis suae cognoscendae rationem attulit evidentissimam, dum *eorum cogitationes videre* se[14] patefacere et redarguere posse ostendit. Quem locum (cognitione dignissimum) tametsi sciam pro dignitate a me tractari non posse, tractabo tamen et contemplabor, ut initio dicendi proposui, quanta maxime potero brevitate.

Hominum arcanas cogitationes, hoc est interiores illas sine strepitu vocis collocutiones, quibus sese animus noster alloquitur, neque daemones agnoscunt neque angeli sancti, illi (inquam) nostri custodes et praesides, qui nos (Deo optimo maximo iubente) tuentur, defendunt, custodiunt incolumesque servant, qui nostra omnia diligenter speculantur quique, etsi, ut veritas ipsa testatur, *semper videant faciem patris*, *qui in coelis est*[15], reconditas tamen animorum nostrorum meditationes neque vident neque vi sua atque natura comprehendere valent. Unus ille mundi procreator Deus, qui omnia sentit, omnia movet, omnia moderatur et regit, is est,
cui nota sunt omnia[16], humanae | etiam cogitationes, antequam sint, cuius rei rationem reddi- A 3v
disse videtur magnus apostolus, quum scripsit: *Quis hominum scit*, *quae sunt hominis*, *nisi spiritus hominis*, *qui in ipso est?*[17] Si ea ratione humanus spiritus, quae in hominis corde latent, cognoscere potest, quia *in ipso* homine *est*, nemo certe nisi unus Deus est, qui in intima nostra consilia pervenire possit, cum divinae tantum virtutis sit in humanas illabi mentes, in ipsis esse et operari, ac propterea unius Dei (qui rebus omnibus intimior est quam res ipsae sibi) verissima sunt elogia: *Tu solus nosti corda filiorum hominum*[18]. *Scio*, Domine, *quia omnia potes*, *et nulla te latet cogitatio*[19]. Unus ipse dicere potest: *Pravum est cor hominis et inscrutabile*, *quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda et probans renes*, *qui do unicuique iuxta viam suam et iuxta fructum adinventionum suarum*[20].

Sed liceat mihi, Patres sanctissimi, hoc loco monere, ut nemo iudicium hoc de tacitis hominum cogitationibus, quod totum unius Dei proprium est et peculiare, sibi assumat, liceat cum Paulo adhortari: *Nolite ante tempus iudicare*, *donec veniat Dominus*, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium ; et tunc laus erit unicuique a Deo*[21], liceat ob oculos ponere, quam grave futurum sit divinum illud iudicium, in quo de cogitationibus quoque interrogatio erit[22], ille, ille (inquam) de nostris cogitationibus iudicium faciet, qui toties nos monuit: *Auferte*
malum cogitationum vestrarum ab oculis meis[23]. | *Lava a malitia cor tuum*, *Hierusalem*, *ut salva fias*. A 4r
Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae?[24] Cuius illa nobis proponitur horribilis comminatio: *Auferte praeputia cordium vestrorum*, *viri Iuda et habitatores Hierusalem*, *ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur*, *et non sit*, *qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum*[25]. Tunc

[4] Gen. 30, 26.
[5] Missale Rom., missa domin. III quadragesimae; legitur evang. Luc. 11, 14–28.
[6] Luc. 11, 14.
[7] Rom. 10, 17; Gal. 3, 2. 5.
[8] Rom. 10, 10.
[9] Matth. 12, 23.
[10] Matth. 12, 24; Luc. 11, 15.
[11] Luc. 11, 16.
[12] Ios. 3, 5; 10, 13.
[13] Isai. 38, 8.
[14] Matth. 12, 25; Luc. 11, 17.
[15] Matth. 18, 10.
[16] Io. 16, 30; 21, 17.
[17] 1 Cor. 2, 11.
[18] 3 Reg. 8, 39.
[19] Iob 42, 2.
[20] Ier. 17, 9–10.
[21] 1 Cor. 4, 5.
[22] Sap. 6, 4.
[23] Isai. 1, 16.
[24] Ier. 4, 14.
[25] Ier. 4, 4.

Digitized by Google

pibus et *consortibus*[233] suis *nomen haereditavit*[234]. Cui quicquid non unitur, quicquid non innititur, *credite evangelio*[235], ruina est[236] nec ad ecclesiastici aedificii[237] unitatem pertinet, extra quam qui deprehensus fuerit, peribit superveniente *diluvio*[237a]. Illius igitur doctrinis omnes imbuantur, monitis obtemperent, praeceptis acquiescant, pro cuius fide Christus Iesus, *pastor* ille *bonus*[238], *pastorum princeps*[239] *et episcopus animarum nostrarum*[240] singulariter oravit et *exauditus est pro sua reverentia*[241].

C 4v Denique[a], ut | tandem finiam, Patres sanctissimi, sed tandem[b] lutei ac cinericii, hoc dicit Dominus Deus, *qui aufert spiritum principum*[242], idem et ecclesia[c], quae *dissolvi* cupit *et esse cum Christo*[243]*: Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris*[244]. Nullus enim ab hac sententia liber esse potest aut debet, non opulentus, non bysso, non purpura indutus, non princeps, non denique ullus hominum, etsi in summo potestatis fastigio constitutus emineat. *Finem* itaque *dicendi omnes pariter audiamus. Deum time et mandata eius observa. Hoc est omnis homo. Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium, sive bonum sive malum*[245]. Iccirco *timete potius eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Ita, dico vobis, hunc timete*[246].

7.

Fratris Mariani Rocha Feltrensis ord. Erem. s. Augustini Prioris monasterii divi Marci de Tridento ac theologorum minimi Oratio ad patres habita in concilio Tridentino[1]

dominica tertia quadragesimae [20. Martii] 1552

Venetiis 1552
A 2r Etsi, posteaquam in ornatissimum hunc locum conscendi, Illme ac Rme D. legate, Rmi praesides, clarissimi DD. oratores, sanctissimi Patres ac praestantissimi auditores, nullum mihi verbum aptius videatur, unde exordiri possim, quam illud Mosis legislatoris: *Non sum eloquens*[2], quin potius (ut verum fatear) *impeditioris*[d] *et tardioris linguae* mihi factus videar, quam *heri* fueram et *nudiustertius*[2], conabor tamen (vestris auribus ad audiendum benignissimis, vestris animis ad ignoscendum promptissimis confisus) magnum illud et efficax pro confirmanda Christi Domini et servatoris nostri divinitate tractare, quod Iudaeorum non verbis, sed intimis *cordium cogitationibus*, posteaquam eas *vidit*[3], respondit. Quo deinde sermone illas ipsas cogitationes repraehenderit totamque eorum criminationem confutaverit, ostendam. Quae cum altissima sint et tenuissimas vires meas longe superent, ut breviter complecti valeam, ad virginis Christi Iesu genitricis auxilium humili prius mente confugiam.

A 2v Quum totum orbem falsitatis nebulae ob|scurarent et invisibiles tenebrae corda infidelium hominum opprimerent, obscuritas pro luce, nox pro die, pro veritate mendacium colebatur. Tenebatur enim humanum genus vinctum et teterrimi hostis malis artibus ac dolis deceptum,

[a] *ed. pr. et Lov. in marg. not.:* Peroratio [b] *Lov.* tamen [c] *Lov. et edd. sequ. perg.* mater
[d] *Ed. princ.* impeditionis

[233] Ps. 44, 8.
[234] Hebr. 1, 4.
[235] Marc. 1, 15.
[236] Cf. Matth. 7, 27; Luc. 6, 49.
[237] Cf. Matth. 7, 24ss.; 16, 18.
[237a] Luc. 17, 27. [238] Io. 10, 11.
[239] 1 Petr. 5, 4.
[240] 1 Petr. 2, 25.
[241] Luc. 22, 41–43; Hebr. 5, 7.
[242] Ps. 75, 13.
[243] Phil. 1, 23.
[244] Gen. 3, 19. Missale Rom., fer. IV cinerum; vide supra adn. 3.
[245] Eccl. 12, 13–14.
[246] Matth. 10, 28; Luc. 12, 5. — Die dominica prima quadragesimae (6. Martii) Hieronymus Vannusius OP. de Fano Fortunae, familiaris archiepiscopi Calaritani, die dominica secunda quadragesimae (13. Martii 1552) Antonius de Ulloa OMin. de obs. Hispanus in missa conciliari orationes habuerunt, Conc. Trid. VII, I 510, 14s. 23s., quae vero orationes non exstant.

[1] De hac oratione Massarellus in Actis mentionem fecit, Conc. Trid. VII, I 515, 5. Typis exscripta est Venetiis 1552 *ad signum Spei* separatim. Editionem principem, quae exstat in Bibl. Vat., *Racc. I, IV 2177* (int. 21), secuti sumus. Haec oratio etiam legitur in editione Actorum Lovaniensi (*Concilium Tridentinum*, Lovanii 1567, p. 75–80; cf. *G. Calenzio*, Documenti inediti 529) et in collectionibus conciliorum *Labbe-Cossart* tom. XIV 1079–1085 et *Mansi* XXXIII 355 D–361 C, quas editiones repetivit *Le Plat* I 256–263. De auctore cf. *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento 22s.
[2] Exod. 4, 10.
[3] Matth. 9, 4; Luc. 9, 47; 11, 17.

Digitized by Google

nec non archana quadam vi tractum miserrimam *serviebat servitutem*[4]. Quod natura grave et odiosum esse debebat, ultro facinus adamabat. Pietas scelere contaminabatur et contempta iustitia alienis omnes inhiabant atque omnes passim simulata quadam honesti facie daemonis insidiis plane capti atque interclusi tenebantur. Miseratus vero nos Dei filius in hoc apparuit, ut dissolveret haec opera diaboli, has pestes excluderet, daemonium ab homine eiiceret et salutarem homini restitueret libertatem. De quo divino et immortali erga genus nostrum beneficio ut et memores simus et grati, hodiernae evangelicae lectionis[5] initia nos monent. *Erat* Iesus *eiiciens daemonium et illud erat mutum*[6]. Mutus quippe, imo et surdus et caecus erat, qui totius humani generis imaginem gerebat, cui Christus videndi aciem restituit, ne amplius praestigia sathanae, sed verum Deum intueretur. Aures reseravit, ne ultra idolorum mendacia, sed Dei viventis verba audiendo viveret. Linguam dissolvit, ne diutius sileret, sed *(fide ex auditu*[7] concepta*) corde crederet ad iustitiam*, *ore* autem *confiteretur ad salutem*[8].

Haec tot miracula mox, ubi *turbae* viderunt, *obstupentes* dixere: *Nunquid est hic filius David?*[9] At vero pharisaei ex adverso, ne vere filius ille David, hoc | est Messias patribus promissus et A 3r expectatus, crederetur, hanc de malo suorum cordium thesauro adhibere calumniam cogitabant: *Hic in Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia*[10]. *Et alii paribus* stimulati livoris aculeis *signum de coelo quaerebant ab eo*[11] putantes daemonum eiectionem divinitatis non sane sufficiens esse argumentum, quippe cum Iosue[12] et Esaias[13], homines illi et mortales, longe mirabiliora in corporibus caelestibus effecisse viderentur. At Christus non *signum de caelo*, sed divinitatis suae cognoscendae rationem attulit evidentissimam, dum *eorum cogitationes videre* se[14] patefacere et redarguere posse ostendit. Quem locum (cognitione dignissimum) tametsi sciam pro dignitate a me tractari non posse, tractabo tamen et contemplabor, ut initio dicendi proposui, quanta maxime potero brevitate.

Hominum arcanas cogitationes, hoc est interiores illas sine strepitu vocis collocutiones, quibus sese animus noster alloquitur, neque daemones agnoscunt neque angeli sancti, illi (inquam) nostri custodes et praesides, qui nos (Deo optimo maximo iubente) tuentur, defendunt, custodiunt incolumesque servant, qui nostra omnia diligenter speculantur quique, etsi, ut veritas ipsa testatur, *semper videant faciem patris, qui in coelis est*[15], reconditas tamen animorum nostrorum meditationes neque vident neque vi sua atque natura comprehendere valent. Unus ille mundi procreator Deus, qui omnia sentit, omnia movet, omnia moderatur et regit, is est, cui nota sunt omnia[16], humanae | etiam cogitationes, antequam sint, cuius rei rationem reddi- A 3v disse videtur magnus apostolus, quum scripsit: *Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?*[17] Si ea ratione humanus spiritus, quae in hominis corde latent, cognoscere potest, quia *in ipso* homine *est*, nemo certe nisi unus Deus est, qui in intima nostra consilia pervenire possit, cum divinae tantum virtutis sit in humanas illabi mentes, in ipsis esse et operari, ac propterea unius Dei (qui rebus omnibus intimior est quam res ipsae sibi) verissima sunt elogia: *Tu solus nosti corda filiorum hominum*[18]. *Scio*, Domine, *quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio*[19]. Unus ipse dicere potest: *Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda et probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam et iuxta fructum adinventionum suarum*[20].

Sed liceat mihi, Patres sanctissimi, hoc loco monere, ut nemo iudicium hoc de tacitis hominum cogitationibus, quod totum unius Dei proprium est et peculiare, sibi assumat, liceat cum Paulo adhortari: *Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo*[21], liceat ob oculos ponere, quam grave futurum sit divinum illud iudicium, in quo de cogitationibus quoque interrogatio erit[22], ille, ille (inquam) de nostris cogitationibus iudicium faciet, qui toties nos monuit: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*[23]. | *Lava a malitia cor tuum, Hierusalem, ut salva fias.* A 4r *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae?*[24] Cuius illa nobis proponitur horribilis comminatio: *Auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda et habitatores Hierusalem, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur, et non sit, qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum*[25]. Tunc

[4] Gen. 30, 26.
[5] Missale Rom., missa domin. III quadragesimae; legitur evang. Luc. 11, 14–28.
[6] Luc. 11, 14.
[7] Rom. 10, 17; Gal. 3, 2. 5.
[8] Rom. 10, 10.
[9] Matth. 12, 23.
[10] Matth. 12, 24; Luc. 11, 15.
[11] Luc. 11, 16.
[12] Ios. 3, 5; 10, 13.
[13] Isai. 38, 8.
[14] Matth. 12, 25; Luc. 11, 17.
[15] Matth. 18, 10.
[16] Io. 16, 30; 21, 17.
[17] 1 Cor. 2, 11.
[18] 3 Reg. 8, 39.
[19] Iob 42, 2.
[20] Ier. 17, 9–10.
[21] 1 Cor. 4, 5.
[22] Sap. 6, 4.
[23] Isai. 1, 16.
[24] Ier. 4, 14.
[25] Ier. 4, 4.

Digitized by Google

rex iustus *sedebit in solio iudicii*, qui *dissipabit omne malum intuitu suo*[26]. Et *vae hypocritis*, qui aliud loquuntur, aliud cogitant, qui *mundant*, *quod deforis est calicis et paropsidis*, *intus autem pleni sunt rapina et iniquitate*[27], qui *similes sunt sepulchris dealbatis*, *quae a foris apparent hominibus spetiosa*, *intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia*[28], qui *culicem excolant et camelum glutiunt*[29]. Vae haereticis, *qui in vestimentis ovium circuunt mare et aridam*, *ut faciant unum proselytum*[30], *intrinsecus autem sunt lupi rapaces*[31], non iam amplius latentes, sed *ab eorum fructibus* deprehensi[32]. Certe si hominum validissimas manus effugerint, certe si Iulii III, pontificis maximi, sanctum hoc et synodale iudicium effugerint[a], si ex Caroli Caesaris manu illa victoria[33] et fide praestanti elabentur, nunquam tamen divinum illud iudicium evadent, ubi hinc erunt cogitationes accusantes, inde terrens iustitia, subtus horrendum *chaos*[34] inferni, desuper iudex iratus, intus conscientia urens[b], foris mundus ardens, sic deprehensi, in quam (obsecro) partem se prement, constricti, ubi latebunt? Sed eo redeo, unde digressa est oratio. |

A 4v Si quando aut homines aut angeli de humanis cordium cogitationibus vera pronuntiasse reperiantur, illud non humanae rationis acumine (ea enim in iis etiam, quae oculis subiecta sunt, saepe numero fallitur contigisse), non angelicae mentis vi, quae etsi acuta sit ac perspicax, obtusior certe est, quam ut suo Marte illa, quae in humano corde latent, cernere valeat, verum (divino spiritu illustrante) incitatos fuisse et ea cognovisse putemus, quae tanquam divini vates pronuntiant. Ac propterea, quum prophetiae munus in ecclesiae statu foeliciore extaret, ingrediebatur quandoque vel *infidelis vel idiota* in ecclesiam, qui *convincebatur ab omnibus*, *diiudicabatur ab omnibus*, cuius et *occulta cordis* patefiebant[35]. Quibus auditis *cadebat* ille *in faciem*[36], adorabat Deum fatebaturque, quod Deus vere in ecclesia esset. At vero daemones alia quadam ratione vel per idola (ex quibus oracula olim fundebant) vel per suos illos, quos *energumenos* Graeci vocant, homines scilicet, quos detinent, vexant, violant, perturbant, de nostris cogitationibus vera quandoque effari potuere, coniectura scilicet ab externis quibusdam mutationibus, quae magnae in corpore ab internis cogitationibus fieri solent, accepta vel ex imagine, quam in interiore sensu nostro conspicere possunt, sine qua nulla unquam mentis agitatio, nullus extare potest animi motus, ut philosophi docuere. Verum etsi de his aliisque rebus occultis vera quandoque loquantur sive subtilioris sensus acumine sive experientia callidiore sive rerum, A 5r quae in vita contingunt, diuturniore | observatione, frequenter tamen divina providentia, quae rebus humanis nunquam deest, decipiuntur. Frequentius obscuris vera involventes decipere satagunt eos, qui sibi credunt, nunquam tamen adeo perfecte veritatem exprimunt, ut non aliquid ex propriis immisceant ac propterea mendacia et fraudes loquantur, qui toti ex mendaciis et fraudibus compositi sunt et ingenia habent ad fallendum[c] parata. Quo fit, ut non satis mirari queam hominum quorundam depravatos animos vel dementiam potius, qui ad agnoscendum, quid quisque intra se tacitus cogitet aut quid futurum sit cras, ad magicas confugiunt artes, quarum et inventores et doctores daemones fuisse constat. Unde enim homines, quibus artibus cogantur daemones, nisi ab ipsis daemonibus discere potuissent?

His artibus quicunque utuntur, infideles sunt; credunt enim in daemonibus numinis aliquid seu divinitatis inesse. Has artes quicunque colunt, idolorum sunt procul dubio cultores, quae non perficiuntur nisi signis quibusdam et muneribus atque precationibus, quae sacrificationum loco daemonibus sunt, qui usque adeo divinos honores affectant, ut eorum gratia hominibus se subiiciant et hominum iussis obtemperent. Ac propterea nullo clariore argumento sanctissimus pater Augustinus bonos angelos a malis separat[d] quam hoc, quod illi adorari se et coli vetant ac Dei conservos se esse hominibus affirmant[37]. Hi vero ad impie se ipsos (Deo vero ac vivo relicto) colendos et adorandos, quibuscunque possunt signis admirabilibus, homines A 5v invitant. Nullae de|nique sunt artes, quae magis hominum societati et coniunctioni adversentur (sicut magicae); ut enim rei publicae hostis censendus est, qui cum coniuratis adversus rem publicam nimis familiares habet congressus, ita universae rei publicae humanae hostis iudicandus est, qui cum daemonibus (perpetuis illis humani generis osoribus) foedera et pactiones sancire non veretur. Ac proinde *Romanorum antiquissimis legibus Cicero commemorat esse conscriptum*

[a] *Mansi Le Pl.* effugient [b] *ibid.* utens [c] *ibid.* faciendum [d] *Ed. pr. Lov.* separant

[26] Prov. 20, 8.
[27] Matth. 23, 25.
[28] Matth. 23, 27.
[29] Matth. 23, 24.
[30] Matth. 23, 15.
[31] Matth. 7, 15.
[32] Matth. 7, 16.
[33] In pugna apud *Mühlberg* die 24. Apr. 1547 facta; cf. *K. Brandi*, Kaiser Karl V, München 41947, 487ss.
[34] Luc. 16, 26.
[35] 1 Cor. 14, 24s.
[36] Luc. 17, 16.
[37] De civitate Dei X, c. 25: „Angeli..., qui nos ad eius societatem invitaverunt..., quibus non placet, ut eos colamus tamquam nostros deos, sed cum eis et illorum et nostrum Deum" (CChr. XLVII 300,72–75).

Digitized by Google

[et] ei, qui hoc fecerit, supplicium esse constitutum[38]. Et mulier illa furens *invitam* se ait ad *magicas artes accingi*[39]. Quod tanquam ex Romanorum institutis dictum accipiendum est, qui, quum[a] multa acceperint sacra, magicas artes semper damnarunt[40].

Sed quid externa affero testimonia? Dei viventis verba sunt haec: *Dixistis: Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, quum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram et mendacio protecti sumus. Idcirco haec dicit Dominus: Delebitur foedus vestrum cum morte et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans quum transierit, eritis ei in conculcationem*[41]. Concluditur ergo gravi admodum et longe magis necessaria argumentatione, quam ullae sint mathematicorum rationes, Domini nostri Iesu Christi divinitas ex eo, quod penitus[b] abditas in humanis cordibus cogitationes introspiciebat et totum hominem, qualiscunque esset, intus scilicet et foris, non opinione dubia, non alio docente atque indicante, sed notitia clarissima tanquam in praesentia atque ante suae men|tis oculos propo- A 6r
situm intuebatur. Ac proinde, ut Ioannes evangelista dixit: *Non erat opus, ut quis ei testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine*[42]. Haec certa est et propria divinitatis nota, haec supernae illius notae proprietas atque vis.

Verum enimvero tum praecipue hoc argumento suam patefaciebat divinitatem, quum pharisaei et scribae, hominum genus, *quod sibi mundum videbatur et tamen non erat lotum a sordibus*[43], vanissimis suis cogitationibus vel eum impie sibi divinitatem usurpare taciti putabant, vel tanquam maleficum quendam et iniustum hominem intra semetipsos execrabantur. Hinc apud Mattheum, quum in eorum animis, qui *paralyticum* sibi *offerebant*, magnam *fidem* contemplaretur, *dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*[44]. Quum deinde scribarum videret cogitationes *dicentium intra se: Hic blasphemat*[45]. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus*[46]? *Ut quid*, inquit, *cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam*[47]. Dum paralytico sanitatem restituit, in ipso hominis filio potestatem dimittendi peccata agnosco et suspicio. Dum vero occultas profert cordium cogitationes, supremam in eo divinitatem video et omni cultu veneror, colo, adoro. Apud Lucam vero (cuius evangelii pars | lectio fuit hodierna[48]) iure mihi A 6v
videntur *turbae admirari*, quod daemon solo verbo eiiciatur quodque *loquatur mutus*[49], surdus audiat, videat caecus. Sed illud longe est admirabilius, quod scribarum et pharisaeorum impuram viderit ac nefariam illam cogitationem, etiam priusquam proferretur: *In Beelzebub, principe daemoniorum, eiicit daemonia*[50]. O scelestam, sacrilegam, capitalem vocem! O impios et omni facinore contaminatos homines! *Quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?*[51]

Vos, vos scelerosi et furiis agitati, daemonia non eiicitis, sed in vestris et eorum (qui vos audiunt) pectoribus alitis. Cum daemonibus tanquam cum crudelissimis humani generis hostibus non pugnatis, sed familiariter et amice vivitis. Daemonum mendacia et fraudes non horretis neque formidatis, sed ad eos tanquam ad aras in vestris necessitatibus confugitis, qui *tenebris obscuratum habetis intellectum* ac *alienati* estis *a vita Dei propter ignorantiam et caecitatem cordis* vestri[52]. Quid plura? *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere, qui homicida*[c] *erat ab initio et in veritate non stetit*[53]. — Sed iam tempus est, ut paucis absolvamus Domini nostri Iesu Christi sermonem, quo improbam hanc retundit cogitationem.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur et domus supra domum cadet. Si autem et sa|thanas in A 7r
seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius?, quia dicitis in Beelzebub eiicere me daemonia[54]. Videte, obsecro, an *sermo* hic *vivus sit et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti*[d] *et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum*

[a] *Mansi Le Pl.* quam [b] *Ed. pr.* poenitus [c] *ibid.* homicidia [d] *ibid.* accipiti

[38] Ibid. VIII, c. 19 (l. c. 236, 15–17). Cf. *Cicero*, De legibus II, c. 7, 18 (rec. *Mueller* 411, 23ss.); ibid. c. 8, 21: „Quaeque augur iniusta nefasta, vitiosa dira defixerit, inrita infectaque sunto; quique non paruerit, capital esto" (l. c. 413, 2–5); ibid. c. 9, 21: „Prodigia, portenta ad Etruscos haruspices ... deferunto ... Nocturna mulierum sacrificia ne sunto" (l. c. 413, 8s. 13).

[39] *Vergilius*, Aeneis IV 492s.: „Testor, cara, deos et te, germana, tuumque dulce caput, magicas invitam accingier artis". Cf. *Augustinus*, De civitate Dei VIII, c. 19 (l. c. 236, 9s.).

[40] Vide supra adn. 38.

[41] Isai. 28, 15–16. 18.

[42] Io. 2, 25.

[43] Prov. 30, 12.

[44] Matth. 9, 2.

[45] Matth. 9, 3.

[46] Marc. 2, 7.

[47] Matth. 9, 4–6.

[48] Vide supra adn. 5.

[49] Luc. 11, 14.

[50] Luc. 11, 15.

[51] 2 Cor. 6, 14–16.

[52] Eph. 4, 18.

[53] Io. 8, 44.

[54] Luc. 11, 17s.

Digitized by Google

cordis[55]. Esto, concedatur quadam ex parte verum esse, quod cogitatis, ut scilicet daemon eiiciat daemonem, cur hoc signo, quod futurum est consequens, non praesentitis, ruinam videlicet et interitum regni daemonis? Nullum enim certius eius rei extare potest indicium, nullum argumentum clarius quam discordia, quemadmodum concordia arctissimum atque optimum omnium est incolumitatis vinculum. Cur non videtis cadente daemonis regno vestrum quoque casurum esse imperium, qui daemonis artibus edocti more gentium imperatis? *Dicitis enim et non facitis. Alligatis onera gravia et importabilia et imponitis ea in humeros hominum. Digito autem* vestro *non vultis ea movere*[56]. Altera vero vestrae cogitationis pars, quod in Beelzebub daemonia ego eiiciam, falsa est, a vobis conficta et ementita. Nam *si ego in nomine Beelzebub eiicio daemonia*, quomodo possent *filii vestri* in nomine meo *daemonia eiicere*[57], quod et ipsi iam confessi sunt dicentes: *Domine, etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo*[58]. *Ideo ipsi iudices vestri erunt*[57], non solum *sedentes super sedes duodecim* ac *iudicantes duodecim tribus Israel*[59], verum etiam comparatione facta |
A 7v inter maliciosam hanc vestram calumniam et verissimam illorum confessionem.

Porro, si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei[60]. Si divina potestate daemonibus impero, non modo regnum daemonis ad exitium tendit et occasum, sed regnum Dei, quod omnem adimit daemoni potestatem, ad vos usque pervenit. Non est hoc regnum, Patres sanctissimi, ficta illa et commentitia Iudaeorum atque haereticorum quorundam nostrae etiam aetatis fabula, qui dicunt *per mille annos* ante diem novissimum pios *esse regnaturos*[61], qui armis impios omnes profligabunt et totius orbis terrarum regna atque imperia summa cum tranquillitate possidebunt, sed illud, de quo Daniel dixit: *Deus vivens et aeternus in saecula et regnum eius non dissipabitur et potestas eius usque in aeternum*[62]. *Non est* hoc *regnum esca et potus*[63], hoc est, ut ex haereticorum quorundam falso dogmate consequitur, immoderata licentia et impunita omnium rerum libertas, qua suis quisque moribus (contemptis omnibus divinis atque humanis legibus) barbare et inquinate vivere possit. *Sed est iustitia*[63], illa (inquam) Dei benignitas et gratia, qua iustificari homines et filios Dei fieri (decreto vestro[64] sanctissimo tanquam lumine quodam in magnis tenebris accenso) declarastis.

Est *pax*[63], non illa quidem, qua a bellis et hostium incursionibus quiescimus, qua fruuntur etiam homines impi, belluae atque agrii[a], sed illa, quam nos poenitentia adipisci consultissime
A 8r docuistis. Haec illa est *pax*, *quae exuperat omnem sensum*[65], quae furentes in nobis | ac violentos cupiditatis impetus retardat primum, reprimit deinde, denique ita domat, ut (victi atque subacti) insultare in nos amplius non audeant[66]. Haec illa est pax, quae opus est, et cultus iustitiae atque inchoatio quaedam beatae illius et sempiternae securitatis, in qua *sedebit populus* Domini *in pulchritudine pacis, tabernaculis fiduciae et requie opulenta*[67]. *Est gaudium*[63], non illud, quod ex vitae huius prosperis rebus oritur, de quo dicitur: *Gaudium hypocritae ad instar puncti*[68], sed illud, quod ab ineffabili eucharistiae sacramento *(unitatis* quippe nostrae *signo*, *concordiae symbolo* et *charitatis vinculo*[69]*)* effici in cordibus nostris mature consuluistis et opportune sanxistis. Hoc illud est *gaudium*, quod *fructibus spiritus* annumeratur[70]. Ac propterea dicitur *gaudium in spiritu sancto*[63]. In his tribus, *iustitia* scilicet, *pace et gaudio*, *regnum Dei*[63] praecipue positum est, in quibus, qui divinis mandatis obtemperando *servit Christo*, *placet Deo et probatus est hominibus*[71].

Sed adversus sacrosanctum hoc et salutare Dei regnum daemon *fortis*, *armatus* nimis diu *custodivit atrium suum* et *in pace* tenuit omnia, *quae* iniuste et tyrannice *possidet*[72], semper formidans, ne *fortior* aliquis *superveniret*[73], multisque dolis et insidiis eius adventum impediens[b]. Tandem volente Deo *supervenit fortior* illo, sancta scilicet vestra synodus in spiritu sancto legitime congregata, cum qua qui non est, adversus Christum est, *et qui non colligit*, *dispergit*[74]. Vestrae
A 8v igitur partes sunt (dum in concilio estis) *universa arma eius auferre*, hoc est haereses | omnes demoliri et mores mala disciplina destructos corrigere, *et spolia distribuere*[73], animos scilicet falsae doctrinae dulcedine variaque morum corruptela depravatos piis doctoribus ac magistris doctrinae et vitae exemplo erudiendos tradere.

[a] *ibid.* agri [b] *Lov. aliaeque edd. sequ.* impediret

[55] Hebr. 4, 12.
[56] Matth. 23, 3–4.
[57] Matth. 12, 27; Luc. 11, 19.
[58] Luc. 10, 17.
[59] Matth. 19, 28; Luc. 22, 30.
[60] Matth. 12, 28; Luc. 11, 20.
[61] Cf. Apoc. 20, 4. De chiliasmo cf. *Semisch* in: Realencykl. f. prot. Theol. III[3] 810ss. *Michl-Englhardt* in: LThK II[2] 1058ss.
[62] Dan. 2, 44; 6, 26.
[63] Rom. 14, 17.
[64] Sess. VI, decr. de iustificatione, c. 5 et 9 (Conc. Trid. V 792, 40ss.; 794, 30ss.
[65] Phil. 4, 7.
[66] Cf. Gal. 5, 17ss.
[67] Isai. 32, 18.
[68] Iob 20, 5.
[69] Cf. Osee 11, 4. Sess. XIII (11. Oct. 1551), decr. de eucharistiae sacramento, c. 8 (Conc. Trid. VII, I 203, 13)
[70] Gal. 5, 22.
[71] Rom. 14, 18.
[72] Luc. 11, 21.
[73] Luc. 11, 22 [74] Luc. 11, 23.

Digitized by Google

Vestrae partes erunt, quum peractis omnibus in vestris sedibus consederitis, vigilare, ne populis vestrae fidei commissis id contingat, quod Iudaeorum genti eventurum praedixit Dominus: *Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quaerens requiem, et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et quum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus*[75]. Videte, ne per vos eiectus spiritus immundus dormientibus postea vobis et nimium securis cum omnibus spiritualibus nequitiis (septenario numero designatis) revertatur et deteriora seminet, quam ea sint, quae nunc extirpatis. Vestrae partes erunt omnem adhibere operam, ut, quod quotidie precamur, quotidie fiat, *adveniat* scilicet et perficiatur *regnum Dei*[76], ut quandoque videamus Iesum Christum *omni evacuato principatu, potestate et virtute, inimica* quoque *destructa morte tradentem regnum Deo et patri*[77], cui sit *benedictio et honor et gloria et potestas in secula seculorum*[78].

Dixi.

8.

Cornelius Mussus, episcopus Bituntinus De imitatione Christi Domini Nostri

Oratio habita Tridenti in ecclesia Germanorum S. Petri praesentibus patribus concilii et multis Protestantibus[1]

Feria quinta post dominicam III in quadragesima [24. Martii] 1552

All'Illmo mio signore il cardinal di Trento[2].

Da quell'antico desiderio, Principe sacro, di cui come per mille argumenti sapete, ardo Venetiis 1552 1v
et avampo, della salute di quella nobilissima nostra et potentissima nation Germanica, la quale *sedotta come colomba*[3] in questo diluvio d'errori et d'heresie, che homai affoga il mondo tutto, non truova, ove sicura possa posare il piede, se non ritorna all'arca[4], onde con tanto suo danno s'è dipartita, mi nacque la quaresima passata questa mia predica in Trento nella chiesa de'Tedeschi[5], dalla grandezza di V. Illma Signoria desiderata prima con tanto ardore, lodata poi con tante hiperbole, dimandata all'ultimo con tante preghiere. A tanta cortesia sua, la quale et per natura gentile et per virtù rara non sa negar gratia, che se le chieda,

[75] Luc. 11, 24–26.
[76] Matth. 6, 10.
[77] 1 Cor. 15, 24. 26.
[78] Apoc. 5, 13; 7, 12.

[1] De hac oratione Firmanus in diariis caeremonialibus mentionem fecit (Conc. Trid. II 496, 28s.), non vero Massarellus in Actis. Typis exscripta est separatim Venetiis *al segno del pozzo* 1552 sub hoc titulo: „Predica de Reverendo Monsignor Cornelio, vescovo di Bitonto, fatta in Trento nella chiesa de' Tedeschi presente tutto'l sacro concilio et molti de' Protestanti. Il dì XXIIII di Marzo, che era il mezzo di Quaresima et la vigilia dell' Annuntiata, l'anno del Signore 1552, sopra l'evangelio et l'epistola della feria: *Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis* [Luc. 4, 38–44]. *Bonas facite vias vestras et studia vestra* [Ier. 7, 3 et 26, 13]". In fine f. 34^r^ legitur: „In Venetia per Giovan. Griffio. MDLII" (exstat Romae in bibliotheca Vallicelliana), quam editionem principem secuti sumus. Haec editio Venetiis postero anno denuo emissa est. Eadem oratio (epistula dedicatoria omissa) invenitur in collectione: *Prediche del Reverendissimo Monsignor Cornelio Musso, vescovo di Bitonto, fatte in diversi tempi et in diversi luoghi*, Venetiis *(appresso Gabriel Giolito de' Ferrari)* 1554, n. X, p. 525–591 (= ed. 2), praeterea in collectione ab eodem edita ibid. a. 1577, vol. I, n. 10, p. 329ss.; cf. *G. Calenzio*, Documenti inediti l. c. 530. Inter *Mussi* Conciones evangeliorum de dominicis aliquot... ac quadragesimalibus feriis nonnullis... latinitate donatas opera et studio *Michaelis ab Isselt*, Coloniae 1594, tom. I, p. 371–421 legitur versio latina huius orationis. De auctore cf. *H. Jedin*, Der Franziskaner Corn. Musso, Bischof v. Bitonto, in: Röm. QuSchr. XLI (1933) 207–275, praesertim 224. *Idem*, LThK VII² 706. *P. G. Cantini* in: Miscellanea Francescana XLI (1941) 155. *G. Odoardi* ibid. XLVIII (1948) 223–342; 450–478; XLIX (1949) 46–71. Huic orationi Iulius Pflug, episcopus Naumburgensis, affuisse videtur, quem Mussus die 23. Martii invitaverat, *J. V. Pollet*, Johann Gropper und Julius Pflug, in: Paderbornensis ecclesia. Festschrift für L. Kard. Jaeger, Paderborn 1972, 238 cum adn. 57. Cornelium Mussum nutu precibusque Christophori Madrucii cardinalis Tridentini, cui permagni interfuerit, ut Protestantes oratione a Pelargo die 7. Februari habita vehementius perturbati (vide supra p. 48, adn. 229) placarentur, adductum istam contionem amplissimam, Germanos summis laudibus exornantem composuisse ex epistola dedicatoria apparet.

[2] Christophorus card. Madrucius, de quo cf. *H. Jedin*, Gesch. des Konzils v. Trient I 450ss.

[3] Osee 7, 11.

[4] Gen. 8, 9.

[5] Cf. Conc. Trid. I LXX, 20s.; 170, 3. 35; 361, 9.

Digitized by Google

io che quanto più posso l'amo et honoro, percioché non sdegnaste mai la picciolezza mia voi sempre grande, sarei stato certo troppo scortese, se io l'havessi negata, benché non dubito punto, che assai più gratia riceve liberalmente donata a un tanto principe, che avaramente ritenuta da un picciol frate. Ecco adunque, che a pena giunto in Padua[6] io la mando molto volontieri, poiché la magnanimità sua non men cortese nel ricever poco, che liberale nel dar assai, s'è degnata stimarla a noi più forse di ciò che vale. Ben la priego
2r con tutto l'affetto | dell'animo mio, se fin hora non ha cessato mai in opere et in parole potente di negotiare con Giulio III et con Carlo V, padri della nostra cadente republica, et prima con quell'alta prudenza di papa Paolo, alla cui santa memoria s'inchinaranno sempre tutti i buoni, per la salute della Germania che a questi tempi, ne'quali è in maggior pericolo che fusse mai lo stato del Christianesmo, come già in valore et coraggio ha vinto di lungo gli altri, così hora vinca et avanzi se stessa in procacciare con ogni modo et con ogni via la commune pace et la desiderata concordia nella religione et nell'imperio de'Germani, da'quali due vincoli pende non pur la gloria e'l colmo del vostro Cesare, che voi servite con tanta fede et che si altamente sente di voi, ma quanto si può sperar di bene in tutta quell'inclita nation tedescha, per cui come ben grato figlio di si honorata madre fate ogni hora tante fatiche, scorrete tanti paesi, navigate tanti mari, patite tanti pericoli, spendete tanti danari, premete tanti pensieri et mandate fuora tanti sospiri. Io per me mi terrò beato, Signore, se vedrò prima ch'io mora composte tante discordie, et per dir il vero, contra ogni speranza di ragion humana, in la sola speranza della bontà divina mi confido anchora, che dopo un chaos si horrendo si debba presto sentire in la Germania a beneficio publico della christiana religione, di cui fu sempre *muro et antimurale*[7], un bello et lieto choro, pieno de dolce et soave armonia d'una fede et d'una obedienza. |

2v Con questo buono augurio vi lascio et non mancate d'animo, come non manca Cesare, maggior di tutti i Cesari. Vi bacio la mano et mi raccomando nella vostra gratia. — Di Padova il dì 15. di maggio 1552.

D.V.R^ma^ et Illma Signoria il picciolo servitore

frate Cornelio, vescovo di Bitonto. |

3r

Proemio

Se l'infelici anime nostre, non men che i corpi dalle moleste febri, son da i peccati afflitte et oppresse, onde perciò l'humana natura doppo l'antiquo lapso si gravemente caduta, il cui stato era immondo nascendo, nella vita perverso et nella morte pericoloso, hebbe tanto bisogno dell'aiuto di Christo, che purgasse il nascimento nostro incarnandosi, santificasse la vita conversando et destruggesse la morte morendo, è ben ragion, religiosissima città di Trento, che tutti noi superata homai ogni difficultà, che ha ritardato il principio della conversion nostra, in questo mezzo della quadragesima santa con la spontanea obedienza non solo da lui come da maestro, ma per lui come per essempio et idea impariamo la regola e'l modo del far bene et di fuggir'ogni peccato. Né per altro veramente egli, che per eccitar i pegri et riscaldar i tepidi con nuovo miracolo in questo giorno signalatissimo nell'evangelio sana la suocera di Simone inferma[8], et nell'epistola sulle porte, onde passan le genti, perché niun scusar si possa di non saper la strada di giunger'al porto di vita eterna, ci fa predicar per il propheta: *Bonas facite vias vestras et studia vestra*[9], parole che toccano a gli incipienti, a proficienti et a perfetti. Ma alla grandezza di quest'argomento son troppo picciole le nostre forze: Tu, Vergine beata, che doman sarai madre d'Iddio, che però hoggi et sempre puoi seco ogni cosa, priega lui,
3v che mi dia spirito et gratia. Aiu|tatemi anchora voi con le preghiere vostre, salutandola con l'angelo Gabriello: *Ave Maria etc.*[10]

Prima parte

Si come il marinaro, che lungo tempo ha differito il suo viaggio di giorno in giorno, hora rincrescendogli lasciar la cara moglie, i teneri figli, la dolce patria, hora aspettando il vento prospero et la bonaccia ferma per assicurarsi da' pericoli grandi dell'infido mare, quando finalmente ha sciolta la nave dal lito et dato de'remi in acqua, come prudente entrando nell'alto pelago si scorda di ciascuno altro pensiero, et a'maritimi travagli del tutto intento, in questo solo occupa

[6] Quo Mussus iam ante concilii suspensionem se contulisse videtur; cf. *Jedin*, Der Franziskaner Corn. Musso 225. Post diem 19. Mart. 1552 de eo in Actis concilii non iam mentio fit.

[7] Isai. 26, 1; Thren. 2, 8.

[8] Luc. 4, 38s.

[9] Ier. 7, 3; 26, 13.

[10] Luc. 1, 28.

Digitized by Google

la mente, il corpo, i sensi, le forze, come possa con la nave salda superate le fortune et le tempeste giunger felicemente al porto desiderato, ove conduce le sue mercantie per arricchirsi.

Così et non altrimenti il Christiano, Ascoltatori miei cari, che in questa perigliosa vita più travagliata di mille mari, naviga con la picciola navicella di questo corpo, se ben sotto varii pretesti come ritenuto da questa remora o pure stella retrograda della nostra carne, va procrastinando il viaggio tante volte deliberato della santa conversione et della penitenza salutare hora dicendo ambitioso: *Villam emi*[11], hora lussurioso: *Uxorem duxi*[12], hora avaro: *Emi iuga boum*[13], pur all'ultimo soffiando l'austro soave dello spirito santo, quando con animo generoso degno di figliuol d'Iddio et di fratel | di Christo, si spicca dal lito della mondana conversa- 4r
tione, et con la mente entra nell'alto della perfettion christiana, tutte le vele de'suoi pensieri tende a quell'albero vittorioso, che non teme i pericoli del mare, della croce santa di Christo, et con le funi delle virtù, co'remi della sapienza, co'l temon della disciplina, navigando di longo, non si guardando giamai in dietro, posposto ogni pensier terreno, alzando gli occhi sempre al cielo et alle stelle, a Dio, a santi et alle sante, si sforza a tutto suo potere avantaggiando sempre se stesso assicurar la navigation sua, perché vincendo l'onde spumose delle voluttà carnali, calcando i flutti et le procelle, che dentro di noi eccitano i vitii innati, passando i scogli delle mondane difficultà con la carta della divina legge, resistendo a i nembi fortunevoli delle tentation diaboliche et dell'averse fortune, vuotando[a] spesso la sentina della conscienza nella confession de'peccati, mirando con ogni attention'al bossolo, al corso rapido di questa misera vita, che se ne fugge si repente, si conduca libero d'ogni naufragio al porto felice dell'eterna vita, carico di quelle sante merci delle buone opere, che per buona nostra aventura in cielo si pagano a mille doppi di ciò che vagliano in terra. O gran forza della gratia d'Iddio per Christo ne gli animi nostri. Non vedete, Signori, il segno? Che gran principio è questo? Che pegno? Che caparra nella nostra cara città di Trento in questa metà della quadragesima? Onde nasce questa tanta frequentia, questo disiderio si grande d'udir' il verbo d'Iddio, se non che già son mossi, anzi commossi, già son partiti dal lito, già han serra|to gli orecchi a i canti[b] delle Sirene, 4v
già sono entrati in mare, già sono rammaricati de'lor peccati, già han cominciato a gustar i doni d'Iddio, già con gli occhi bassi pieni di santa vergogna come attriti et dolenti tornano a prender il giogo soave della paterna obedienza, che a guisa del prodigo et dissoluto figliuolo[14], in questi giorni di carnasciale[c] s'havean gittato di sotto a'piedi? O felici et mille volte felici Trentini miei, vi lodo, vi benedico, vi ringratio, mi congratulo con tutti voi, che voltate le spalle al mondo vi siate disposti con animo deliberato di seguitar homai il nostro dolce Giesù, et come sete di nome, così vogliate con l'opere diventar città conciliare, conciliarvi con Dio, diventar tutti santi, et con l'essempio vostro accender l'Italia et la Germania e'l mondo tutto a lasciar'ogni altro pensiero et negotiar solo per guadagnar l'amore et la gratia di Giesù Christo.

Il mercatante evangelico, quando hebbe trovato quella perla grossa, che andava cercando, per ogni picciol prezzo che puote, spacciò tutte l'altre mercantie, che poco inanzi tenia si care, et non si vide mai contento, finché comperandola non la fece sua[15]. Ecco, ecco la perla, Christo Giesù benedetto, vedeste mai la più bella, la più pretiosa? Il cielo è il padre delle perle, che si generano a lume della luna, l'humor della ruggiada è la materia sua seminale, nascono poi in quelle conche marine serrate come in matrice. O veramente unica perla, che è il nostro Christo *inauris aurea et margaritum refulgens*, dice la scrittura[16], non ha padre in terra, l'ha solo in cielo. Iddio è'l suo padre, Maria è la sua madre, di cui con la ruggiada | celeste che nel giorno 5r
di domani tant'anni sono stillò in quel sacro ventre come nel candido vello di Gedeone[17], con la *conca* chiusa, co'l chiostro serrato dell'inviolata virginità fu concetto et incarnato. A questa perla, a questa perla, negotiatori, *inventa una pretiosa margarita abiit et dedit omnia, quae habebat, et emit eam*[18]. Deh quando sarà quel giorno ch'io vegga ogni huomo gittar ogni cosa via come fango vile per guadagnar questo Christo solo? Tutti i Christiani son negotiatori, et non per altro ci lascia Iddio qua giù spirare la vita se non per negotiare. Non vi soccorre alla memoria quella parola evangelica: *Negotiamini, dum venio*[19]? Et perché distribuisce tra gli huomini tanti talenti, a colui ne da dieci, a un'altro cinque, a te due et a me uno[20], se non perché ogn'un negotii et traffichi? Su è tempo, è tempo, che lasciando ogni altro negotio attendiamo solo a

[a] *ed. 2* votando [b] *ibid.* incanti [c] *ibid.* carnevale

[11] Luc. 14, 18.
[12] Luc. 14, 20.
[13] Luc. 14, 19.
[14] Luc. 15, 13ss.
[15] Matth. 13, 45s.
[16] Prov. 25, 12.
[17] Iudic. 6, 37ss.
[18] Matth. 13, 46.
[19] Luc. 19, 13.
[20] Matth. 25, 15ss.

Digitized by Google

questo Christo. Vendete ciò che havete, le vostre gioie, i vostri honori, i vostri piaceri, i vostri stati, i vostri argenti, le vostre vesti et voi stessi per comprar Christo. Vendete all'istesso Christo, Christo è il mercatante, Christo è la perla, Christo compera, Christo vende. Ma non fà come gli altri mercatanti, che comprano a buon mercato et vendono caro. Compera le cose tue con infinito prezzo del sangue suo[21], et vende quasi per nulla l'eterna gloria del paradiso.

Non hai tu letto: *Pro nihilo salvos facies illos*[22]? O felice nostra negociatione, che spendiamo si poco et guadagnamo tanto. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor et, cum recesserit, gloriabitur*[23],
[13] Eadem hactenus e *Ps.-Chrysostomi* opere imperfecto l. c. sumpta leguntur in *Thomae Aquin.* Catena aurea in Matth. c. 21, 10ss.
[14] *Ps.-Chrysostomus*, Opus imperfectum in Matth. hom. 38 (*Migne* l. c. 839).
[15] Potius Statuta ecclesiae antiqua (ca. a. 475, olim sub tit.: *conc. Carthag. IV*), c. 7, XVII (CChr. CXLVIII 167, 16s.).
[16] Ibid. c. 3, XX (l. c. 166, 6–8).
[17] *Ps.-Chrysostomus*, Opus imperfectum hom. 38 (l. c. 839); partim a *Thoma Aquin.* in Catena aurea l. c. repetita sunt.
[18] Matth. 21, 12; cf. Marc. 11, 15; Luc. 19, 45.
[19] *Andr. Osiander*, Harmonia evangelica I, c. 21: „Quum [Iesus] fecisset flagellum e funiculis, omnes eiecit e templo“ (Basileae 1537, 15r); cf. ibid. Annotationes in l. I, c. 21: „Cum Matthaeus atque Lucas eiectionem huic quam similimam paucis diebus ante pascha, quod fuit a baptismate Christi quartum et eidem in terris ultimum, Marcus autem postridie eius diei aliam, utrique horum non minus similem, factam esse describant, in quaestionem venit, an de eadem eiectione, quae unica tantum facta sit, omnes intelligi debeant, ita ut, quod ad tempora eiectionis attinet, aliqui ex eis erraverint, an vero non semel tantum,

Digitized by Google

[15]. Repetendae sunt populo increpationes et flagella, donec emendetur[a]. Hinc considerandum, quod Christus pauper et, *ut putabatur, filius fabri*[20], facto flagello, *eiecit tantam multitudinem* e templo, quae convenerat in pascha iuxta praeceptum legis Deut. 16 [6] et *nullus ausus est contradicere*[21]. Chrisosthomus[22] et quidam alii patres putant[b] *in oculis et in vultu Christi esse quidquam divinum*, quo vel afficeret vel terreret. Sic Matheus dimisso teloneo ad primam vocem *dimissis omnibus secutus est eum*[23]. Et filii Cebedaei *relictis retibus et patre secuti sunt* Christum[24]. |

2. Chrisosthomus in Marcum homilia 13 considerat: „Si hoc in lege, quid facturus in 6v evangelio? Si hoc in Iudaeis, quanto magis in nobis. Et qui vendit et qui emit, similiter eiicitur. Nemo dicat: Ego quod meum est offero. Legimus Math. 10 [8]: *Gratis accepistis, gratis date*"[25]. Expendamus, quid in nostris templis placere Deo potuerit, ubi omnia serviunt avaritiae, libidini iniquorum? Primo sanctum Dei verbum, religionis nostrae sacramenta, leges et canones patrum, nihil tam sanctum et divinum, quod non cupiditatibus ministrorum fuerit praestitutum. Sunt in ecclesia Christi nunc officinae, in quibus nullae aliae merces venduntur nisi haec sancta.

Subiecit Christus: Fecistis *domum patris mei domum negotiationis*[26]. Chrisosthomus ubi supra: „Utinam de preterito populo esset tantum dictum. Utinam de Iudaeis legeretur, non item de Christianis! Ploraremus quidem illos, sed de nobis gauderemus. Nunc vero in multis locis domus Dei fit domus negotiationis"[27]. „Avaritia sacerdotum altaria non sunt altaria, sed mensae nummulariorum. Mensae, ubi debebant esse panes propositionis et gratiarum Dei, ibi avaritiae victimae sunt"[28]. Hunc mercatum ex avaritia Iudaei instituerant, praetextum aliquem ex lege habentes. Deut. 14 [24–26] legimus mandatum, ut, qui longe a templo habitarent, sua dona domi venderent et alia Hierosolimis emerent. Iis parabant hanc commoditatem sacerdotes, ut universa venalia haberentur in templo[29]. Sed nos Christiani quid praetexere | possu- 7r mus, ut omnia venalia habeamus in ecclesia, ut nihil populus accipiat a sacerdote nisi numerata pecunia?

Chrisosthomus subiungit: „Videtis, quam intrepide loquor. Res tam manifesta est, ut expositione non indigeat. Utinam esset obscurum, et non intelligeremus in multis locis domum Dei domum negotiationis. Ego ipse, qui loquor, et unusquisque de vobis, sive praesbiter sive diaconus sive episcopus, qui heri pauper, hodie dives, et dives in domo Dei, nonne vobis videtur fecisse domum patris domum negotiationis? De istis loquitur et Paulus 1 ad Tim. 6 [5]: *Existimantes quaestum esse pietatem*. De istis ergo loquitur et apostolus. Christus pauper est; erubescamus! Christus humilis est; erubescamus! Christus non flagellavit, sed flagellatus est. Crucifixus est, ut regnaret. Vicit diabolum non ridens, sed plorans. Et nos igitur imitemur Dominum nostrum"[30]. Haec Chrisosthomus homilia 13 in Marcum.

Templum *domus patris* appellatur[31], s. Hieronymus[c] in Mathaeum[32], non quia patrem capiat, 3 Reg. 8[d] [27]: *Si coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi*, sed quia est locus deputatus, ubi conveniat populus auditurus legem, secundo gratias Deo pro beneficiis acturus, tertio necessaria a patre oraturus. Sicut est locus deputatus ad audiendas petitiones civium, [quem] vulgus vocat: *el audiencia*, así es la yglesia entre Christianos para hazer nuestros | negocios con Dios. Augustinus in Regula: „In oratorio nemo aliquid agat, 7v nisi ad quod factum est etc."[33] Quarto ad dispensanda sacramenta, quibus pascendus est populus christianus. Quinto propter eucharistiam, quae ibi servatur in usum populi.

[a] *corr. ex* emendentur [b] *loco del.* existimant [c] *cod.* ho, *Tellechea* Thomas [d] *cod.* 5

sed ter illos eiectos fuisse, idque diversis temporibus, quemadmodum scribunt evangelistae, credi oporteat" (ibid. cc 4v). Quam quaestionem sic solvit: „Itaque, cum Ioannes Christum proximo post nuptias in Cana Galilaeae paschate, hoc est a baptismate ipsius primo, ementes ac vendentes e templo eiecisse scribat et paulo post eum a Galilaeis exceptum, quod ea omnia, quae Hierosolymis in die festo fecerat, vidissent, satis manifestum esse arbitror hanc eiectionem diversam esse ab ea, quam Matthaeus et Lucas paschate ultimo ... factam esse memorant, sicut ab utraque diversa est, quam Marcus postridie eius diei, cum Christus a Bethania rediens ficui maledixisset, factam esse confirmat. Harum enim trium eiectionum unaquaeque suis propriis circumstantiis tam arcte tamque circunspecte est inclusa, ut, nisi aliquos evangelistas oblivionis et erroris accusare velimus, nullam cum alia confundere possimus" (ibid. cc 5v).

[20] Matth. 13, 55; Luc. 3, 23. Cf. *Hieronymus*, Tractatus in Marci evangelium XI 15s. (CChr. LXXVIII 492, 21s.), qui olim *Chrysostomo* adscriptus est.

[21] *Hieronymus* ibid. (l. c. 492, 24–29).

[22] Potius *Hieronymus* ibid. (l. c. 492, 30ss. 42s.).

[23] Matth. 9, 9; Marc. 2, 14; Luc. 5, 28.

[24] Matth. 4, 22; Marc. 1, 20.

[25] Potius *Hieronymus* ibid. (l. c. 492, 49–493, 56).

[26] Io. 2, 16.

[27] Potius *Hieronymus* ibid. (l. c. 494, 123–127).

[28] Ibid. (l. c. 493, 62–65).

[29] Cf. *Hieronymus*, Comment. in Matth. III, c. 21, 13 (CChr. LXXVII 186, 1305ss.).

[30] Potius *Hieronymus*, Tract. in Marci evang. XI (l. c. 494, 127–495, 141). [31] Io. 2, 16.

[32] Comment. in Matth. c. 21, 13 (l. c. 186, 1297ss.).

[33] *Augustinus*, Regula ad servos Dei c. 3 (*Migne*, PL XXXII 1379) = epist. 211, c. 7 (CSEL LVII 361, 7s.). Cf. *Migne*, PL Suppl. II 348s. Eadem a *Thoma Aqu.* allegata sunt in Catena aurea in Matth. c. 21, 12s.

Digitized by Google

Cathedras vendentium columbas subvertit[34]. ⌈Chrisosthomus homilia 38 imperfecti⌉[a]: „Ex quo spiritus sanctus descendit in ecclesiam, non[b] in sacrificio columbarum placitum est Deo, sed in spiritu sancto. Ps. 49 [9. 14]: *Non accipiam de domo tua vitulos nec de gregibus tuis hircos. Immola Deo sacrificium laudis etc.*"[35] Duo sunt consideranda in hoc opere Christi, primo: Facto flagello *eiecit ementes et vendentes*[36]; secundo: „*Cathedras vendentium columbas subvertit.* De istis cathedris psalmus loquitur: *In cathedra pestilentiae non sedit*[37]. Vera cathedra pestilentiae, quae vendit columbas, vendit gratiam spiritus sancti. Multae cathedrae sunt usque hodie, quae vendunt columbas. Sed Christus, qui *venit salvare, quod perierat*[38], subvertit non eos, qui vendebant — istos enim flagellavit —, sed cathedras vendentium. Autoritatem subvertit, salvabit autem homines". Haec Chrisosthomus[39] homilia 13 in Marcum. Haec homilia[c].

Nummularii sunt diacones, quibus dispensatio temporalium credita est[40]; *vendentes columbas*, praelati vendentes dona spiritualia, a quibus honor sacerdotalis est auferendus. Olim habebamus Antiochiae cathedram, in qua sedit Petrus, habebamus in Alexandria, in qua Marcus, |
8r habebamus Hierosolimis, habebamus et Constantinopoli patriarchalem cathedram. Flagello percussit Dominus sedentes et subvertit cathedras. Ammisimus[d] illas. Nihil retinemus nisi nomen. Timeamus, si perseveramus vendendo columbas in templo, subvertat Dominus et cathedras, quas habemus, ut[e] perdamus illas, quod certo futurum est, nisi brevi eiecerimus avaritiam, ambitionem et simoniam ab ecclesia Christi.

Zelus domus tuae comedit me[41]. Post resurrectionem intellexerunt hoc apostoli. Legitur Ps. 68 [10]: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Extraneus factus sum fratribus meis*[42]. Causam subiicit: *quoniam zelus domus tuae comedit me.* Exemplum zeli pro gloria Dei habemus in Christo, quem tu moderari oportet ab spiritu Dei. Sic enim succedit quidquid tentabis, quamquam insolens sit, quale erat praesens Domini facinus. Sine spiritu nihil recte feceris. Agi igitur nos oportet spiritu Dei, non nostra duci ratione. Desiderandus nunc aliquis zelator pro domo Dei ut Elias 3 Reg. 19 [10]: *Zelo zelatus sum pro Domino* et Phinees Num. 25 [7ss.], qui *zelo accensus pugione confodit Madianithidem.* Augustinus: „Zelo Dei comeditur, qui universa mala, quae videt, studet corrigere; et si non potest, tolerat et gemit"[43]. Ezech. 9[f] [4]: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium etc.* |

8v *Vos fecistis* domum Dei *speluncam latronum*[44]. „Qui lucra terrena et illicita, non etiam spiritualia, in animarum salutem sectatur, [templum Dei] speluncam latronum facit. *Quotidie ingreditur Ihesus in templum* suum, id est ecclesiam, *et eiicit omnes* vendentes gratiam Dei, *episcopos, presbiteros, diaconos* omnesque ecclesiasticos necnon *et laicos*, quia *unius criminis habentur pariter* Dei dona *vendentes et ementes. Quod* igitur *de ecclesiasticis diximus*, hoc *unusquisque de se intelligat. Dicit* Paulus 1 Cor. 3 [16]: *Vos estis templum Dei vivi et spiritus sanctus habitat in vobis. Non sit* igitur *in domo pectoris* tui *negociatio* illicita, non sit appetitus iactantiae, non avaritia nec ambitio, non libido nec reliquae pestes, *ne ingrediatur Ihesus iratus et rigidus et [non] aliter emundet templum suum nisi assumpto flagello*, id est correctione gravissima, et *de spelunca latronum, de domo negociationis, faciet domum* habitationis suae"[45]. Chrisosthomus, homilia 38 [operis] imperfecti.

In hoc Christi facinore tria annotantur genera peccatorum in ministris ecclesiae:

Primum: saecularibus implicari negotiis. Si turpe est in templo lapideo saecularia tractare negotia, turpius erit per[g] personam Deo consecratam ea tractari. Unde in sinodo VIII generali

[a] *in marg. add.* [b] *cod.* quod
[c] *in marg. haec sunt addita:* Por unos delictos castigan a solos los delinquentes; por otros con los delinquentes castigan a sus hijos y derruecan sus casas, v. gr. por herejías traydores al rey, privan a los hijos de officios y de honra y derruecan las casas. Sic punit Deus. Teníamos muchas yglesias en Grecia, Asia, aquí, en Africa, ut patet en los concilios Toletanos. Castigó Dios a los pastores y dio las yglesias a Turcos y Moros. Sirven para hazer obispos de anillo. Mayor mal es éste, que haberlas quitado Dios.
[d] *cod. sic* [e] *cod.* ea [f] *cod.* 8 [g] *supra lin. add.*

[34] Matth. 21, 12; Marc. 11, 15.
[35] *Ps.-Chrysostomus*, Opus imperf. in Matth., hom. 38 (*Migne*, PG LVI 841).
[36] Matth. 21, 12; Io. 2, 15.
[37] Ps. 1, 1.
[38] Matth. 18, 11; Luc. 19, 10.
[39] Potius *Hieronymus*, Tract. in Marci evang. XI (l. c. 493, 65s. 71–80). Similia protulit in Comment. in Matth. III, c. 21, 13 (CChr. LXXVII 188, 1342s.).
[40] Cf. *Origenes*, In Matthaeum (21, 12s.) tom. XVI 22: „diaconi autem, qui non bene tractant ecclesiasticarum pecuniarum mensas, sed ... ipsas ... non secundum iustitiam dispensant, ... ipsi sunt *nummularii*" (GrChrSchr. 40. Origenes X 552, 3–12), quae allegata sunt in *Thomae Aqu.* Catena aurea in Matthaeum l c.
[41] Ps. 68, 10.
[42] Ps. 68, 9.
[43] In Ioannis evang. tract. X, c. 9 (CChr. XXXVI 105, 4–7).
[44] Matth. 21, 13; Marc. 11, 17; Luc. 19, 46.
[45] *Ps.-Chrysostomus*, Opus imperf. in Matth., hom. 38 (l. c. 841), quae vero maxima ex parte (ut litteris obliquis indicatur) ad verbum leguntur etiam in *Hieronymi* Comment. in Matth. c. 21, 13 (l. c. 188, 1336–1356).

Digitized by Google

damnantur episcopi, qui in aulis principum versantur et principum negotiis implicantur[46]. Et in concilio Sardicensi puniuntur, qui adeunt principum curias nisi consultis vicinis episcopis et significata causa, propter quam veniant[47]. Quid fecissent, | si viderent eos perpetuo in ma- 9r
gistratibus et saecularibus officiis, relictis propriis ecclesiis?

Secundo. Eiecit Christus a templo simoniacos, frequens peccatum in ecclesia, quoniam propter temporalia administrat spiritualia contra legem: *Gratis accepistis*[48]. S. Thomas [II^{a} II^{ae}] q. 100, art. 1, dice, que esto es peccado, porque vender o comprar presupone dominio, y en la yglesia ningún perlado lo tiene en las cosas spirituales ni en las temporales, sino en la parte, que le está aplicada ya a cada uno para su sustentación; en lo demás, ninguna tiene, sino la administración. Et hoc dumtaxat habet papa prae caeteris, quod est *principalis dispensator*[49]. Haec Thomas in solutione ad 7um.

Tertio. Se peca por injusticia, quando llevamos más de lo que por derecho nos está señalado que tomemos para nuestra sustentación, y en esto es agraviado el pueblo christiano, que en muchos ministerios, que hazemos en la yglesia, le hazemos pagar dos y tres vezes una cosa, como quando un perlado haziendo ordenes haze pagar. Quando administrando los sacramentos de confessión y eucharistia y los otros sacramentos hazen pagar. Si ha de tener predicador, halo de pagar el pueblo. Todas estas cosas tiene pagadas, quando da los diezmos y házenselo pagar otra vez. Si no, digan los sacerdotes, que hazen en la yglesia[a], por qué llevan los diezmos.

Quam obligata sint bona clericorum ad alendos *pauperes*, | vide cardinalem Caietanum, de 9v
decimis qu. 87, art. 1[50] et lecturam nostram II^{a} II^{ae} qu. 32, art. 10 et q. 185, art. 7[51].

Hoc idem evangelium legitur feria III post primam dominicam quadragesimae ex Math. 21[52]. Chrisosthomus homilia 68 in Mathaeum[53] paucula quaedam adnotavit[54].

[a] *corr. e* las yglesias

[46] Conc. Constantinopolitanum IV = oecum. VIII, sess. X (28. Febr. 870), can. 14 (*Mansi* XVI 168 B–C. Conc. oec. decreta, Bologna^{3} 1973, 176, 26ss.).

[47] Conc. Sardicense (a. 343/44), can. 9 resp. 11/12 (*Mansi* III 13/14 A. *Bruns* I 97s. *Lauchert* 61, 30ss. *C. H. Turner*, Eccl. occid. monum. iuris ant. I, II, 3, Oxonii 1930, 507ss.).

[48] Matth. 10, 8.

[49] *Thomas Aqu.*, Summa th. II II^{ae} qu. 100, art. 1 ad 7.

[50] *Thomas de Vio Caietanus*, Comment. in *Thomae Aqu.* Summam th. II II^{ae} qu. 87 art. 1, n. 4 (Thomae Aqu. opera IX, Romae 1897, 228s.).

[51] Quae *Carranzae* lectura in Summam Thomae Aqu. non exstat. Cf. *J. Ign. Tellechea Idigoras*, El dominio y uso de los bienes ecclesiásticos según Bartolomé Carranza, in: Revista española de derecho canónico IX (1954), 754–778.

[52] Cf. Missale Rom., feria III post dominicam I in quadragesima, qua die legitur evang. Matth. 21, 10–17.

[53] In Matthaeum hom. 67, c. 1 (*Migne*, PG LVIII 632s.).

[54] De sacris die dominica passionis (3. Apr.) habitis in Actis Massarelli non fit mentio. — Neque die dominica palmarum (10. Apr.) neque die cenae Domini (14. Apr.) orationes habitae esse videntur; cf. Conc. Trid. VII, I 515, 15ss. 24s. — Die Veneris in parasceve (15. Apr.) *orationem ad patres habuit* Ioannes Iubinus OMin., *episcopus Constantinensis* (*Constantinae* in part. infidelium), suffraganeus episcopi Barchinonensis, ibid. 515, 28, quae oratio inveniri non potuit. — Neque in missa solemni die dominica paschatis (17. Apr.) celebrata neque diebus secunda et tertia paschatis orationes habitae esse videntur; cf. ibid. 516, 5ss. 9ss. – De sacris die dominica 24. Apr. habitis Acta Massarelli silent. — In sessione sexta (28. Apr. 1552) oratio habita non est; cf. ibid. 529, 3ss.

Digitized by Google

10.

Fr. Franciscus Salazar OMin., episcopus Salaminensis Ex oratione funebri habita in exequiis[1] Ill^{mi} et R^{mi} cardinalis Crescentii, legati S^{mi} D. N. Iulii III Pont. Max.

Veronae, die 28. Maii 1552

[Ultima pars]

Romae 1552 A 3^{v} Et hic iure mihi optarim Solonis institutum servare, qui insignium virorum laudes in funere praedicandas censuit[2]. Sic Publius Valerius Publicola Lucium Brutum, primum consulem, collegam defunctum[3], Fabius filium[4], Marcellus Marcellum patrem consulem[5], Tiberius patrem[6] in choro laudarunt. Pientissimus Iacob lugubre carmen Rachelis sepulchro inscripsit[7]. Hieremias nimia pietate regis Iosiae astrictus elegiacos lamentabilesque versus illi cecinit[8]. Hieronimus Nepotianum et Fabiolam[9], Ambrosius Theodosium[10] post mortem multis maximisque laudibus extulerunt.

Sed cum in latissimo campo nostri amplissimi cardinalis laudum suarum meum oberret deperdaturque ingenium, ipsum laudibus omnibus efferre vix possumus. Quare neque volumus nihil dicere neque equidem omnia colligere. Nihil autem de nobilissima et antiqua Crescentiorum Romana familia (unde sibi origo fuit) in praesentia dicturus sum, non quod illa laudem mereatur nullam, cum strenui et maximi in ea claruerint viri, sed quod nihil in eo laudandum suscepimus, nisi quod ei fuit sua virtute et animi magnitudine natum et adquisitum, et nec id quidem omne, sed et infantiam eius ac iuventutem praeterimus, in quibus modestissime in bonarum artium studiis animum diligentissime excoluit et utrique iuri operam navans, haud sine gloria insignia doctorea adeptus est[11]. Neque vero ad unguem narrabimus, quanto in honore habitus fuerit, nedum a foelicis recordationis Paulo papa tertio, pont. max., acerrimi iudicii viro, qui eum ad fastigium cardinalatus ascivit[12], verum etiam a S^{mo} D.N. Iulio III, qui, cum exploratum haberet nostri cardinalis laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, in agendo industriam, in conficiendo celeritatem, consilium in providendo, ad omnia gravia negocia subeunda et natura et virtute sua idoneum esse iudicavit ac sacri concilii legatum elegit[13]. Quanto vero ingenii acumine, quanta patientia tam in publicis quam in privatis congregationibus, in quibus semper interfuit, quanta animi magnanimitate, quantave dicendi acri-

[1] Haec oratio typis exscripta est sub titulo: „Oratio funebris habita Veronae per | R. Patrem Franciscum | Salazar | Episcopum Salaminensem Ordinis minorum | in exequiis Illustr. et Rever. | cardinalis | Crescentii, | Legati | S. D. N. Iulii III. Pont. Max. | XXVIII. Maii | MDLII. | Romae apud Antonium | Bladum, impressorem | cameralem" (Bibliotheca Vat., Inc. IV 594, int. 25). Cf. *I. Birkner*, Kardinal Marcellus Crescentius, in: Röm. QuSchr. XLIII (1935) 284, adn. 86. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 435. Card. Crescentius, qui die 26. Maii Tridentum reliquerat, die sequenti mane Veronam navi advectus, postero die (28. Maii) dysenteria, qua iam a die 25. Martii perpetuo laboraverat, *in coenobio Olivetanorum patrum, quorum erat protector apud pontificem*, confectus est; cf. Conc. Trid. II 498, 4ss.; 499, 1ss.; VII, I 536, 16–22. *A. Ciaconius*, Vitae et res gestae pontificum Romanorum et S. R. E. cardinalium ab *Aug. Oldoino* recognitae III, Romae 1677, 677/678, addita particula orationis funebris Salazari, quae ad vitam et laudes Crescentii spectat. Quorum exemplum secutus maiore orationis parte omissa, quae generatim de vitae humanae fragilitate et miseria agit, ultimam tantum partem hoc in loco inserui. Cf. *H. Jedin*, Geschichte des Konzils v. Trient III 534, adn. 16.

[2] *Plutarchus*, Vitae parallelae, Solon c. 21, 1: 'Επαινεῖται δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ ὁ κωλύων νόμος τοὺς τεθνηκότας κακῶς ἀγορεύειν (89 E).

[3] *Idem* ibid., Publicola c. 9, 10: 'Απεδέξαντο δὲ τοῦ Οὐαλερίου καὶ τὰς εἰς τὸν συνάρχοντα τιμάς ... καὶ λόγον ἐπ' αὐτῷ διεξῆλθεν ἐπιτάφιον (101 F). De consulatu Lucii Iunii Bruti, primi consulis (a. 509 a. Chr. n.), et Publii Valerii Publicolae (509–504) cf. *A. Degrassi*, Fasti Capitolini, Aug. Taurinorum 1954, p. 126. 140. 150. *H. G. Gundel*, Der kl. Pauly I (1964) 955s.

[4] *Plutarchus* ibid., Fabius Maximus c. 24, 6: Τοῦ δὲ Φαβίου τὸν υἱὸν ἀποθανεῖν συνέβη ... τὸ δ' ἐγκώμιον ... αὐτὸς εἶπε καταστὰς ἐν ἀγορᾷ (188 C). De Qu. Fabio Maximo Cunctatore et eius filio eiusdem nominis cf. *Degrassi* l. c. p. 122 et 161. *H. G. Gundel*, Der kl. Pauly II (1967) 492 n. 31; 494 n. 40.

[5] *T. Livius*, Ab urbe condita l. XXVII, c. 27, 13: „de Marcelli morte variant auctores ... Coelius triplicem gestae rei memoriam edit: unam traditam fama, alteram scriptam in laudatione filii, qui rei gestae interfuerit". De consulatu M. Claudii Marcelli (a. 222. 215. 214. 210. 208) cf. *Degrassi* p. 117 et 162. *H. G. Gundel*, Der kl. Pauly I 1207, n. 15. De eius filio eiusdem nominis, consule a. 196, cf. *Gundel* ibid. n. 16.

[6] *C. Suetonius*, De vita Caesarum l. III, Tiberius c. 6, 4: „Novem natus annos defunctum patrem pro rostris laudavit". [7] Gen. 35, 20.

[8] 2 Par. 35, 25; Ier. 36, 2ss.

[9] Epitaphium Nepotiani = epist. 60 ad Heliodorum (CSEL LIV 548ss.). Ad Oceanum de morte Fabiolae = epist. 77 (CSEL LV 37ss.).

[10] De obitu Theodosii (CSEL LXXIII 371ss.).

[11] Crescentius *per plures annos* Bononiae studuerat, Conc. Trid. VII, I 21, 20. Cf. *I. Birkner* l. c. 269. *H. Jedin* l. c. III 238s.

[12] In septima promotione 1542 Iun. 2 habita, *Eubel*, Hierarchia cath. III² 28. *I. Birkner* l. c. 271s.

[13] Die 4. Martii 1551, *Birkner* l. c. 280.

Digitized by Google

monia concilii sacri negotia tractaverit, norunt omnes, qui sacro concilio interfuerunt. Mirabantur R^mi praesidentes[14], amplissimus ille simulatque Ill^mus cardinalis ac princeps Tridentinus[15] (qui summo amore nostrum cardinalem prosequebatur) saepius non humanum, sed potius divinum habuisse ingenium predicabat, admirabantur denique et Sacri Imperii principes electores R^mi reli|quique diversarum nationum pastores vigilantissimi nostri cardinalis ingenii foelicitatem et ubertatem, eloquentiam eximiam, copiam admirabilem, eruditionem variam, studium indefessum, doctrinam multigenam. Mira res dictu: centum fere praelatorum sententias memoria retinebat et extemplo ad amussim coram magna corona mirabili eloquentia uniuscuiusque votum referebat[16]. Quid dicturi sumus de verborum facetia et convivendi affabilitate? Profecto neque aliorum mores ita fastidierat neque tam gravis et difficilis erat, ut principes mutis[a] statuis simillimi aliquando facere solent. Sed tanta versatus est in sacro concilio aequabilitate, ut neque familiaritas contemptum pareret neque dignitas affabilitatem pessundaret et divites et pauperes magna animi benignitate quotidie in mensa[b] sua recipiebat[17], ut S^mi Domini Nostri legatum decebat. Longum esset et pene immensum per omnia discurrere, quoniam A 4r

Desinet ante dies, et in alto Phoebus anhelos
Aequore tinget equos, quam consequar omnia dictis[18].

Verum quoniam quidem hoc acerbum orandi genus ad saluberrimam vitae nostrae institutionem a Solone primum, deinde a sanctis patribus et aliis quam pluribus emanasse arbitror, attendite, quaeso, quid Amos propheta dixerit[19]: *Percute cardinem et moveantur superliminaria*[c]. Percusso in proelio rege caeterisque fortioribus alii debiliores facile terrentur. Unde audientes *Philistei, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt*[20]. Post Christi vicarium cardinales sequuntur; eam ob rem, si quem eorum mortem oppetere contigerit, caeteri inferiores terreri commoverique debent ad mundi contemptum et perfectam sui praeparationem.

Sed iam et nos ipsi extemplo consternati animo frigescimus, demiramur, compatimur, lugemus, cum hunc amplissimum cardinalem corpore vegetem, mente integerrimum, suae patriae ornamentum, propriae familiae rarissimum decus, exemplar, speculum iubarque praefulgidum e nostris manibus elapsum videmus. Et quis, quaeso, talem ac tantum virum conspicatus non obstupescit? Dudum sacri concilii et Bononiae S^mi D.N. Iulii III a latere legatum[21]. Heri, inquam, vivum, hodie mortuum, heri divitem, nunc inopem, iam dudum impense honoratum, modo vile cadaver. O fallacem fortunae applausum! O mirabundam rerum mutationem! O vanum rapidissimumque mundi cursum! O supervacaneasque mortalium curas! Ubi sunt, quaeso, argentea, ubi aurea vasa? Non amplius aulaea parietibus cernentur affixa. Attritae sunt cortinae, desiit servorum corona, defuit equorum strepitus, corruit palatium[22], fugerunt amici. Quo ingenium, quo prudentia, quo postremo tot honores istius Ill^mi cardinalis abierunt?

Profecto corpus abiit in terram suam. Et quoniam quidem, ut ipse testis sum, dum vita manebat, omnia sacramenta ecclesiae devote suscepit et dolores et varias sui corporis egritudines[23] patienter sustinuit, animam, ut pie credimus, introduxit Deus *in terram viventium*[24], quam sancti possident patres, eminentissimi procul dubio apostoli, fulgentissima totius mundi lumina, discurrentia Christi fulgura, firmissimi coelorum cardines, terram, inquam, ubi nulla mortis formido invenitur, nulla rerum penuria, nulla denique malorum genera. |

O amplissime Crescentii, dedi tibi, quam maxime potui, dedit tibi amplius, qui animam reduxit ad vitam. Nunc omnem exuta laborem, angelicos nunc laeta choros aciesque beatas sanctorum inspiciens aeternae pacis amoena perpetuo foelix Dei regnabis in aula. A 4v

Finis.

[a] *editio princ.* mutuis [b] *ibid.* immensa [c] *ibid.* superluminaria

[14] Sebastianus Pighinus et Aloysius Lippomanus una cum Crescentio nuntii papae in concilio nominati erant, *H. Jedin* l. c. III 237s.; 486s., adn. 43s.

[15] Christophorus Madrucius, cuius secretarius Laurentius Pratanus Crescentium advenientem blande et comiter salutavit cuiusque praedicator Sigismundus Diruta eum in oratione in sessione prima die 1. Maii 1551 habita summis laudibus ornavit, Conc. Trid. VII, I 22, 6ss.; 37, 20ss.; cf. *H. Jedin* l. c. III 244, 246.

[16] Cf. *I. Birkner* l. c. 285.

[17] Cf. ibid. 285.

[18] *P. Ovidius*, Metamorph. X 418s.

[19] Amos 9, 1.

[20] 1 Reg. 17, 51.

[21] Mense Febr. 1550 Iulius III legationem Bononiensem card. Crescentio dedit, Conc. Trid. II 155, 6; VII, I 21, 13s. *I. Birkner* l. c. 279. *H. Jedin* l. c. III 241.

[22] De hoc palatio cf. *I. Birkner* 285. *H. Jedin* l. c. III 534, adn. 16.

[23] Cf. *I. Birkner* 283s. *H. Jedin* l. c. III 387ss.; 534s., adn. 14 et 17.

[24] Cf. Ps. 26, 13; 141, 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

II.

VOTA DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Martinus Malo
[Votum] super articulis de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 9. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 68r–69v *(copia coaeva ab auctore revisa et manu propria subscripta)*

Articuli examinandi a s. patribus in tertia sessione synodi ecumenicae Tridentinae sunt, qui secuntur: Conc. 14 68r

Primus articulus: *In eucharistia non esse . . .*[2]

Hic articulus expresse est contra scripturam sacram et Christi verba: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*[3], Math. 26 [26], Marc. 14 [22]. *Hic calix novum testamentum in meo sanguine,* Luc. 22 [20], ubi in lectione greca non est verbum *est*[4]. Item est contra traditionem[b] ecclesiae, c. [1] *Firmiter*[5] [X] de summa trinitate [et] fide cath. [I 1] et in conciliis Florentino[6], Constantiensi[7] et Basiliensi[8] et omnium sanctorum doctorum sine exceptione. Et in eo, quod asserit: *neque divinitatem D. N. Ihesu Christi*[9], expresse contradicit evangelio Io. 1 [14]: *Et verbum caro factum est.* Quare hereticus est et in primo et in secundo.

Secundus articulus: *Exhiberi in eucharistia Christum . . .*[10]

Hic articulus duplicem sensum habere potest. Primum: Christum in eucharistia ex[h]iberi spiritualiter tantum, et ideo spiritualiter manducandum per fidem et non sacramentaliter. Et in hoc sensu supponit precedentem articulum esse verum. Quare eadem censura notandus.

Secundum sensum: In eucharistia Christum realiter ex[h]iberi, sed manducandum tantum spiritualiter et non sacramentaliter ex praecepto. Si loquatur de precepto humano, contra preceptum ecclesiae est: *Omnis utriusque sexus etc.*[11] et contra traditionem ecclesiae et sanctorum doctorum. Si loquatur de precepto divino, *adhuc sub iudice lis est*[11a], a vobis s. patribus determinandum. Quod mihi persuadeo in hac re, est nos ad illud teneri iure divino tum ex verbis Christi Io. 6 [54]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* tum ex traditione a tempore apostolorum et ultimo limitatum ab ecclesia, ut fiat semel in anno[11].

Quare in utroque sensu hereticus est.

Tertius articulus: *Esse quidem corpus et sanguinem D.N. Ihesu Christi . . .*[12]

Hic articulus duo dicit, primum: in eucharistia non esse transsubstantiationem panis in corpus Christi et vini in sanguinem, secundum: unionem esse hipostaticam panis ad corpus Christi et vini ad sanguinem. Primum expresse est contra Christi verba: | *Hoc est corpus meum* 68v

[a] *Hunc titulum Massarellus add. f. 68r in marg. super.*

[b] *cod.* tradictionem

[1] Excerpta ex hoc voto Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 128, 3–12. Auctor erat familiaris episcopi Ovetensis; cf. ibid. 106, 7. *C. Gutiérrez,* Españoles en Trento l. c. 760–762.

[2] Cf. ibid. 111, 10s.

[3] Sic ad verbum legitur nonnisi 1 Cor. 11, 24.

[4] Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου.

[5] § 3 (*Friedberg* II 5).

[6] *Eugenius IV,* bulla *Exultate Deo,* decr. pro Armenis c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 C. Conc. oecum. decreta, Bologna[3] 1973, 547, 1ss.).

[7] Sess. XIII (15. VI. 1415), decr. *Cum in nonnullis* (*Mansi* XXVII 727 E. Conc. oec. decreta l. c. 419, 14ss. *Denzinger,* Enchiridion[34] n. 1199).

[8] Sess. XXX (23. XII. 1437), decr. *Ut lucidius* (*Mansi* XXIX 158 E).

[9] Conc. Trid. VII, I l. c.

[10] Ibid. 112, 1s.

[11] C. 12 X de poenit. et remiss. V 38.

[11a] *Horatius,* De arte poetica 78.

[12] Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.

Digitized by Google

et expressius contra traditionem ecclesiae a tempore apostolorum, et habetur in conciliis supra dictis, et similiter contra doctrinam omnium sanctorum. Quare hereticus est. Secundum, scil. unionem esse hipostaticam panis ad corpus Christi et vini ad sanguinem Christi, in eo, quod supponit precedentem, hereticus est, in se vero temerarius, quia sine ulla ratione neque autoritate sufficiente dictum.

Quartus articulus est: *Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum*[13].

Hic articulus expresse est contra verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*[14] et ecclesiae traditionem in eo, quod dicit *ob solam;* quare hereticus est. Qua particula semota[a] probabilis est, quia in quacunque dispositione alia sacramenta a baptismo et specialiter sacramentum penitentie potest conferre primam gratiam. Potest et multo melius eucharistia, ⌜ut, si tempore, quo a[b]solvitur, ex[h]iberetur eucharistia, gratiam prestaret sicut penitentia⌝[b].

Quintus articulus: *Christum in eucharistia non esse adorandum* . . .[15]

Hic articulus, ut subponit septimum: *in hostia seu particulis consecratis ante sumptionem neque post non esse corpus Christi, sed tantum dum sumitur*[16], ut sacramentarii dicunt[17], et sic, si verum esset subpositum, articulus verus esset in omnibus suis partibus. Quia tamen suppositum est hereticum, ut ex primo articulo constat, hunc articulum sive subponat septimum sive contrarium, scilicet Christum esse in eucharistia, censeo esse hereticum et blasfemum et piarum aurium offensivum, quia contra scripturam et traditionem ecclesie et doctrinam omnium sanctorum, et honorem detra[h]entem, scil. fidelibus.

Sextus articulus est: *Non esse reservandam eucharistiam* . . .[18]

Hic articulus tria dicit: primum: non debere eucharistiam observari in sacrario, sed *statim presentibus dandam;* secundum: *aliter facientes abuti hoc sacramento;* tertium: *neque licere alicui, ut se ipsum comunicet.* Primum, si sacramentariorum sit, quia ibi non est corpus Christi, verum est; sed supponit hereticum, scilicet non esse ibi corpus Christi; quare hereticus est articulus in hac parte. Si vero sit aliorum dicentium ibi esse corpus Christi, primum dictum hereticum est, 69r quia contra preceptum ecclesie | et eius communem doctrinam et omnium sanctorum. ⌜Secundum dictum blasphemum est et tertium hereticum, quia contra ecclesie determinationem⌝[b].

Septimus articulus est: *In hostiis seu particulis consecratis* . . .[16]

Hic articulus expresse negat existentiam corporis Christi in eucharistia et in eius particulis, in quo contrariatur veritati primi articuli iam damnati[c] et Christi factis in cena et in Emaus[19]. Quare hereticus est.

Octavus articulus est: *De iure divino esse sub utraque specie* . . .[20]

Hic articulus duo dicit: primum: *esse de iure divino communicare populum et parvulos sub utraque spetie;* alterum: ideo *eos peccare, qui cogunt populum altera specie uti.* Primum expresse est contra factum Christi et Pauli, Christi cum discipulis euntibus in Emaus[19], Pauli in navi, *cum lux etc.*[21], et contra traditionem ecclesie a tempore apostolorum; et habetur in conciliis Constantiensi et Basiliensi[22]. Secundum: *et probterea*[d] *eos peccare, qui cogunt populum altera specie uti* expresse detra[h]it honorem debitum, scilicet omnibus, qui hoc religiose observarunt a tempore apostolorum.

Quare primum hereticum est et secundum blasfemum.

Nonus articulus est: *Non contineri sub altera specie* . . .[23]

In quo articulo duo etiam continentur: primum: *non* tantum *contineri sub una specie quantum sub utraque;* secundum: *non tantum sumere [communicantem] sub una spetie quantum sub utraque.*

[a] *cod.* se motta [b] *Haec postea addita sunt manu propria Martini Malo* [c] *cod.* danapcti [d] *cod. sic*

[13] Ibid. 112, 20.
[14] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.
[15] Conc. Trid. VII, I 112, 22s.
[16] Ibid. 113, 7s.
[17] E. gr. *Andr. Bodenstein Carolstadius*, Dialogus oder ein gesprechbüchlin von dem grewlichen abgött. mißbrauch des hochw. sacraments, s. l. [Basileae] 1524. *Idem*, Von dem widerchristl. mißbrauch des hern brodt und kelch, s. l. [Basileae] 1524 Cf. *H. Barge*, Andr. Bodenstein v. Karlstadt II, Leipzig 1905, 150ss. Articulus vero haereticorum septimus ad verbum repetit ea, quae scripserat *Io. Cochlaeus*, In causa religionis miscellaneorum libri tres, Ingolstadii 1545, 174r et 178v; cf. Conc. Trid. VII, I 543, addenda ad p. 113[4].
[18] Conc. Trid. VII, I 113, 3ss.
[19] Luc. 24, 30.
[20] Conc. Trid. l. c. 113, 11s.
[21] Act. 27, 33–35.
[22] Vide supra adn. 7–8.
[23] Conc. Trid. l. c. 113, 20s.

Digitized by Google

Primum dupliciter potest intellegi: uno modo, ut loquatur de continentia reali, et sic hereticum est dicere magis sub utraque quam sub altera contineri, quia utrobique continetur corpus et sanguis Christi et nichil aliud. Alio modo potest intellegi sacramentaliter, et isto modo verum est dicere plus contineri sub utraque quam sub una specie, quia sub utraque continetur corpus et sanguis, sub altera vero tantum corpus aut sanguis; aliud vero concomitatur, corpus vero sanguinem, sanguis vero corpus. — Secundum iterum tripliciter potest intellegi: primo modo realiter, secundo modo sacramentaliter, tertio modo in effectu. Primo modo hereticum est; secundo modo verum; tertio modo, et in quo sensu credo articulum esse intelligendum, falsum esse credo, quia, sive sumas utranque | speciem sive alteram tantum, unum sacramen- 69v
tum est, cui ex opere operato ex vi sacramenti unus et idem effectus respondet, quia Christus pro omnibus equaliter mortuus est.

Decimus articulus est: *Solam fidem esse sufficientem* ...[24]

Hic articulus tria dicit: primum: *solam fidem sufficere ad* digne *sumendam eucharistiam;* secundum: *confessionem non esse necessariam;* tertium: *homines non teneri ad communicationem*[a] *in pascate.* — Primum hereticum est, quia *sola fide* non iustificatur homo[25], neque facit dignum ad manducandum iusta[a] Paulum 1 Cor. 11 [28]. — Secundum credo falsum et scandalosum, quia contra usum laudabilem ecclesie vim precepti habentem et contra bonos mores. — Tertium, si loquatur de iure divino expresso et scripto, verum dicit; si vero de humano, erroneum est et cum pertinacia[b] hereticum, quia contra ecclesiae determinationem et eius autoritatem.

⌈Martinus Malo⌉[c].

2.

Iacobus Ferrus Valentinus
Sententia super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 10. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 71 *(autogr.)*

Primus articulus cum omnibus eius partibus est anathemate damnandus. Repugnat enim Conc. 14 71r
aperte verbis Christi: *Hoc est corpus meum*[2], quae vere et non figurate esse accipienda docuit et tenuit semper ecclesia. Quod quidem corpus vivum esse oportet et non inanimatum aut exangue. *Christus enim resurgens a mortuis*, ut scribit apostolus ad Rom. 6 [9], *iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Neque divinitas deposuit, quod semel assumpsit.

Secundus articulus est etiam damnandus anathemate, quum constet ex d. Matthaeo, Marco, Luca et apostolo Paulo[2] hoc sacramentum, statim atque a Christo institutum fuit, apostolis traditum fuisse non *spiritualiter tantum manducandum*, sed etiam *sacramentaliter*, et ecclesia usa sit semper sacramentali communione.

Tertius articulus eadem censura condemnari debet cum omnibus eius partibus, quum Christus illis verbis: *Hoc est corpus meum*[2]. *Hic est sanguis meus*[3] corporis sui praesentiam et sanguinis, non panis aut vini statuat. Et in concilio Lateranensi sub Innocentio III sic habetur: Verum Christi *corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina*[4].

Quartus est etiam haereticus. Pugnat enim cum verbis evangelii[5], in quo *commemoratio* Christi refertur ut finis huius sacramenti. Auget etiam gratiam in eo, qui ipsum digne suscipit. Neque est hoc sacramentum praecipue *institutum ad remissionem peccatorum.*

[a] *cod. sic* [b] *cod.* pertinantia [c] *propria Martini Malo manus*

[24] Ibid. 114, 1ss.
[25] Sess. VI, decr. de iustificatione c. 9 et can. 9 de iust. (Conc. Trid. V 794, 28; 798, 17).
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 128, 23–129, 28. De auctore, qui erat familiaris episcopi Segobricensis, cf. ibid. 75[1]; 128[6]. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 246–248. Articulos de eucharistia vide Conc. Trid. VII, I 111–114.
[2] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.
[3] Matth. 26, 28; Marc. 14, 24.
[4] Conc. Lateranense IV, c. 1 (*Mansi* XXII 981/82) = c. 1 *Firmiter* X de s. trinit. et fide cath. I 1, § 3 (Conc. oec. decreta[2] l. c. 230, 35–37).
[5] Luc. 22, 19.

Digitized by Google

Quintus articulus cum omnibus eius partibus est omnino damnandus. Omni enim loco adorandus est Christus, verus non homo solum sed et Deus. Et in hoc sacramento peculiariter nobis refert memoriam eximii illius beneficii, quo nos idem ipse Christus in cruce redemit, quo nomine peculiariter in hoc sacramento est a nobis adorandus. Et d. Augustinus in Ps. 98: „Nemo", inquit, „hanc carnem manducat, quin prius adoraverit"[6].

Sextus articulus itidem cum partibus est damnandus.

Septimus totus etiam damnari debet. Corpus enim Christi est in sacramento vi consecrationis et verborum Christi. Ergo esse in sacramento non hinc pendet, quod hic vel alius sumat; ergo non est *tantum ibi*, *dum sumitur*. Unde ortum habent omnes illi errores: *non remanere corpus Christi in hostiis seu particulis consecratis post communionem remanentibus*[7], *non esse eucharistiam reservandam in sacrario*[8], *non esse in processionibus circumgestandam etc.*[9] |

71v Octavus articulus damnandus est cum eius partibus iuxta concilium Constantiense sessione 13[10] et Basiliense sessione 30[11].

Nonus articulus cum utraque parte damnari debet. Nam posterior illa pars satis aperte ex priori sequitur secundum eundem sensum, quem reddit prior, id est referendo ad res in sacramento contentas. Et forte aliquanto apertius hic sensus exprimeretur, si secunda pars sic scribatur: *Et ideo non tantum sumere communicantem sub altera specie quantum sub utraque.* Nam non puto intentionem sanctae synodi esse tractare illam partem aut aliquid de ea definire secundum sensum, quo posset ad gratiam referri. Quodsi ea etiam in re sententiam meam sim explicaturus, existimo non plus gratiae conferri communicando sub duabus speciebus quam sub una tantum, quum totus Christus, fons gratiae, tam integer sub una contineatur quam sub duabus.

Decimus articulus, quod attinet ad primam et tertiam partem, anathemate damnari debet. Partem vero mediam de *confessione*, quod non sit *necessaria ad eucharistiam sumendam*, sed libera, falsam esse censeo. In eo tamen sensu, quo a quibusdam catholicis explicatur[12], non puto haereseos esse damnandam; sed ita existimo debere sacrosanctam synodum suo decreto omnes monere et hortari, ut accessuri ad venerandum hoc et tremendum eucharistiae sacramentum probent seipsos diligentissime non solum per peccatorum contritionem sed per accessum etiam ad sacramentalem confessionem. Illorum autem sententiam, qui asserunt cum conscientia peccati mortalis et habita copia idonei confessoris posse quempiam aut celebrare aut ad hoc sacramentum suscipiendum accedere non praecedente sacramentali confessione, periculo non carere, ac proinde vitare nos potius eam quam imitari debere. Qua ratione huic rei puto bene ac probe consultum fore.

Iacobus Ferrus Valentinus, doctor theologus.

3.

Franciscus de Toro, canonicus Granatensis Votum super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 10. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 114r–122r *(autogr.)*

Conc. 14 114r Ill^mi^, R^mi^ et sanctissimi Patres! Articuli nobis propositi ita de doctissimis theologis exhausti sunt, ut nil a me addendum nisi eorum sententiis subscribendum censeam. Verum, quoniam pro more vestro et meam sententiam queritis, quid in hac re sentiam, obediens dicam brevissime circa omnes articulos, quo minus aures vestras sim offensurus eadem identidem audientes, idque de misericordia vestraque humanitate fretus agredior.

[6] Enarr. in Ps. 98, c. 9 (CChr. XXXIX 1385, 23s.).
[7] Art. 7, Conc. Trid. VII, I 113, 7s.
[8] Art. 6, ibid. 113, 3.
[9] Art. 5, ibid. 112, 23.
[10] Sess. XIII (15. VI. 1415), decr. *Cum in nonnullis*; vide supra p. 97, adn. 7.
[11] Sess. XXX (23. XII. 1437), decr. *Ut lucidius*; vide supra p. 97, adn. 8.
[12] Videlicet a Nicolao de Tudeschis et a Thoma de Vio card. Caietano; vide infra p. 140, 25s. cum adn. 106s.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 129, 29–130, 28. Auctor erat familiaris archiepiscopi Granatensis, ibid. 69, 3; 106, 9; 430, 12. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 446s.

Digitized by Google

Articulus primus: *In eucharistia non esse re vera corpus et sanguinem . . .*[2]

Hunc articulum censeo hereticum quoad omnes sui partes. In corroborationem veritatis in medium fuerunt adducte auctoritates scripture, pro priore parte Luc. 22 [19], Matth. 26 [26], Marc. 14 [22]: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*[3], et: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro* vobis *effundetur etc.*[4] Que loca calumniantur ab hereticis dicentibus illud verbum *est* non debere intelligi proprie, sed figurate pro *significat*[5], ob idque verba Christi non cogere ad tenendum realem existentiam corporis et sanguinis Domini. Est enim (dicunt) dictum: *Hoc est corpus meum* et: *Hic est sanguis meus*, id est: *Hoc significat corpus meum*[6] et: *Hoc significat sanguinem meum*. Confirmant heretici hanc assertionem similibus scripturae figuratis locutionibus. Paulus enim 1 Cor. 10 [4] sic loquitur dicens: *Petra autem erat Christus*[7] et Dominus apud Io. 15 [1]: *Ego sum vitis vera*[8] et de Ioanne Baptista apud Matth. 11 [14]: *Ipse est Helias*[9] et multis aliis, que tamen non cogunt, tum quod non sequitur omnes locutiones scripture esse figuratas, propterea quod alique (quales sunt quae adducuntur) sint per tropum intelligende, tum quia scriptura ipsa se ipsam exponit. Que enim alicubi obscure dicuntur, alibi clarius eadem aut alia scriptura sacra declarat, ut inde constet de vero sensu. Sic eodem capite apud Paulum verba allegata non aliter quam per tropum esse interpretanda cognosces, et Lucas cap. 1 [17] declarat Ioannem Baptistam | esse Heliam *spiritu et virtute*[10], ut inde intelligas verba Christi, 114v scil. *Ipse est Helias*[9], non admittere sensum proprium. Et quod dicit Dominus se esse *veram vitem*[8], intelligere nos oportet, sicut de apostolis dicit esse *palmites*[11], quos tamen methaphorice dici *palmites* non est qui dubitet. Hinc, cum post verba Domini: *Hoc est corpus* et: *Hic est sanguis* subiungat: *quod pro vobis tradetur*[3] et: *qui pro vobis effundetur etc.*[4], quod fuit reale corpus et qui fuit realis sanguis, non est, cur dubitemus antecedentia verba, scil. *Hoc est corpus meum etc.*, in significatione propria esse accipienda. Quod hac ratione confirmo: Non est nobis questio cum hereticis, an Dominus potuerit ponere corpus suum et sanguinem praesentialiter, vere et realiter in hoc sacramento; omnes enim fatentur hoc posse Deum. Sed quaestio est, an de facto posuerit etc. Sed Dominus ipse dicit hoc esse corpus suum et sanguinem et illo solo verbo potest efficere, sicut verbo *condidit universa*[12]. Quare ergo non credemus? Absit, presertim pensatis circumstantiis et tempore, quo ea verba dixerit, et amore, quem erga illos habere significatus est verbis et factis[13] ante institutionem huius sancti sacramenti.

Accedit ad hec concordia trium evangelistarum, qui acceperunt a Domino et viderunt ac ab apostolis audierunt, et Pauli, qui *a Domino* ipso in celis agente *accepit*[14], qui tamen eadem omnino verba tradunt: *Hoc est corpus. Hic sanguis etc.*, non: Hoc significat corpus meum aut sanguinem etc. Quare, cum sic aperte sacra scriptura in sensu proprio necessarie sit intelligenda, corpus et sanguinem Christi Domini nostri realiter et non ut in signo esse sub speciebus panis et vini est de fide strictissimo modo, nempe quod expressum sit in sacra scriptura a me allegata. Omitto, quod Paulus 1 Cor. 11 [27] dicit eucharistiam corpus et sanguinem Domini: *Itaque* (inquit) *quicumque manducaverit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*, quo nil manifestius. Omitto etiam, quod Ioannes 6 [52] cap. dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, quod implevit Dominus reali existentia sui sanguinis et corporis in hoc sacramento. Omitto etiam, quod doctores sancti dicunt caput Ioannis 6 intelligendum esse de manducatione sacramentali. Quod | caput calumniatur, quod aliqua verba faciant sensum metha- 115r phoricum ut alia iam citata, videl.: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, id est: significat carnem meam[15]; tum quod alia verba (qualia sunt: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[16]) intelligenda sint spiritualiter et non sacramentaliter[17]. Sed prior calumnia dissoluta est, quam obiecerunt verbis Domini: *Hoc est corpus meum*. Secundam solvunt doctores gravissimi et sancti, qui dicunt intelligendum illum locum sacramentaliter, ut inde sumatur ratio precepti, quo iure divino fideles tenentur suscipere hoc sacramentum. Non citavi doctores huius sententie, cum in publicum dicerem meam, gratia brevitatis.

[2] Conc. Trid. VII, I 111, 10s.
[3] Sic potius 1 Cor. 11, 24.
[4] Matth. 26, 28; Marc. 14, 24.
[5] *Huldr. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 18 (Corp. Ref. XC 796, 5ss.). *Idem*, Amica exegesis (Corp. Ref. XCII 603, 11ss.). *Idem*, Daß diese Worte: *Das ist mein Leib etc.* ewiglich den alten Sinn haben werden (ibid. 863, 18s.).
[6] *Idem*, De vera et falsa relig. (l. c. 798, 29s.).
[7] *Idem*, Subsidium sive coronis de eucharistia (Corp. Ref. XCI 473, 6ss.). *Idem*, Daß diese Worte (l. c. 864, 20ss.; 866, 10ss.).
[8] *Idem*, Daß diese Worte (l. c. 878, 26ss.).
[9] *Idem*, Daß diese Worte (l. c. 863, 23ss.).
[10] Cf. ibid. (l. c. 864, 7ss.; 868, 9ss.).
[11] Io. 15, 5. [12] Col. 1, 16.
[13] Cf. Luc. 22, 15; Io. 13, 1ss.
[14] Cf. Act. 20, 24; 1 Cor. 11, 23.
[15] Cf. *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 18 (l. c. 780, 7ss.; 793, 16ss.). *Idem*, Eine klare Unterrichtung vom Nachtmahl Christi (Corp. Ref. XCI 816, 7ss.). *Idem*, Daß diese Worte (l. c. 895, 28ss.).
[16] Io. 6, 54.
[17] Cf. *H. Zwingli*, Subsidium sive coronis (l. c. 494s.). *Idem*, Eine klare Unterrichtung vom Nachtmahl Christi (l. c. 817, 6ss.).

Digitized by Google

Sunt tamen, qui a me allegandi erant: Theophilactus super Io. c. 6[18]; d. Cyrillus lib. 4 super Ioan.[19]; Chrisostomus hom. 45 super Ioan.[20] Cassiodorus exponens illud Ps. 109 [4]: *Tu es sacerdos in eternum etc.* refert illud Ioannis: *Nisi manducaveritis* et intelligit sacramentaliter[21]. Augustinus tract. 26 super Ioan.[22]; b. Gregorius exponens illa verba Iob 6 [5]: *Numquid rugiet onager, cum habet herbam*[23]; d. Ambrosius lib. 6 De sacramentis cap. 1[24]; Hylarius 8 lib. De trinitate: „De veritate", inquit, „corporis et sanguinis Domini non est relictus ambigendi locus"[25], adductis verbis Io. 6 [55]: *Qui manducat meam carnem etc.* D. Cyprianus exponens verba orationis dominicae: *Panem nostrum quotidianum etc.*[26] refert illa: *Ego sum panis vivus. Si quis manducaverit etc.*[27] et intelligit sacramentaliter[28]. Origenes hom. 7 super lib. Num. intelligit verba Io. 6 [56]: *Caro mea vere est cibus* in sacramento; dicit *manna* fuisse panem enigmaticum, quod figura fuerit, hunc autem panem sacramentalem non enigmaticum nec figuram, sed veritatem[29]. Leo I in epistola ad Constantinopolitanos idem asserit[30]. Et Arnobius Ps. 110 [4] super illa verba: *Memoriam fecit mirabilium suorum*[31]. Et Ireneus lib. 5 Adversus hereses subscribit[32]. Cum ergo isti sancti patres sint in hac sententia, temerarium esset recedere adhuc in re opinabili, qualis hec non est, sed fides catholica, maxime quod ecclesia declaravit iam sensum verum scripture
115v sancte, cum definiat, quid sit credendum de hoc articulo, in | concilio Vercellensi[33] et Turonensi[34] et Romano sub Nicolao II contra Berengarium[35] tenentem non realiter, sed in signo esse corpus et sanguinem Domini in sacramento altaris, cuius erroris abiuratio extat cap. [42] *Ego Berengarius* de consecr. dist. 2[36], et in concilio Constantiensi[37] et Lateranensi sub Innocentio III[38]. Et accedit ad hec universalis consuetudo ecclesiae, quae cultum divinum huic sacramento exhibet et exhibendum precipit et [id] ut Deum veneratur et adorat.

Hinc secundam partem eiusdem articuli censeo haereticam oppositumque esse fidem catholicam, scilicet divinitatem esse in hoc venerabili sacramento non generali modo essendi, quo Deus est in omnibus rebus, sed seipsam, sicut in seipso est Deus. Omitto determinationes ecclesiae, quas sufficere non dubitamus. Sed ratione hac probo: Si non esset divinitas in sacramento, cum tamen sit corpus et sanguis realiter, separata esset humanitas a Verbo, et semper esset separata, cum semper sit duraturum hoc sacerdotium *usque [ad] seculi consummationem*[39]. Quo[ties] erit hoc venerabile sacramentum in sacrario et in altari et quoties sacerdos celebrat, oporteret dimitti humanitatem. Peccavitne humanitas Christi sanctissima unita Verbo, quod sic dimittatur post consummatum cursum, quo instrumentum fuit nostre redemptionis? Absit, cum *peccatum non fecerit nec inventus fuerit dolus in ore eius*[40], imo nec potuerit inveniri. Propterea, si non ita esset, certe Deus servaret nos in perpetua idololatria et nostri peccati esset causa, quod tamen nonnisi impius dicet. — Ergo hereticus est hic etiam articulus quoad utramque partem; ex quo sequitur tertii damnatio.

Secundus articulus: *Exhiberi in eucharistia Christum* ...[41]

Eadem censura feriendum censeo hunc articulum. Ad cuius damnationem impertinens michi videtur, quod sit preceptum divinum de manducatione sacramenti aut non sit. Nam aliqua sunt sacramenta, que non sunt in precepto, singulis saltem, ut matrimonium, ordo etc., et

[18] Enarr. in evang. Ioann. 6, 54 (*Migne*, PG CXXIII 1309/10 C).
[19] In Ioannem IV, c. 2 (*Migne*, PG LXXIII 577/78 B). Cf. Conc. Trid. V 890, 4; 926, 26s. cum adn. 6.
[20] In Ioannem hom. 46, c. 3–4 (*Migne*, PG LIX 261s.). Cf. Conc. Trid. V 890, 4s.
[21] Expositio in Ps. 109, 4 (CChr. XCVIII 1011, 233ss.). Cf. Conc. Trid. V 890, 5s.
[22] In Ioannem tract. 26, c. 15 (CChr. XXXVI 267, 4ss.). Cf. Conc. Trid. V 889, 17ss. 23ss. 31ss.
[23] Moralia VII, c. 7 (*Migne*, PL LXXV 771 A). Cf. Conc. Trid. V 890, 7ss.
[24] De sacramentis VI, c. 1, 2–4 (CSEL LXXIII 72, 6ss.). Cf. Conc. Trid. V 873, 15 cum adn. 5.
[25] De trinitate VIII, c. 14 (*Migne*, PL X 247 A). Cf. Conc. Trid. V 873, 15; 890, 10.
[26] Matth. 6, 11. [27] Io. 6, 51s.
[28] De domin. oratione c. 18 (CSEL III 280, 8ss.). Cf. Conc. Trid. V 890, 10s.
[29] In Num. hom. 7, c. 2 (GrChrSchr. 30. Origenes VII 39, 27ss.). Cf. Conc. Trid. V 890, 11; 913, 30s. cum adn. 9.
[30] Ad clerum et plebem Constantinopolit. epist. 59, c. 2 (*Migne*, PL LIV 868 B) = c. 38 *In quibus* dist. 2 de cons. (*Friedberg* I 1327). Cf. Conc. Trid. V 890, 12 cum adn. 3.
[31] *Arnobius iunior*, Comm. in Ps. 110, 5 (*Migne*, PL LIII 497 C).
[32] Adv. haereses V, c. 2, 1–2 (ed. *Harvey* II 318. 320). Cf. Conc. Trid. V 884, 41s.
[33] Conc. Vercellense (1. Sept. 1050); cf. *Mansi* XIX 773/74 D. *Lanfrancus*, De corp. et sangu. Domini c. 4 (*Migne*, PL CL 413 C). *Jaffé*, Reg. I, p. 538. *Hefele-Leclercq* IV, II 1056ss. *J. Schnitzer*, Berengar v. Tours, München 1890, 40ss.
[34] Conc. Turonense (a. 1054); cf. *Mansi* XIX 839/40 D. *Lanfrancus* c. 4 (l. c. 413 D). *Hefele-Leclercq* IV, II 1108ss. *Schnitzer* l. c. 52ss.
[35] Conc. Lateranense (1059 Apr. 4–13), prima Berengarii abiuratio; cf. *Jaffé*, Reg. I, p. 558s. *Mansi* XIX 900 B. *Lanfrancus* c. 2 (l. c. 410 C s.). *Hefele-Leclercq* IV, II 1169ss. *Schnitzer* l. c. 68ss.
[36] Ex conc. Later. a. 1059 habito. *Friedberg* I 1328s.
[37] Decr. *Cum in nonnullis;* vide supra p. 97, adn. 7.
[38] Conc. Lateranense IV, c. 1; vide supra p. 99, 30ss. cum adn. 4.
[39] Matth. 28, 20. [40] 1 Petr. 2, 22; cf. Isai. 53, 9.
[41] Conc. Trid. VII, I 112, 1s.

Digitized by Google

tamen est certus modus, quo virtus illorum applicatur fidelibus. Itaque citra illum modum et applicationem | non dabitur gratia sacramentalis. Unde non datur gratia baptismalis ministro 116r aut patrinis, sed parvulo aut adulto suscipienti baptismum cum infussione[a] aque. Nec gratia sacramentalis datur sacerdoti, cum offert sacramentum, sed cum sumit manducans et bibens. Cum ergo eucharistia sit sacramentum ecclesiae, habet modum certum, quo ministretur, et necessarium usum, sicut alia sacramenta habent, sive sint in precepto sive non. Unde fingamus, quod penitentia et confessio vocalis aut sacramentum absolutionis non esset de precepto divino nec humano et esset sacramentum, quod quidem admittunt heretici, num propter hoc, quod esset liber accessus ad sacramentum penitentiae, non esset applicandum et ministrandum praevia confessione peccatorum et prolata forma absolutionis aut per litteras posset fieri confessio et absolutio iudice et reo distantibus per leucas aut quacumque corporali distantia? Absit! Imo requiritur certa distantia certusque modus, citra quem non erit sacramentum. Non ergo refert, quod eucharistia sit in precepto quoad sumptionem aut non, quo minus habeat certum modum, quo fidelibus applicetur virtus eius, quatenus sacramentum est, quo necessarie eius gratia sacramentalis communicetur fidelibus. Hinc formo rationem: Eucharistia est sacramentum ecclesiae; ergo realiter est sumenda a fidelibus, qui ea aut volunt aut tenentur uti. Ergo est manducanda, patet. Ideo in materia cibi est instituta; aut quare in materia cibi aut potus? Praesertim quod comedere spiritualiter sacramentum est credere in Christum. Et hoc modo comederunt patres veteris testamenti, quia in fide Christi venturi salvi facti sunt, qui sicut nos uti viderentur eucharistia, quod tamen non est verum. Aut manducare spiritualiter Christum in eucharistia est suscipere sacramentum in animi praeparatione, sicut suscipit baptismum spiritualiter, qui in voto habet. Et hoc non excludit, imo supponit sumptionem in facto habita opportunitate, quod credo verum.

Praeterea scriptura de hoc sacramento loquens manducandum tradit: *Qui manducat et bibit indigne etc.*[42] *Itaque quicumque manducaverit etc. aut biberit calicem Domini indigne*[43]. Aperte loquitur de manducatione corporali exteriori corporis et sanguinis Domini in hoc sacramento. Nam non potest aliquis *indigne manducare* spiritualiter, nisi indignitas sit, quia proponit sumere corporaliter indigne cum complacentia aut | conscientia peccati mortalis. Iam ergo Paulus suppo- 116v nit hoc sacramentum comedendum et bibendum, ut non sit opus aliud afferre testimonium. Quare teneo articulum esse hereticum, dato, [quod] non esset praeceptum de sumptione sacramenti.

Tertius articulus: *In eucharistia esse quidem corpus et sanguinem Domini ...*[44]

Hic articulus plane hereticus est. Et fide catholica censeo esse tenendum in eucharistia fieri quidem transsubs[tan]tiationem panis et vini in verum corpus et sanguinem Christi, ita ut nil maneat de substantia panis et vini praeter accidentia aut species, quae sunt sine subiecto. Hoc teneo, quia ita determinavit ecclesia conciliis allegatis in priori articulo et semper unanimi omnium patrum consensu tenuit. Sed quia heretici asserunt suum articulum ex sacris litteris habere, placet adducere in medium eorum fundamentum potissimum. Inquiunt ergo[45]: Sacra scriptura nominat *panem* et *vinum* consecratum *corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi*. Et servata proprietate sermonis damus, quod est corpus et sanguis Domini re vera. Ergo pari ratione dicendum est manere simul substantiam panis et vini, quia scriptura nominat corpus Domini *panem* et *vinum*. Nominat autem apud Ioan. cap. 6 [52]: *Panis, quem ego dabo, caro mea est. Ego sum panis vivus*[46]. *Qui manducat hunc panem, vivet in eternum*[47]. Et apud Paulum 1 Cor. 10 [14]: *Omnes de uno pane* et de uno calice *participamus* et cap. 11 [26]: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis etc.* Et: *Quicumque manducaverit panem aut biberit calicem Domini indigne etc.*[48] Colligunt ergo: Sicut nominatur *corpus* et *sanguis*, nominatur *panis* et *vinum*; ergo est substantia panis et vini. Hoc autem non potest esse sine unione hipostatica, ratione cuius (sicut nomina *Dei* dicuntur de homine et e converso) nomina *panis* dicantur de corpore et e converso, servata semper proprietate verborum. Ecce argumentum.

Inprimis ponit impossibile aut blasphemum ista assertio ponendo unionem naturae creatae ad naturam creatam hypostaticam. | Nam unio hypostatica naturae ad naturam est impossibilis, 117r tum quia natura, quae unitur et cui unitur, non est hypostasis; ergo unio non est hipostatica.

[a] *cod. sic*

[42] 1 Cor. 11, 29.
[43] 1 Cor. 11, 27.
[44] Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.
[45] *M. Luther*, De captivitate Babylonica: „non est necesse panem et vinum transsubstantiari ..., sed utroque simul manente vere dicitur: Hic panis est corpus meum. Hoc vinum est sanguis meus" (WA VI 511, 40ss.).
[46] Io. 6, 51. [47] Io. 6, 59.
[48] 1 Cor. 11, 27.

Digitized by Google

Sed demus, quod possit fieri unio naturae ad naturam, sicut potuit inmediate fieri essentiae divinae ea, quae de facto facta est, humanitatis ad Verbum inmediate, certe impossibile videtur, quod natura creata possit sustentare naturam creatam denudatam virtute divina a propria subsistentia. Nam sicut sola virtus divina est, quae potest denudare a propria subsistentia re ipsa manente, ita sola ipsa Dei potentia potest conservare. Nec creatura est capax tantae virtutis sicut nec potentiae creandi, sicut non posset tota natura conservare accidens sine subiecto denudatum aut separatum virtute divina. Iam ergo ex hoc consequitur unionem illam factam Verbo inmediate aut mediate, si non sis nostrae sententiae in hoc de potentia creaturae; et utroque modo: sicut ratione unionis factae inmediate Verbo divino et mediate naturae divinae, quae est idem realiter cum supposito, nomina dicta de Verbo ratione personae et ratione naturae dicuntur de humanitate, ita dicerentur de pane aut vino, sive mediate uniantur Verbo, scilicet ratione naturae humanitatis, quae unita est Verbo, sive inmediate. Et ita hae propositiones essent verae: Deus est panis, vinum; et: panis est Deus, et: panis est mortuus, sepultus, creator, salvator etc. Haec autem quam sint absurda, vident omnes, quae necessaria essent concedenda ab asserentibus articulum.

Nec propter hoc argumentum damno articulum, sed quia sancta mater ecclesia damnat. Nec habet fundamentum in ratione nec in sacris litteris. Unde, quod in corroborationem adducunt vocari *panem* et *vinum* in evangelio, in quo corpus et sanguis Christi nominatur eucharistia, non est alicuius momenti argumentum. Nam frequentissimus modus loquendi sacrae scripturae est res nominare nominibus rerum, ex quibus factae sunt, aut rerum, quae fuerunt. Unde Eccli. cap. 10 [9] homo dicitur terra et cinis: *Quid superbis, terra et cinis*, non quod sit, sed quia de terra sumptus et cinere. In hunc modum Exod. 7 [12] *virga Aaron* dicitur *devorasse*
117v *virgas* magorum, cum tamen | non essent virgae, sed coluber et dracones. Unde ergo *virgae*? Non, quod sint, sed certe, quod fuerunt. Maxime, quod interdum ab effectu aliqua denominantur. Unde id, quod nutrit, solet vocari *panis*, Eccli. 29 [28]: *Initium vitae hominis panis et aqua* et in Ps. [77, 24]: *Panem coeli dedit eis* de manna loquens. Sic, cum eucharistia vere nutriat animam et foveat, imo et corpus, vocatur *panis* ac *potus*, non quod sit materialis, sed animae etc.

Quartus articulus: *Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum*[49].

Plures effectus habet eucharistia. Est in memoriam *passionis*, *resurrectionis* et *ascensionis* D.N. Ihesu Christi[49a]; dat robur aut vires spirituales; remittit fomitem. Imo caro Christi sanctissima virtutem habet, ut suo tactu infirmitates sanentur, pellantur demones etc. Quod si articulus neget hos effectus et solum tribuat huic sacramento effectum remittendi peccata, hereticus est, et sic illum iudico. Tamen crederem non voluisse habere hoc assertores, sed principaliter *esse institutam ob solam remissionem peccatorum*. Unde, sicut de baptismo possumus dicere: Delet peccatum originale deletque mortale, si inveniat, *infunduntur* in eo *gratia informans et virtutes etc.*, Clement. c. un. de summa trinit. et fide cathol. [I 1][50], tamen non est principaliter nec de per se institutus contra peccatum actuale, sed de per accidens delet actuale. Stat enim delere originale et non mortale; nec delet actuale, quando non delet originale. Quare baptismus, licet habeat plures effectus, solum est ad unum de per se institutus, scil. contra originale. Sic de eucharistia dico delere aliquando mortale, quia mortuos vivificat, auget gratiam, dat robur spirituale etc. Si in hoc sensu intelligatur hic articulus, reputo haereticum dicere *eucharistiam esse institutam ob solam remissionem peccatorum* principaliter et de per se. Nam hoc sacramentum est vivorum et ideo in materia, quae non potest nisi vivis applicari sine abusu, vivorum (inquam) vita[e] spirituali. Sicut mortuo corporaliter non est cibus panis corporeus, ita nec mortuo spiritualiter cibus est hic divinus; est enim gratia divina. Oportet probatos accedere; ergo praesupponit vitam. Ergo de per se non dat vitam, sed auget. Ita in concilio Florentino dicitur,
118r quod *effectus huius sacramenti est* | *adunatio hominis* cum Deo[51]. Et facit in anima totum id, quod cibus et potus in corpore. Quare praesupponit vitam, etiam quia alia sacramenta habent quidem plures effectus, tamen aliquos de per se; alii autem consequuntur. Baptismus solum est institutus ob remissionem originalis, licet deleat actuale. Penitentia ob mortalia actualia delenda instituta est; tamen delet venialia, quae non sunt materia necessaria confessionis. Et in naturalibus ita est, quod res naturales habent effectus proprios et alios de per accidens; ob id tamen dicimus solum illas tantum esse ob effectus de per se, nec quae sunt de per accidens, sunt in consideratione, sed ab arte relinquenda. Hinc consequitur, quod dato eucharistia deleat aliquando peccatum mortale, non est dicenda *instituta* ad id. Ideoque adhuc in hoc sensu michi

[49] Conc. Trid. VII, I 112, 20.
[49a] Missale Rom., canon missae, *Unde et memores*.
[50] C. *Fidei cath.*, § 3 (*Friedberg* II 1134).
[51] Decr. pro Armenis c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 C. Conc. oec. decreta[3] l. c. 547, 9s. *Denzinger*, Enchiridion[34] n. 1322).

Digitized by Google

videtur haereticum dicere: *eucharistiam institutam ob remissionem peccatorum*, sicut baptismum esse institutum ob remissionem peccati actualis, etsi remittat.

Quintus articulus: *Christum in eucharistia non esse adorandum ...*[52]

Hunc articulum censeo haereticum, nempe quia contra fidem. Haec est propositio de fide: Deus est adorandus. Ergo haec: Christus est adorandus in eucharistia, est de fide. Patet consequentia, quia Christus in eucharistia est Deus. Nec oportet esse locum expressiorem in scriptura, quo revincamus etc. Sicut si aliquis diceret Christum non habuisse cor et fundaret in hoc, quod sacra scriptura non dicit, satis esset contra eum argumento hoc agere: Christus est homo; ergo habet cor; eodem modo: Christus in eucharistia est Deus, ergo adorandus. Hinc sequitur esse *venerandum*, *circumgestandum in processionibus* et verum illi nos debere cultum latriae.

Quoad partem de delatione ad infirmos, quia non sequitur esse deferendum, quia est Deus, cum, si esset sacramentum sine eo, quod esset Deus (ut potuit fieri), esset deferendum, dico adhuc esse haereticum | et damnandum. Tum quia est praeceptum de sumptione divinum et 118v humanum et non potest homo semper adire ecclesiam. Etiam si non esset praeceptum, cum sit medicina[52a] ordinata a Deo in subsidium viatorum, adhuc esset deferendum. Nec Deus voluit *in sudario reponi*[53] sua misteria, sed quotidie erogari fidelibus secundum captum eorum. Hinc in c. [10] *Sane* [X] de celebrat. missarum [III 41] praecipitur *deferri ad infirmos cum magna reverentia*, quod sit *in loco mundo honorifice*, quod *doceatur populus* reverentiam exhibendam etc.[54] Etiam c. [93] *Presbyter* de consecr. dist. 2 praecipitur hostiam *paratam haberi* pro necessitate infirmorum[55] et Augustinus in lib. De visitatione infirmorum cap. 4[56]. Tenetque universalis ecclesia hunc morem, qui sufficeret ad damnandum, quando alias non adesset ratio convincens.

Sextus articulus: *Non esse reservandam eucharistiam ...*[57]

Eadem nota inurendum censeo hunc articulum ratione, qua precedens est improbatus. Et id, quod dicit *non licere* aliquem *seipsum communicare* (quoad sacerdotes tantum, quando celebrant) propter usum ecclesiae universalis, qui tam antiquus est quantum missae sacrificium, tum quia praecipitur sacerdotes sumere sacramentum in priore missa et cessare ab aliis, concilio Toletano 12[58].

Septimus articulus: *In hostiis seu particulis ...*[59]

Hic etiam articulus est haereticus. Nam Christus est in eucharistia virtute verborum: *Hoc est corpus meum* et: *Hic est sanguis meus*. Non autem pendet efficientia divina a volente communicare aut nolente. Item est contra rationem, vanum deliramentum, praesertim quod ecclesia tenet, adorat et servat reliquias ante et post sumptionem et est antiquissimum servare illas in ecclesia. Faventque damnationi capita citata [in] articulis duobus inmediate [praecedentibus]. |

Octavus articulus: *De iure divino esse sub utraque ...*[60] 119r

Primum quoad parvulos meum iudicium est non esse iuris divini (imo contra illud) sub altera nec sub utraque specie communicare, tum quia eucharistia non est eis necessaria necessitate effectus aut salutis, quia per baptismum sunt in gratia, nec est dicendum baptismum non sufficere ad salutem. Nec est necessitas praecepti, cum non possint parvuli implere. Certe irrationabile esset ponere praeceptum ei, qui non potest implere. Imo nec parvulis est in praecepto baptismus. Non enim parvulus decedens sine baptismo damnatur ob hoc, quod tenebatur sumere baptismum et non fecit, sed propter peccatum originale; adultus vero decedens sine baptismo damnatur propter originale et propter transgressionem praecepti de baptismo, cuius est capax. Et iam declaravit ecclesia hanc rem. Si quidem in concilio Cartaginensi III praecepit, ne pueris daretur eucharistia[61]. Subscribit adhuc ecclesia cap. [12] *Omnis utriusque sexus* [X] de poenit. et remissione [V 38], quo praecipit sumere eucharistiam eos, qui *perveniunt ad annos discretionis*[62].

[52] Conc. Trid. VII, I 112, 22s.

[52a] Cf. *Augustinus*, Ad inquisitiones Ianuarii epist. 54, c. 3, 4 (CSEL XXXIV, II 162, 16s.). *Ps.-Augustinus*, serm. 84 in append. c. 3 (*Migne*, PL XXXIX 1909). Conc. Trid. VI, II 539, 32 cum adn. 429; VI, III 497, 38s. cum adn. 102.

[53] Luc. 19, 20.

[54] *Friedberg* II 642.

[55] *Friedberg* I 1351s.

[56] *Ps.-Augustinus*, De visitatione infirmorum II, c. 4 (*Migne*, PL XL 1154).

[57] Conc. Trid. VII, I 113, 3s.

[58] Conc. Toletanum XII (a. 681), c. 5 (*Bruns* I 326. *J. Vives*, Concilios Visigót. e Hisp.-Rom., Barcelona-Madrid 1963, 393) = c. 11 *Relatum* de cons. dist. 2 (*Friedberg* I 1317).

[59] Conc. Trid. l. c. 113, 7s.

[60] Ibid. 113, 11s.

[61] Conc. Carthaginense III (a. 397), c. 5: „placuit, ut... sacramentum catechumenis non detur" (*Bruns* I 123. CChr. CXLIX 33, 10s.; 330, 29s.); de parvulis vero ibid. non fit mentio.

[62] *Friedberg* II 887.

Digitized by Google

De adultis: censeo esse iuris divini sacerdotes sumere eucharistiam sub utraque specie, dum celebrant; secus, si non celebrent; tunc sicut laici reputabuntur. Imo crederem non posse per ecclesiam dispensari missam confici sumpta communione sub altera specie, propterea quod, sicut est ius divinum de missa celebranda, ita de integritate missae est iuris divini. Non loquor de missa ad eum modum, quo est modo in ecclesia, sed quantum ad substantiam, quae consistit in oblatione sacrificii, quod munus pertinet ad sacerdotes, quibus haec misteria Deus
119v tradidit dispensanda. — Quantum ad | laicos adultos attinet, est certum non esse ius divinum communicandos esse sub altera specie tantum eo modo, quo fit in ecclesia catholica hodie; primum, quia non scio tale praeceptum divinum de communione sub altera specie tantum, tum quia aliquando ecclesia observavit morem communicandi laicos sub utraque specie, tum etiam, quia factum Christi in institutione sacramenti eucharistiae potius favet communionem sub utraque specie esse tribuendam populo quam sub altera tantum. Hinc sequitur iure divino non prohiberi laicos communicare sub utraque specie.

Addo tertium: non esse praeceptum divinum de communione laicorum sub utraque specie. Nam quod Christus apostolis suum corpus et sanguinem comedendum ac bibendum tradiderit, non argumentatur esse iuris divini. Nam et sub altera specie tradidisse discipulis euntibus in Emaus (qui *eum* in fractione panis *cognoverunt*[63]) asserunt Theophilactus, Luc. 24. cap.[64], Augustinus lib. 3 De consensu evangelistarum[65], Chrisostomus in hom. 17 super Matth.[66] et Beda super Lucam[67]. Apostoli quoque communionem sub altera specie praticarunt[a], Act. 2 [42]: *Erant* omnes *perseverantes in doctrina apostolorum et fractione panis* et cap. 20 [7]: *Una sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, profecturus in crastinum Paulus disputabat cum eis.* Nulla tamen mentio fit de calice. Non ergo est, unde colligamus unum potius quam alterum esse iuris divini. Quod ergo Christus dederit corpus suum sumendum sub utraque specie, ad sacerdotes pertinet, quibus, cum celebrant, iuris divini diximus[b] esse utraque specie uti. Nec omnia facta Christi ibi sunt necessario servanda, cum non omnia sint de substantia rei; alias ecclesia non potuisset statuere communionem aut missam celebrari mane[68] et accedentes ieiunos[69] haec misteria peragere, eo quod Christus sero peregit et cenatis porrexit.

Nec est, quod querantur laici, quod priventur aliqua gratia sacramentali, si maior datur sub utraque specie quam sub altera, quia utraque species non est eis debita aliquo iure et iustis de causis potuit statuere [ecclesia], quamquam et sub una et utraque specie permittat ius divi-
120r num. Alias querantur sacerdotes, quod non permittuntur nisi semel quotidie | celebrare, et querantur laici, quod non permittuntur quotidie communicare. Non debetur eis utraque species, et sa[lu]briter et sancte factum est, ne eis administretur, sicut optime faceret, si non permitteret mulierculas quotidie accedere ad hoc dignissimum sacramentum. Cum ergo [nec] unum nec aliud sit iuris divini, potuit ecclesia statuere et mutare morem communicandi sub altera specie, praecipiendo tantum sub altera specie fieri communionem laicorum, sicut mutavit formam baptismi. Cum ⌜enim certo tempore⌝[c] administraretur *in nomine Christi*[70], praecepit de cetero *in nomine patris, filii et spiritus sancti* administrandum. Habuit ecclesia latina azimum panem pro materia eucharistiae, mutavit in fermentato[a]; post vero praecepit in azimo consecrari corpus Domini et modo utitur eo[71]; admiscuit aquam vino pro materia sanguinis, quam non legit, sed credit in vino Christum apposuisse[72]. Et praecepit ecclesia *abstineri a suffocato et sanguine*[73], quod modo non servatur. Ita ergo potuit limitare et praecipere laicos altera specie uti tantum, quod prohibuit in concilio Constantiensi[74], etsi antiquior fuerit consuetudo communicandi sub altera specie, cuius meminit b. Cyprianus lib. 4 epist. 2[75]. Et b. Ignatius in epist. ad Ephesios commendat, ut *inprevaricabili sensu frangant panem*[76], nulla mentione facta de altera specie. Quare, licet articulus hic non esset de haeresi damnandus stando in solo iure divino

[a] *cod. sic* [b] *cod.* dixissimus [c] *supra lin. add.*

[63] Luc. 24, 30s.
[64] Enarr. in evang. Luc. c. 24, 25ss. (*Migne*, PG CXXIII 1120 A).
[65] De consensu evangelist. III 25, 72 (CSEL XLIII 372, 6s.).
[66] *Ps.-Io. Chrysostomus*, Opus imperfectum in Matthaeum hom. 17 (*Migne*, PG LVI 729).
[67] Expositio in Lucae evang. VI, c. 24, 35 (CChr. CXX 417, 2155ss.).
[68] C. 51 *Necesse* de consecr. dist. 1.
[69] Conc. Carthaginense III (a. 397), c. 29 (*Bruns* I 127. CChr. CXLIX 41, 160s.; 185, 102; 334, 180). C. 54 *Liquido* de consecr. dist. 2.
[70] Cf. Act. 2, 38; 8, 16; 10, 48; 19, 5. Vide *B. Bartmann*, Lehrbuch d. Dogmatik II[6], Freiburg 1923, 268ss. *B. Neunheuser*, Taufe u. Firmung, in: Handbuch d. Dogmengesch. IV 2, Freiburg 1956, 6.
[71] Cf. *J. A. Jungmann*, Missarum sollemnia II, Freiburg [5]1962, 41ss.
[72] Cf. ibid. II 48ss.
[73] Act. 15, 29.
[74] Decr. *Cum in nonnullis* (15. Iun. 1415); vide supra p. 97, adn. 7.
[75] Nunc epist. 55 ad Antonianum; intelligenda esse videntur quae leguntur in c. 11: „sic tamen admissus est Trofimus, ut laicus communicet" (CSEL III 632, 5s.).
[76] Ad Eph. c. 20, 2 (Die apost. Väter, ed. *Biblmeyer-Schneemelcher*, Tübingen 1956, 88, 14).

Digitized by Google

seclusa quacumque determinatione ecclesiae, iam vero post concilium haereticum est dicere esse iuris divini, et haereticus censendus est meo iudicio.

Articulus nonus: *Non contineri sub altera specie . . .*[77]

Prior pars huius articuli est haeretica, damnata contra Nestorium in concilio Ephesino I[78]. Et probatur, quia sub speciebus panis est corpus Christi et sub speciebus vini sanguis eo modo, quo est in coelo. Sed sanguis est in corpore et corpus non est sine sanguine. Christus enim *iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*[79]. Ergo sub speciebus sanguinis est corpus et divinitas per concomitantiam et sub specie panis est sanguis et divinitas. Alias autem oporteret Christi sanguinem a corpore quotidie separari. | Nec superflua est altera species, propterea 120v
quod sub altera continetur quantum sub utraque de re sacramenti. Nam repraesentatio non esset tanta; sub altera specie significatur corpus aut sanguinem[a] traditum in redemptionem. Sub utraque vero ambo tradita significantur. Nec sub altera esset perfecta mortis Christi significatio aut commemoratio, quae maxime fit in sacrificio missae et hoc sacramento dicente Paulo 1 Cor. 11 [26]: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Quantum attinet ad secundam partem articuli, crederem esse explicationem prioris partis, ita quod sit dicere, quod, sicut non continetur tantum sub altera specie quantum sub utraque, ita non sumitur tantum de re contenta in sacramento sub altera quantum sub utraque specie. Et hoc modo plane haeretica est haec pars. Verum, quia potest pati alium sensum, scilicet quod suscipiens sacramentum sub altera specie non suscipit tantum de re sacramenti, scilicet tantam gratiam sacramentalem, quod de ratione sacramenti est, itaque dato, [quod] non esset corpus et sanguis Domini in eucharistia, si esset sacramentum (ut potuit Deus instituere sicut baptismum etc., qui praeter gratiam non continet quid supernaturale aliud), haberet locum quaestio, an plus gratiae detur suscipienti sacramentum sub utraque specie quam suscipienti sub altera. In hoc, inquam, sensu secunda pars articuli non est haeretica, erronea, male sonans nec scandalosa, sed valde probabilis et forte probabilior quam opposita. Nam gratia non datur, ut dicebam, in sacramento altaris ratione rei contentae, sed eo, quod simul sacramentum est; ergo quod tantum contineatur sub una quantum sub utraque specie, non refert.

Cum ergo sub utraque specie sumatur totum sacramentum, secundum pleniorem rationem sacramenti sequitur maiorem effectum causare quam sub altera tantum specie; tum quia gratia sacramentalis non est aequalis in omnibus utentibus sacramento. Non enim credo verum omnes sacerdotes digne accedentes nec laicos digne accedentes aequalem gratiam consequi sacramentalem, sed adhuc gratiam sacramentalem correspondere praeparationi maiori aut minori. Cum ergo, cum sacerdos accedit ad sanguinem, potuerit devotius adhuc accedere, quam accesserit ad corpus, non est, cur maiorem gratiam non consequatur. Cum quo stat laicum adeo devote accedere ad eucharistiam, quod plus gratiae consequatur quam sacerdos sub utraque specie. Sed ceteris paribus, aequali scilicet praeparatione etc., non video, cur non maiorem gratiam consequatur sacerdos, cum sit de sacramento sub utraque specie plus quam sub altera specie. Est enim integrum et perfectum sacramentum, ratione cuius gratia datur, non autem ratione rei contentae, ut dictum est. Quare sum in opinione[b], | quod utraque pars sit probabilis et quod 121r
detur maior gratia sub utraque quam sub altera specie (et quod oppositum contingat), quod disputatur a theologis nec reputatur ab eis erroneum. Nec audiendi videntur haeretici, qui querantur se defraudatos fructu alterius speciei, tum quod non sit eis debita utraque species iure divino, sed solis sacerdotibus, tum quod dato, [quod] esset iure divino permissa eis, ecclesia iustis de causis potuit eos privare consulens bono et reverentiae tanti sacramenti, scil. propter periculum effusionis sanguinis, conservationis in sacrario et delationis eiusdem ad infirmos etc., sine laicorum iniuria etc.

Articulus decimus: *Solam fidem esse sufficientem praeparationem . . .*[80]

Quod *sola fides* sit *sufficiens praeparatio ad sumendam eucharistiam*, est damnatum in hac sancta synodo sess. 6, in qua determinatum est *fidem* manere nec *amitti* per omne peccatum mortale[81].

Quod non teneantur fideles *ad communionem die paschatis*, est contra statutum ecclesiae cap. [12] *Omnis utriusque sexus* [X] de penit. et remiss. [V 38][82]. Dicere ergo *non teneri* est dicere eccle-

[a] *cod. sic* [b] *cod.* oppinione

[77] Conc. Trid. VII, I 113, 20s.
[78] *Cyrillus Alexandr.*, epist. tertia ad Nestorium, c. 7 (Acta conc. oecum. ed. *E. Schwartz* tom. I, vol. I, 1, 37, 25ss., graece; vol. II 48, 34ss., latine).
[79] Rom. 6, 9.
[80] Conc. Trid. VII, I 114, 1ss.
[81] Can. 28 de iustificat. (Conc. Trid. V 799, 29s.).
[82] Vide supra adn. 62.

Digitized by Google

siam non posse obligare ad communionem, quod haereticum est. Ac ideo duas has partes haereticas censeo omnino esse.

Quantum vero attinet ad *confessionem*, an sit necessario praemittenda sumptioni eucharistiae citra paschatis tempore[a] ab eo, qui habet peccatum mortale non confessum, crederem omnino absolute loquendo non esse necessario praemittendam; tum quia gratia est *praeparatio sufficiens* ad eucharistiam, volo habere, quod dignitas requisita et sufficiens est gratia; haec autem potest haberi sine confessione per contritionem. Non enim alligavit Deus potentiam et gratiam suam sacramentis sic, quod gratiam non impartiatur citra sacramentum poenitentiae, nec hoc potest negari a theologo. Ergo ad consequendum Dei gratiam absolute loquendo et de per se non est necessaria confessio; ergo nec est necessarium praecedere confessionem ad sumptionem eucharistie. Est quidem confessio necessaria ad meliorem consecutionem gratiae, non tamen simpliciter, quod [aliquis] non possit consequi sine confessione. Sicut ergo qui diceret ad salutem non esse necessaria alia sacramenta praeter baptismum, non erraret absolute nec diceret
121v falsum, dato [quod] alia sacramenta sint necessaria ad meliorem | consecutionem, scilicet faciliorem, gloriae, ita dicere *confessionem non esse necessariam* ad gratiam habendam simpliciter non est dicere falsum, licet sit verum confessionem esse necessariam ad meliorem consecutionem gratiae, quia est remedium contra peccatum. Cum ergo citra confessionem possit aliquis esse in gratia, quam qui haberet digne accederet, sequitur confessionem non esse necessario praemittendam. Nec refert dicere esse necessariam, quia homo non scit se habere contritionem. Nam, quod sciat aut non sciat, non tollit dignitatem, nec est necessarium scire, an habeam gratiam[b], cum neque post confessionem sciam me consecutum fuisse gratiam. Nec, quod melius est confiteri quam non confiteri prius peccata, negamus; sed hoc, quod melius sit, teneri negamus. Alias autem teneremur ad consilia, si, quod melius est, obligat sub obligatione aut poena peccati. Tum quia non est necessaria necessitate praecepti humani, quod solum obligat tempore paschatis. Nec divini praecepti est necessitas, quia non videtur, quod sic praeter dictum apostoli: *Probet autem seipsum homo*[83], quod non praecipit confessionem et probationem ab alio fieri quam a seipso[84]. Tum quia, si aliquis accedat cum peccato mortali indigne, dupliciter peccaret, scil. quia indigne accedit et quia non est confessus, quod esset multiplicare peccata. Tum quia, si aliquis in gratia existens per contritionem accederet ad eucharistiam sine confessione, peccaret mortaliter; nam tale praeceptum si esset, cum sit de re gravi, ad mortale obligaret. Tum quia durum videtur omnino dicere, quod necessaria sit gratia sacramenti poenitentiae ad eucharistiam quodque alia Dei gratia non sit dignitas ad tantum sacramentum. Hoc certe videntur dicere, qui necessitatem absolutam dicunt esse praeviae confessionis. Tum quod, si iure divino teneretur confiteri homo, adeo necessaria esset confessio sicut contritio, quia non aliter quam iure divino videtur necessaria contritio. Consequens tamen non videtur verum; nam licet in casu accedere non confessum secundum omnium sententiam, in nullo tamen licet accedere non contritum. Propter hoc videtur michi, absolute loquendo, non esse necessariam praeviam confessionem, cum sine illa possit haberi gratia Dei per contritionem. Et licet melius sit confiteri, non videtur innuere obligationem peccati mortalis. Tamen, quia non capientibus
122r verbum hoc posset errandi esse occasio, faciliter credentibus citra confessionem | quamcumque peccatorum displicentiam sufficere ad digne communicandum, et conscientia ipsa clamat, cum praetermissa confessione aliquis accedit, statuendum foret a sacrosancta synodo et praecipiendum, quid in hac re opus sit Dei populum servare.

Quae autem dixi et sentio, summitto censurae sanctissimi concilii, paratus animo tenere et credere quae decreverit, uti teneo et credo, quae credenda tradit et tenet sancta mater ecclesia Romana, quae catholica est.

Doctor Franciscus de Toro, canonicus Granatensis.

[a] *cod. sic* [b] *cod. perg.:* tum quia non potest de eo haberi nisi fides humana saltem *(del.)*

[83] 1 Cor. 11, 28.

[84] Cf. *Thomas de Vio card. Caietanus*, Epistolae Pauli ... iuxta sensum literalem enarratae, in 1 Cor. 11, 28: „sic significat, quod ad non indigne sumendum sufficit, quod homo se ipsum probaverit. Et hinc trahitur argumentum, quod non est necessarium simpliciter et absolute hominem probatum esse a confessore ad hoc, ut sumat non indigne eucharistiam" (Venetiis 1531, 60r). Vide supra p. 100, 24s. et infra p. 140, 25s. cum adn. 106.

Digitized by Google

4.

D. Franciscus de Heredia, procurator episcopi Tirasonensis Sententia super articulis de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 11. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 72r–73r *(autogr.)*

Articuli de sacramento eucharistiae
per Dominos theologos examinandi, an sint heretici et per sanctam synodum damnandi

[Sequuntur 10 articuli, quos vide Conc. Trid. VII, I 111–114]

Primum articulum omnino censeo hereticum quoad omnes suas partes [primo,] quia est falsus et fidei orthodoxae contrarius. — Secundo. Quia repugnat dictis sacrae scripturae; nam per illa verba, quae habent Mattheus c. 26 [26s.] et Marc. 14 [22. 24] et Lucas 22 [19s.] et Paulus 1 ad Cor. 11 [24s.], videlicet *Hoc est corpus meum*, habemus et inferimus, quod corpus Christi sit in eucharistia. — Tertio. Si consyderemus circunstantias scripturae, quae solent iuxta Augustinum illuminare sententiam[2], habebimus, quod per illa verba: *Hoc est corpus meum* non sit Dominus locutus figurative. Circunstantiae autem sunt: pollicitatio Christi, quando dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, quam dabo *pro mundi vita*[3] et: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*[4], ubi *vere* geminatur, et: *Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem etc.*[5], ubi Dominus iurat et *Amen* replicat. Consyderemus etiam illud: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar*[6], et illud: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*[7] et illud: *Quod pro vobis tradetur*[8], ex quibus omnibus deducitur intentum. — Quarto. Convincitur corpus Christi esse in sacramento vere et realiter per illud, quod Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*[9] et iterum: *Hoc facite, quotiescunque bibetis etc.*[10], ex quo verbo *facite* ego conclusi Christum | praecepisse suis, quod dicentes illa verba, que ipse dixit, scilicet *Hoc est corpus meum*, consecrarent ministerialiter etc. — Quinto. Quia, si in eucharistia non continerentur verum corpus et sanguis Christi, sequeretur, quod Dominus de figura in figuram procederet continuans potius figuras quam implens per illud novissimum convivium, quia, si tantum est in sacramento corpus Christi ut in signo, panis ergo est modo in ecclesia significans Christum, sicut erat in synagoga, quod est falsum. — Sexto. Quia, cum standum sit definitionibus ecclesiae nec aliter heretici recipiant sancta dogmata, nisi quia recipiunt scripturam, scripturam autem recipere debent, quia ecclesia dicit eam esse recipiendam[11], igitur quia ecclesia credit et docet, quod in eucharistia est corpus Christi etc., ita debemus omnes tenere. — Septimo. Confirmatur authoritatibus diversis sanctorum et antiquorum patrum, quas modo omitto etc.

[Conc. 14 72r; 72v]

Quod secundo dicunt heretici in illo primo articulo, quod *divinitas Christi non est in eucharistia*, etiam est hereticum. Nam cum ibi sit corpus et sanguis Christi, et quod Deus semel assumpsit, nunquam dimisit, non est ibi ergo corpus sine divinitate; tum etiam, quia Christus *iam non moritur*[12]. Quare etc.

Ultima pars articuli, scilicet quod corpus Christi et sanguis non sint in eucharistia, *sed tantum ut in signo*, iam patet, quam sit heretica, ex dictis circa primam partem.

Tertius articulus est etiam hereticus, in quo dicitur, quod corpus et sanguis Christi sint *simul cum substantia panis et vini*, et quod *non sit transubstantiatio, sed unio hypostatica humanitatis et substantiae panis et vini, ita quod verum sit dicere: Hic panis est corpus Christi, et: Hoc vinum est sanguis Christi*[13]. Nam quod in eucharistia sit corpus et sanguis Christi, verum est; sed falsum

[a] *Massarellus f. 72r in marg. super. hunc add. titulum:* Sententia D. Francisci de Heredia, procuratoris episcopi Tirasonensis, recitata in synodo Tridenti 11. Sept. 1551

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 134, 6–38. De auctore cf. ibid. adn. 3 et supra p. 6, adn. 1.

[2] De doctrina christ. III, c. 4, 8: „difficillime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros divinarum scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis, qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum conlatio ... solvat inspectio" (CChr. XXXII 82, 18ss.).

[3] Io. 6, 52.

[4] Io. 6, 56.

[5] Io. 6, 54.

[6] Luc. 22, 15.

[7] Io. 13, 1.

[8] 1 Cor. 11, 24.

[9] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.

[10] 1 Cor. 11, 25.

[11] Sess. IV, decr. I *Sacrosancta* (Conc. Trid. V 91, 10ss.).

[12] Rom. 6, 9.

[13] Conc. Trid. VII, I 112, 7–10.

Digitized by Google

est, quod sit *simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transubstanciatio.* Nam cum ibi non remaneat substantia panis et vini et sint corpus et sanguis Christi, consequens est, quod fuerit transubstanciatio. Deinde cum humana natura indiguit redimi, quae lapsa est, ideo asumsit[a] eam Verbum divinum. Ergo si panis assumitur, peccavit igitur ipse panis et redimendus erat; et si in cena illum absumpsit, igitur in resurrectione illum reassumpsit. Amplius in crucem panis crucifixus esset, imo postea sepultus cum corpore Christi, et nunc haberet illum Christus in celo, quae omnia sunt absurda. Quare etc.

Quintus articulus est etiam hereticus primo, quia, si verus esset, sequeretur universam ecclesiam ydololatram fuisse eandemque male docuisse. — Secundo. Scriptura hanc adorationem praecipit. — Tertio, quia, si dicis, quod ob hoc non est adorandus Christus ibi, quia corporeis oculis ipsum non cernimus, habet fides oculos suos, quibus videmus. Item, si quod Deum non videmus, non est a nobis adorandus, quando aut ubi adorabimus Deum? Item si dicis: Non legitur in evangelio apostolos adorasse illum in cena, dicam tibi, quod nec invenitur, quod mater adoraverit eum — Alias partes ommitto, quod credam, pari nota inurendas esse de se constet.

Septimus articulus est etiam hereticus; nam primo hereticum est, quod *in particulis*
73r *consecratis post communionem remanentibus non remaneat corpus Christi*[14], cum in par|ticulis consecratis remanentibus, postquam communicavit Petrus vel alius apostolus, remanebat corpus Christi; alias alii apostoli illud non recepissent.

Ultima pars articuli est etiam heretica, scilicet *tantum esse, dum sumitur, non autem ante nec post sumptionem*[14], ut deducitur ex his, que habet Augustinus super Ps. 33[15], et habetur de consecr. dist. 2 c. [92] *Accesserunt ad Iesum*[16], ubi citat illud: *David ferebatur manibus suis* et dicit illud debere intelligi de Christo, *quando commendans suum corpus dixit: Hoc est corpus meum*, et postea dedit illud. Igitur erat ante sumptionem. — Secundo. Idem Augustinus Ps. 27 ait: „De carne Marie carnem accepit. Et ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit“[17]. Ex quibus verbis elicitur plane, quod, si, antequam manducetur, est adoranda illa caro, quod ante communionem vel sumptionem erat in eucharistia. Quare totus articulus est hereticus.

Articulus octavus est etiam hereticus primo, quia determinatum est in concilio Constanciensi[18]: dicere communionem sub utraque specie esse de necessitate salutis omni fideli est heresis ibidem publice condemnata. Secundo. Communio eucharistiae sub utraque specie omnibus fidelibus non fuit lege praecepta a Christo. Tertio. Obiectiones hereticorum facile solvuntur. Quarto. Christi corpus in eucharistia secularibus non dari sub utraque specie, ecclesia sancte et laudabiliter sancivit[19]. Quare etc.

Ultimus articulus quo ad primam suam partem est hereticus. Primo. Nam omnes, quotquot tot retro seculis praecesserunt patres orthodoxi, dicunt ultra fidem aliquid aliud requiri ad sufficientem praeparationem etc.; loquor de fide informi. Secundo. Illa pars est contra sacram scripturam, maxime illam, que narrat lotionem pedum apostolorum[20]. Tertio. Contra illud Pauli 1 Cor. 11 [28]: *Probet autem se ipsum homo etc.* Quarto. Contra innumeras authoritates sanctorum. Quinto. Quis dicet, quod homicida, blasphemus, periurus, qui non admituntur[a] in civitatibus bene institutis ad societatem aliorum, quinimmo puniuntur tanquam scelerati, accipiant digne eucharistiam?

Secunda pars articuli, quod ad suscipiendum eucharistiam *confessio non sit necessaria*[21]*:* hanc partem ego non condemnarem tanquam hereticam, bene tamen (meo iudicio, salvo semper meliori) tanquam scandalosam et piarum aurium offensivam. Praebet omnem occasionem ruine, et ut parvi pendatur sanctissima eucharistia, a cuius devotione et reverentia avertit sacerdotes, immo etiam laicos. Quare etc.

[a] *cod. sic*

[14] Ibid. 113, 7s.

[15] Enarr. in Ps. 33, serm. I, c. 10 (CChr. XXXVIII 281, 6ss.).

[16] § 5 (*Friedberg* I 1351). Cf. *Augustinus*, Enarr. in Ps. 33, sermo II, c. 10 (l. c. 288, 10ss.). Versionis forma: *David ferebatur manibus suis* secuta est Septuaginta, ubi 1 Reg. 21, 14 legitur: παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, in Vulgata vero: *collabebatur inter manus eorum.*

[17] Potius Enarr. in Ps. 98, c. 9 (CChr. XXXIX 1385, 21–24). Vide Ps. 98, 5 et c. 92 *Accesserunt* l. c. Eadem allegata erant Tridenti diebus 7. et 11. Februarii 1547; cf. Conc. Trid. V 886, 46–48; 917, 1–2.

[18] Sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis* (*Mansi* XXVII 728 A); cf. supra p. 97, adn. 7.

[19] Ibid.

[20] Io. 13, 5ss.

[21] Conc. Trid. VII, I 114, 2.

Digitized by Google

Ultimam partem huius ultimi articuli censeo hereticam et etiam articulos alios, quos pretermisi gratia brevitatis, et quod videantur manifeste erronei et quod preter ea, que sapienter circa eos dicta sunt, nihil videatur a me addi posse.

Hec, quae hic scripta sunt circa illos decem articulos de sanctissima eucharistia et quaecumque circa illos dixi et alias dixero, et meipsum semper submitto correctioni et censure sacrosancti concilii.

Franciscus de Heredia, Hispanus, artium et theologiae doctor.

5.

Antonius Arias, familiaris archiepiscopi Panormitani Votum super primo articulo de eucharistia[1]

Tridenti, die 11. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 87r *(autogr.)*

Articulus primus est totus cum suis partibus omnibus condemnandus. Nam oppositum tenet ecclesia catholica Romana, quod Christus est *re vera* in sacratissima eucharistia et non *[ut] in signo*[2]; nam Christus ita instituit realiter et non figurate hoc sacramentum. Ita secuti sunt evangelistae, Paulus, concilia, sanctissimi patres ad nostra usque tempora. Et veritas probatur ex illo loco evangelico, quo usus est Christus, cum ait: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*[3], ubi *est* capitur substantive et non figurate, quia substantia panis transubstantiatur in verum corpus Christi et substantia vini in verum sanguinem Christi. Nam si Christus esset in signo, sequeretur, quod esset signum signi. Item sequeretur, quod lex vetus esset perfectior nostra; hinc multa id genus absurda sequerentur. Conc. 14 87r

Arias.

6.

Petrus Frago, familiaris episcopi Pacensis Votum super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 12. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 89r–91v *(autogr.)*

Iussus a R^mis D^nibus Vestris meam qualemcunque de propositis articulis sententiam pronuncio eandemque ac meipsum sacrosanctae oecumenicae synodo, qua debeo humilitate, subiicio. Conc. 14 89r

1. Primus articulus manifestam continet haeresin, quae plerisque sacrae scripturae locis refutatur et convellitur multisque synodorum decretis subinde oppressa est: Vercellensis, Turonensis et Romae[a] sub Nicolao II, ubi heresiarcha Berengarius pravitatem suam recantavit, ut habetur de cons. dist. [2] c. [42] *Ego Berengarius*[3]. Praeterea concilio Constantiensi sess. 8[4] et Florentino in unione Iacobinorum[a] et Armenorum[5]. Addo firmissimum fundamentum, eccle-

[a] *cod. sic*

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 134, 39–135, 7.
[2] Cf. ibid. 111, 10ss.
[3] Matth. 26, 26. 28; Marc. 14, 22. 24; Luc. 22, 19.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 135, 10–136, 2. De auctore cf. ibid. 45[1]; 135[1]. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 914–923.
[2] De synodis Vercellensi (a. 1050), Turonensi (a. 1054), Lateranensi (a. 1059) vide supra p. 102, 16ss. cum adn. 33–35.
[3] Prima Berengarii abiuratio in conc. Romano a. 1059 habita, *Friedberg* I 1328s.
[4] Sess. VIII (4. Maii 1415), errores Io. Wicleff (damnati per bullam *Inter cunctas*) n. 1–3 (*Mansi* XXVII 632 E. 1207 E. *Denzinger* l. c. n. 1151–1153).
[5] Decr. pro Armenis (22. Nov. 1439, *Mansi* XXXI 1057 C). Decr. pro Iacobitis (4. Febr. 1441, Concilium Florent., Ser. A, Epist. pontif. III, ed. *G. Hofmann*, Romae 1946, n. 258, p. 59, 7ss. et 62, 22ss.). Cf. *Denzinger* l. c. n. 1321 et 1352.

Digitized by Google

siae nempe traditionem et consensum et constantissimam orthodoxorum scriptorum tam Graecorum quam Latinorum sententiam, qui asseverant non *ut in signo*, sed *re vera et identice*[6] Christum in hoc sacramento contineri.

2. Hic mihi [secundus] articulus valde suspectus est. Nam licet in speciem prior eius pars videatur sana, dolose tamen ab haereticis dicitur *exhiberi*, non contineri. Aiunt siquidem illi manducare Christi carnem et eius sanguinem bibere nihil esse aliud quam in Christum ipsum spiritualiter ibi exhibitum credere. Unde Calvinus lib. suarum Institutionum c. 18 eucharistiam solam *fidei manducationem* esse tradit[7]. Conantur haeretici suam hanc pravitatem fulcire dictitantes c. 6 Ioannis de spirituali solum manducatione oportere intelligi. Et impudentissime affirmant d. Augustinum idem sensisse, quod dicit: *Ut quid paras dentem et ventrem etc.*[8], cum ex iis, quae in idem caput scripsit, constet utramque eum manducationem, spiritualem nempe et sacramentalem, apertissime esse professum, multisque etiam aliis locis[a] ut 46. homil. de verbis Domini[9], homil. 2 de verbis apostoli[10] et lib. 21 c. 25 De civitate Dei[11]. |

89v 3. Primam tertii articuli partem, prout verba sonant, veram esse aio ex iis, quae in primum articulum dicta sunt. Panis tamen et vini substantiam, quam haeretici ibidem remanere comminiscuntur, *transsubstantiatis* iuxta Lateranense concilium *pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina*[12] una cum ipsa haeresi excludimus. Caetera eiusdem articuli falsissima et absurdissima esse iudico.

4. Quartus articulus haeresin sapere videtur. Nam si in *solam peccatorum remissionem eucharistia est instituta*[13], tolleretur e medio, quod Christus nobis iubet: *Hoc facite in meam commemorationem*[14]. Praeterea nullum esset augmentum gratiae, nullus spiritus sancti arrabo ac plurimi perirent effectus, qui ex digna huius sacramenti sumptione proficiscuntur.

5. Quintus articulus videtur in speciem blandior. Si tamen fraudulenter negat Christum in eucharistia esse realiter, nefariam iam pronunciavi haeresin. Sin vero ibi esse credunt, cum Christus verus non minus Deus quam homo sit, summa debacchatur insania, qui illi, sive in coelo sit localiter sive in altari sacramentaliter, latriae adorationem adimit. Ex eadem impietate illa ortum habent: *non esse festis venerandum etc.*[15], cum, quod Urbanus papa IV in huius sacramenti venerationem instituit, Viennense concilium confirmaverit[16]. Atque ita ab ecclesia receptum pientissime observatur et observabitur, licet haeretici Iudaeorum exemplo obstinate conentur
90r *mittere lignum* (iuxta prophetam) *in panem* Domini[17]. Cumque idem | Christus non modo medicus sed praesentissima etiam sit medicina[17a], ingratissime eius in nos charitati et beneficentiae detrahit, qui eum ad infirmos deferendum negaverit, cum ipse dixerit non bene, *sed male habentibus esse opus medico*[18]. Eoque, ut huic hominum impietati sacrosancta Nicena synodus[19] iret obviam, cavit — ⌜idem statuit Arausicana synodus c. 3[20]⌝[b] — ⌜idque ex veteri iam more⌝[c], ne quis *ex corpore recessurus necessario vitae suae viatico defraudaretur*[21]. Si quis contra senserit, haereticum iudico.

6. Sextus articulus, qua dicit *eucharistiam non esse servandam*[22], solo de eucharistiae custodia titulo[23] convellitur. Idem praecipitur c. [10] *Sane cum olim*[24] [X] de celebratione miss. [III

[a] *loco del.* partibus [b] *add. in marg. superiore* [c] *add. in marg.*

[6] Conc. Constantiense, error Io. Wicleff n. 3; cf. supra adn. 4. *Denzinger* l. c. n. 1153.

[7] *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. (1539–1554), c. 18, n. 13: „Quemadmodum non aspectus, sed esus panis corpori alimentum sufficit, ita vere ac penitus participem Christi animam fieri convenit, ut ipsius virtute in vitam spiritualem vegetetur. Interim vero hanc non aliam esse quam fidei manducationem fatemur" (Corp. Ref. XXIX 999. Ed. *P. Barth-G. Niesel* V, Monachii 1936, 347, 10ss.).

[8] In Ioh. evang. tract. XXV, c. 12 (CChr. XXXVI 254, 8s.).

[9] Sermo 132 (al. de verbis Domini 46), c. 1 (*Migne*, PL XXXVIII 735). Cf. Conc. Trid. V 889, 34 cum adn. 5.

[10] Sermo 131 (al. de verbis apostoli 2), c. 1 (ibid. 729).

[11] De civitate Dei XXI, c. 25 (CChr. XLVIII 794, 28ss.).

[12] Conc. Lateranense IV, c. 1 = c. 1 *Firmiter* X de s. trinit. et fide cath. I 1, § 3.

[13] Conc. Trid. VII, I 112, 20.

[14] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.

[15] Conc. Trid. l. c. 112, 22.

[16] Cf. *Urbani IV* bullam *Transiturus* (*Potthast*, Reg. 18998) approbatam a Clemente V in conc. Viennensi (a. 1311) = c. un. *Si Dominum* Clem. de reliqu. et venerat. sanct. III 16. *H. Kellner*, Heortologie, Freiburg 1901, 79s.

[17] Ier. 11, 19.

[17a] Cf. *Augustinus*, serm. 88, c. 1, et serm. 175, c. 3 (*Migne*, PL XXXVIII 539. 946). *Idem*, Ad inquisitiones Ianuarii epist. 54, c. 3, 4; vide supra p. 105, 14 cum adn. 52a.

[18] Matth. 9, 12.

[19] Conc. Nicaenum I (a. 325), c. 13 (*Bruns* I 18. Conc. oec. decreta[3] l. c. 12, 22ss.).

[20] Conc. Arausicanum I (a. 441), c. 3 (CChr. CXLVIII 78, 11ss.).

[21] Recensio Ps.-Isidori c. 12 (*Hinschius*, Decretales 259).

[22] Conc. Trid. VII, I 113, 3.

[23] X de custodia eucharistiae, chrismatis et alior. sacrament. III 44 (*Friedberg* II 649).

[24] *Friedberg* II 642.

Digitized by Google

41], c. [93] *Presbyter*[25] de consecr. dist 2. — *Nec licet* modo, *ut quis se* celebrando *communicet.* Verum etiamsi id omitteret, antiquissimam violaret nascentis ecclesiae consuetudinem, quam tradit Dionysius c. 3 De eccl. hierarchia[26]. Atque ob id Toletanum concilium can. 5[27] excommunicandum censuit eum, qui sacramentum peragens non sumeret, ut etiam recitatur c. [11] *Relatum* de consecr. dist. 2[28].

7. Septimus articulus manifestum continet errorem, quoniam non solum in integris hostiis consecratis verum integrumque Christi corpus continetur, verum etiam in qualibet hostiae consecratae et vini consecrati particula separatione facta totus Christus est. Id constans orthodoxorum opinio, id Florentinum concilium ⌜in unione Iacobitarum et Armenorum[29]⌝[a] apertissime confirmat. Non enim vel ipsum corpus vel corporis substantia, sed quantitas dimensiva, quae pani ante consecrationem inerat, frangitur. | Qui contra senserint, in haereseos 90v
suspitionem venire arbitror.

8. Quod ad octavum articulum attinet, licet Corinthi ac passim in primitiva ecclesia sub utraque specie communicatum sit[30], nusquam tamen constabit id a Domino diserte esse iniunctum. Quin et hoc diligenter considerandum censeo, quam frequenter haec ipsa, quae semel praecepta sunt, pro temporum circunstantiis mutentur ab iis, quibus integra est eius rei facultas. Praecepit Dominus Matth. 28 [19] *undecim*, ut *baptizarent omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti.* Paucis post diebus Petrus, apostolorum princeps et Christi vicarius, Act. 2 [38] ita loquitur: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi. Visum est*, Act. 15 [28s.], *spiritui sancto* et apostolis, *ut abstineretur ab idolothytis, sanguine et suffocato.* Paulus tamen, qui eundem spiritum sanctum habuit, 1 Cor. 10 [25] ita scribit[b]: *Omne, quod in macello vaenit, manducate etc.* Ac ne quis levitatem eiusmodi mutationi inesse putet, Augustinus Contra Faustum sapienter nos monet: „Nulla", inquit, „inconstantia praecipientis[c], sed ratione dispensantis pro temporum diversitate praecepta vel consilia vel permissa[d] mutantur"[31]. Idem tradit epist. 5[32]. Si igitur ecclesia spiritu veritatis perpetuo gubernata iam olim, quia ita expediebat, salubrem communicandi populum sub altera tantum specie [consuetudinem] introduxit eandemque Constantiense concilium sessione[e] 13 confirmavit[33], qui eam infringunt[f], pro haereticis habendos censeo. Praeterea parvuli in voto communicantes Christi praeceptum implent. Si quis vero communicandos re ipsa censuerit, vehementer errat, quod liberi arbitrii usu destituti | actualem 91r
reverentiam et devotionem, quae ad huius sacramenti sumptionem requiritur, habere non possunt. Nec possunt *se ipsos probare*, ut Paulus praecipit[34], aut *diiudicare corpus Domini.*

9. Utraque noni articuli pars et falsa est et haeresin sapit. Constans siquidem est omnium theologorum opinio, *tantum sub altera specie quantum sub utraque contineri*[35], quam sententiam Constantiense concilium sess. 13[33] et Florentinum in unione Iacobitarum et Armenorum[36] corroborant. Ac proinde, cum, qui sub altera solum communicat, *integrum Christi corpus et sanguinem* accipiat, ut ibidem asseritur[33], nihil detrimenti vel laicos vel presbyteros non celebrantes capere arbitror, cum sub altera tantum specie sumunt, eoque errare puto, qui contra pertinaciter sentiant.

10. Primam decimi articuli partem falsam et cum haeresi coniunctam arbitror. Nam ut fides requiratur ad omnia, *sine* qua *impossibile est placere Deo*[37], non tamen sufficiens est praeparatio. Adhibendum siquidem diligentissimum conscientiae examen. Neque enim tam iubet Paulus[34], ut sumpturus *probet* fidem suam, quam ut vitam, actiones conscientiamque suam discutiat eandemque expurget. Cumque de vera probatione agitur, confessionem ipsam Augustinus[38], Ambrosius[39], Chrysostomus[40], Anselmus[41], Thomas[42] et plerique alii adhibendam cen-

[a] *add. in marg.* [b] *loco del.* loquitur [c] *supra lin. add.* [d] *cod.* praemissa
[e] *cod.* canone [f] *loco del.* oppugnant

[25] Ibid. I 1351s.
[26] *Ps.-Dionysius Areopag.*, De eccl. hierarchia III, c. 3, 2 (*Migne*, PG III 427/28 C).
[27] Conc. Toletanum XII (a. 681), c. 5 (*Bruns* I 326); cf. supra p. 105, adn. 58.
[28] *Friedberg* I 1317s. [29] Vide supra adn. 5.
[30] Cf. 1 Cor. 10, 16. 20s.; 11, 26. 28s.
[31] Contra Faustum XXII, c. 77 (CSEL XXV, I 677, 10–12).
[32] Ad Marcellinum epist. 138 (olim 5), c. 4 (CSEL XLIV 129, 6ss.).
[33] Conc. Constantiense, sess. XIII (15. VI. 1415) decr. *Cum in nonnullis* (*Mansi* XXVII 727 E); cf. supra p. 97, adn. 7.
[34] 1 Cor. 11, 28s.
[35] Conc. Trid. VII, I 113, 20.
[36] Vide supra adn. 5.
[37] Hebr. 11, 6.
[38] Sermo 351, c. 4, 7 (*Migne*, PL XXXIX 1542). Enarr. in Ps. 94, c. 4 (CChr. XXXIX 1333, 33ss.). *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 3, 8 (*Migne*, PL XL 1115). Liber de salutaribus documentis c. 38 (ibid. 1059).
[39] Ad Theodosium epist. 51, c. 11–13 (*Migne*, PL XVI 1212 Cs.).
[40] In epist. 1 ad Cor. 11, 28 hom. 28, c. 1 (*Migne*, PG LXI 233); cf. Conc. Trid. VII, I 126, adn. 10.
[41] *Anselmus Cantuar.*, Hom. 13: „ex quo tenden-

Digitized by Google

sent, ut non modo Deo per contritionem sed etiam ecclesiae per confessionem reconciliati ad eucharistiam accedamus[43]. Itaque quamvis non putem haereticam eorum opinionem, qui putant 91v exclusa necessitate habitaque confessoris copia aliquem cum conscientia | peccati mortalis nec confessum, licet doleat et ingemiscat de delicto, tuto ad eucharistiam posse accedere, plenam tamen et periculi et scandali esse existimo. Neque ego in re adeo perplexa tam praeceptum de adeundo confessore statuendum quam salutiferam exhortationem adhibendam putarem gravissimum alioqui autoritatis pondus a sacrosancta synodo profectam habituram, qua fideles incitati diligentius se comparent, ut, quam dignissime possint, ad sanctissimam eucharistiam accedant vitam inde, non *iudicium et condemnationem*[44] sumpturi.

Petrus Fragus, doctorum minimus, qui, ut initio professus sum, universa haec et me ipsum sacrosanctae synodi censurae, qua debeo reverentia et humilitate, subiicio.

7.

Ioannes Delphius, familiaris archiepiscopi Treverensis Votum super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 12. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 94r–97v *(autogr?)*

Ad articulum primum

Conc. 14 94r Enarratio scripturae evertens fundamentum historiae seu litterae vera enervatio est, quam in primo articulo videre licet, qui in eucharistia non corpus neque sanguinem Christi, sed *signum* eius esse dicit[2], cum Paulus 1 Cor. 11 [24s.], Marcus 14 [22s.], Matth. 26 [26s.] tam clare corpus et sanguinem esse dicant nulla usquam signi mentione facta et Lucas [22, 19s.] testetur *corpus esse*, *quod pro* nobis datum est, utique in mortem, et *sanguinem*, *qui pro* nobis effusus est. Hic quam absurdum sit dicere signum corporis et sanguinis pro nobis datum et effusum! Iam, cum pro nobis sanguinem suum Christus effunderet, dubium nulli est, quin totus et integer fuerit Deus et homo, quantus et in sacramento esse credendus est non iam mortalis, cuius divinam naturam tempore passionis ante sepulturam centurio una cum aliis confessus est, Matth. 27 [54], et Thomas post resurrectionem, Io. 20 [28]. Quamobrem evangelio repugnat, qui Christum negat in eucharistia adorandum, cuius persona tam est integra in altaris sacramento, quam fuit integra, cum pro nobis affigeretur[a] in crucis patibulo, aut quam est integra iam residens *ad dexteram patris* in coelo[3].

Ad secundum

Secundus articulus ad refutationem primi corruit. Negat enim Christum sacramentaliter sumi in eucharistia, hoc est negat in eucharistia Christi corpus et sanguinem esse. Quo posito sequeretur non sumi. Sed oppositum est utrumque sub speciebus sacramenti huius contineri. Ergo et sumi colligitur.

Ad tertium

Tertius articulus odio transsubstantiationis, non habito scripturae assensu substantiarum 94v confusionem inducit. | Et dum vitat, quod etiam iuxta naturalem rationem est possibile, incidit

[a] *cod.* affligeretur

tes ad confessionem et poenitentiam tota deliberatione mentis peccata sua damnant et deserunt, liberantur ab eis in conspectu interni inspectoris" (*Migne*, PL CLVIII 662 C). Cf. *P. Schmoll*, Die Bußlehre der Frühscholastik, München 1909, 16s.

[42] *Thomas Aqu.*, Summa th. III, Suppl. qu. 6, art. 6; qu. 37, art. 4 ad 1.

[43] Cf. *P. Schanz*, Die Lehre von d. hl. Sacramenten, Freiburg 1893, 426s. *L. Braeckmans*, L'obligation de confesser les péchés mortels avant de communier selon le concile de Trente, Lovanii 1968, 38s.

[44] Cf. Rom. 5, 16.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 136, 3–40. De auctore Io. Brants (nomen *Delphius* accepit ab urbe *Delft*, ubi die 6. Martii 1524 natus erat) vide ibid. 272 adn. 7. *A. Postina*, Der Straßburger Weihbischof Johann Delfius, in: Festgabe H. Grauert, Freiburg 1910, 233–244. Articulos de eucharistia vide Conc. Trid. VII, I 111–114.

[2] Ibid. 111, 11.

[3] Cf. Rom. 8, 34; Hebr. 1, 3.

Digitized by Google

in hoc, quod prorsus contra rationem est et impossibile. Et novam hoc loco arbitrantur interpretationem, quae est vetustissima, cum Cyprianus ante tot annos in tractatu suo De coena Domini ad hunc modum scripserit: „Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro“[4].

Ad quartum

Sacramenta hoc potissimum efficiunt, quod in signo et specie possident ac representant. Sic aqua mundat, oleum tranquillat ac mitigat, panis confirmat etc. Quare a vero declinat quartus articulus, qui eucharistiam *soli peccatorum remissioni* destinat, quam tamen et ipsa efficit, quum in signo Christum habeat afflictum *propter peccata nostra*, *cuius livore sanati sumus*[5]. (Loquor autem de peccatis minoribus cum divo Bernardo[6]). Nam sordescens in maioribus indigne communicaret. Sanctus autem per hoc sacramentum sanctificatur amplius magisque corroboratur digne sumpto hoc pane vitali.

Ad quintum

Quintus articulus primo respondet. Recte vero diem festum illi facimus, cuius divinam naturam vera et sincera fide confitemur, praesertim cum festus dies Christianorum nihil aliud sit quam tempus corporalibus laboribus vacuum et sacris meditationibus dicatum. Neque impium est circumferre eucharistiam; facit enim ad renovandam memoriam de Christi passione, quam finem esse constat huius sacramenti. Neque plus culpae in eo est, si consecrata *ad infirmum* | *deferatur*, quam si ex altari tollatur et praesenti firmo porrigatur. Neque periculum est, si in plateis adoretur, quum adsit deitas *in spiritu et veritate adoranda*[7], ut supra demonstratum est. 95r

Ad sextum

Sancta ecclesia catholica hostias consecratas servare coepit in templis non tam, ut haberet aliquid conspicuum, quod adoraretur, quam ut esset aliquid paratum, quod in subitis necessitatibus petenti traderetur, id quod usui huius sacramenti non repugnat, immo vel in primis congruit, quamquam alioqui et ad excitandam in animis hominum dignam hoc sacramento existimationem et devotionem recte asservetur. Quod vero aiunt neminem sibi eucharistiam communicare debere[8], sed omnes eam ab alio accipere oportere, cum nullo aut frivolo nitatur argumento nec exemplum in ecclesia habeat nec conveniens testimonium in scripturis, facilitate eadem reiicitur, qua adfertur.

Ad septimum

Quod autem septimus articulus dicit *non esse corpus Domini in hostia* et fragmentis eius, nisi *dum sumitur*[9], manifesto textui scripturae contradicit. Christus enim, et antequam apostoli caperent et ederent eucharistiam, de ea dixit: *Hoc est corpus meum*[10], non: Hoc erit corpus meum, si ederitis.

Ad octavum

Ad octavum articulum hoc respondetur: Christum utramque spetiem instituisse fatemur et sacerdotem celebrantem consecrare utramque et sumere | debere iuris divini esse concedimus, 95v
idque iuxta Christi verba apostolis, qui sacerdotes erant, dicta. Quod vero et Paulus utramque speciem etiam laicis tradidit[11], permissionis fuit divinae, non iussionis perpetuae. Tanta vero tunc erat penes populum pietas et reverentia huius sacramenti, ut omnino periclitata non sit altera species, nempe vini, ut nunc, quamquam et apostolus iam tum in exordio nascentis ecclesiae propter improbitatem hominum quorundam rebus bonis male utentium quaedam circa sumptionem huius sacramenti aliter ordinare et *disponere* coactus sit, ut docet c. 11 prioris ad Corinth.[12] Postmodo vero nimium devergente populi pietate et multis ac gravibus causis mutationem permissionis et consuetudinis suadentibus aliud per ecclesiam suam Christus sta-

[4] *Ps.-Cyprianus*, De coena Domini, potius *Ernaldus Bonaevall.* abb., De cardinalibus operibus Christi c. 6 (*Migne*, PL CLXXXIX 1643 D–1644 A).
[5] Isai. 53, 5.
[6] Sermo in coena Domini, c. 3–4 (*Migne*, PL CLXXXIII 272 D ss.).
[7] Io. 4, 23.
[8] Conc. Trid. VII, I 113, 4s.
[9] Ibid. 113, 7s.
[10] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22.
[11] Cf. 1 Cor. 10, 20s.; 11, 26ss.
[12] 1 Cor. 11, 34.

Digitized by Google

tuit, id quod iam pro lege et iure divino haberi convenit. Vox enim universalis ecclesiae vox Dei est. Potest enim cum coetu apostolico Hierosolymis congregato dicere: *Visum est spiritui sancto et nobis*[13].

Ad nonum

Nonus articulus alteram causam continet communionis sub utraque specie laicis quoque permittendae, nimirum *non tantum sub una quantum sub utraque contineri*[14]. Quod non ita esse docendum restat. Hoc ut commodius fiat, quaedam nobis paulo altius repetenda sunt. Primo, quod *Christus* a morte *resurgens*[15] sit factus immortalis, nullis videlicet passionibus aut vulnerationibus ultra obnoxius, quare nullum post resurrectionem sanguinem fudit, sed totum illum in venis | 96r habuit, nullis postea ictibus inde eliciendum. Igitur iam talis ac tantus integer et immortalis est in sacramento altaris, sic ut nec sanguis sit extra corpus aut separatus a corpore nec anima a sanguine nec deitas ab humanitate. Quam ob rem, quo modo est sub specie panis, eodem per omnia modo est sub specie vini, ita ut sanguis hic non sit extra corpus, sed in corpore Christi, nec corpus sine sanguine, sed totus sanguis in Christi corpore, prorsus non alio modo, quam quo nunc in coelis *sedet ad dexteram patris*[16]. Sed species tantum distinctae sunt ad representandam passionem eius et hoc iuxta mandatum, quod dedit apostolis, qui, cum pro nobis pateretur, sanguinem suum de corpore effudit, qui tunc re ipsa a corpore separatus fuit. Caeterum iam non re, sed signis duntaxat visibilibus haec separata sunt corpus et sanguis Domini, et hoc ad renovandam memoriam passi pro nobis Christi, ut, quotiescumque haec signa in altari nobis exhiberentur, toties in mentem veniret, quod Christus sanguinem suum pro nobis fudisset et tanquam *bonus pastor animam suam pro ovibus suis*[17] posuisset, cuius mortem toti mundo salutiferam annunciare, commemorare et predicare debemus, donec veniat ad iudicandum *vivos et mortuos*[16]. Atque hoc est testamentum illud et legatum, quod nobis moriturus reliquit quovis mundi thesauro et gaudio pretiosius. Caeterum, quod audio quosdam[17a] fateri tantum sub una quantum sub utraque specie contineri, et tamen contendere plus fructus et gratiae ex utriusque quam ex unius tantum speciei sumptione provenire, ecclesiae Dei inauditum est, ne dicam | 96v contrarium. Certe in hoc falli videntur, quod potestatem communicandi, quae sacerdoti et laico ex aequo communis est, cum potestate consecrandi sacerdotibus peculiari confundunt. Nam meritum consecrationis sua natura separatum est a fructu communionis, qui tanto maior est aut minor, quanto quisque ad eam magis minusve praeparatus accedit.

Ad decimum

Quod vero decimus articulus praetendit *sola fide* nos sufficienter praeparari ad participandum de mensa Domini, falsissimum est scriptura tot locis coarguente. Mihi ex multis unus suffecerit. Scribit discipulus Christo dilectus: *Qui non diligit, manet in morte*[18]. Scribit apostolus: Qui edit et bibit de mensa Domini *indigne, reus est corporis et sanguinis Domini*[19]. Iam respondeat pars altera, an recte congruant: *manere in morte* et *digne* participare de mensa Domini. Praeparet igitur se ipsum homo *fide per charitatem operante*[20], quoties ad illud charitatis symbolum est accessurus. Praeparet se *poenitudine* et *exomologesi*[21], quemadmodum fecisse legimus, qui ad baptisma Ioannis venerunt *confitentes peccata sua*[22], non generatim confitentes se peccatores. Quod si aperte apud multos fecerunt, magis nos convenit occultam confessionem amplecti. Quod si soli Deo confiteri sufficit, tunc frustra Dei filius potestatem remittendi peccata contulit apostolis dicendo eis: *Quorumcumque remiseritis peccata, remittentur eis, et quorumcumque retinueritis,* 97r *retenta erunt*[23]. Quomodo retinebunt quod ignorant, aut remittent quod | nesciunt? *Quod* enim referente Hieronymo *ignorat medicina, non sanat*[24]. Porro Christianos omnes ad minimum semel in anno ad sacram synaxin accedere debere et potissimum tempore pascatis iam diu sacris canonibus sancitum est[25], idque haudquaquam temere. Eo enim tempore tota ecclesia militans solemniter representat nobis passionem et mortem Christi, cuius fructum ut omni quidem tempore ita tum praecipue spiritualiter apprehendere debemus. Quo vero fructus noster plenus

[13] Act. 15, 28.
[14] Conc. Trid. VII, I 113, 20s.
[15] Rom. 6, 9.
[16] Symbolum apost., art. 6; cf. *Denzinger*, Enchiridion[34] l. c. n. 10–25. 27–30.
[17] Io. 10, 11.
[17a] Videlicet Melchior Cano OPr., Ioannes de Ortega OMin., Franciscus de Toro; vide Conc. Trid. VII, I 126, 10s.; 127, 29s.; 130, 22s. et supra p. 107, 24ss.
[18] 1 Io. 3, 14.
[19] 1 Cor. 11, 27.
[20] Gal. 5, 6.
[21] Cf. Deut. 30, 1; Osee 11, 8. *Cyprianus*, De lapsis c. 16 (CChr. III 229, 312ss.).
[22] Matth. 3, 6.
[23] Io. 20, 23.
[24] *Hieronymus*, Comment. in Ecclesiasten 10, 11 (CChr. LXXII 338, 196).
[25] C. 12 *Omnis utriusque sexus* X de poenit. et remiss. V 38.

Digitized by Google

sit, etiam sacramentum eucharistiae in memoriam passionis et mortis Domini institutum percipere conveniet. Nam simili de causa ea consuetudo in primitiva ecclesia extitit, ut adulti circa pascae tempus baptizarentur[26]. Nam baptismus iudicante apostolo mysterium continet mortis et resurrectionis dominicae[27], cuius memoria illo tempore apud omnes Christianos celeberrima est, semper tamen necessitati et causis aeque gravibus sua reservata venia. Qui vero potest, non negligat, ne Dei indignationem et ecclesiae catholicae nulli contemnendae censuram incurrat.

I[oannes] D[elphius].

[Canones de sacramento eucharistia[a]
concepti a Ioanne Delphio, ut videtur][28]

1. Si quis dixerit in eucharistia non esse verum corpus verumque sanguinem D.N. Iesu Christi, nec adesse divinam eius naturam, ideoque nec adorari oportere nec circumferri aut adservari aut ad aegros deportari debere, et festum diem illi perperam institui, a.s. |
2. Si quis dixerit in eucharistia manere naturam panis et vini, et panem illum esse corpus et vinum illud esse sanguinem Domini, a.s. | 97v
3. Si quis dixerit in hostiis rite consecratis aut earum partibus non esse verum corpus Domini, nisi dum[b] per esum sumuntur, a.s. | 97r
4. Si quis dixerit non tantum sub utralibet specie eucharistiae contineri quantum sub utraque, et de iure divino laicos et parvulos sub utraque specie communicare debere, a.s. 97v
5. Si quis dixerit eucharistiam ad solam peccatorum remissionem esse institutam, et ad eam sumendam sola fide et absque confessione sacramentali digne hominem praeparari posse, a.s.
6. Si quis dixerit non quemlibet Christianum teneri ad minimum semel in anno communicare, idque potissimum tempore paschatis, nisi ex consilio spiritualis medici hac in re potestatem habentis abstinere quis eo tempore comperiatur, a.s.
7. Si quis dixerit non licere, ut sacerdos celebrans seipsum communicet, a.s.

Finis.

8.

Fr. Sigismundus Phaedrus Diruta, concionator Tridentinus
Votum super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 14. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 24r–29v *(autogr.)*

Sanctissimi Praesides, qui ad gubernacula huius oecumenici concilii in uno eodemque suavissimo christianae amabilis *pacis osculo*[2] sedetis, Ill^{mi} et R^{mi} S.R. Imperii principes electores, Patres ornatissimi atque optimi ex omni Christianorum orbe sub tutela spiritus Christi in hunc locum nuperrime congregati! In superioribus colloquiis sancte eruditis, in quibus theologi clarissimi et doctissimi incredibili pietate et gravitate (ut *boves lassi* et emeriti *pedem fortius figere* solent[3]) de re omnium maxima et sacratissima nobis proposita divite spiritus vena disseruerunt, fatebor furtum meum apud pietatem vestram. Neque enim auream *hiericontinam*[4] linguam, sed auream christianam pietatem furatus sum, ut eam ponerem in tabernaculo Domini, ut morem gererem vestrae et voluntati et dignitati pro mea pietate, quae humilis est et minime ingeniosa (sum enim vulgaris et *imi subsellii*[5] theologus, Conc. 14 24r

[a] *Hi canones ab eadem manu scripti sunt atque praecedentia* [b] *supra lin. add.*

[26] Cf. *W. Roetzer*, Des hl. Augustinus Schriften als liturgiegeschichtl. Quelle, München 1930, 168s. *A. Stenzel*, Die Taufe, Innsbruck 1958, 56. 153.
[27] Rom. 6, 3–5; Col. 2, 12.
[28] De his canonibus non fit mentio in Actis Massarelli.
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 138, 29–139, 7. De auctore cf. Conc. Trid. I 486[6] et VII, I 35[1].
[2] *Tertullianus*, De oratione c. 18, 1 (CChr. I 267, 2). Regula Benedicti c. 53, 5 (CSEL LXXV 123).
[3] *Hieronymus*, epist. 102, c. 2, 2 (CSEL LV 236, 10) = inter *Augustini* epist. 68, c. 2 (CSEL XXXIV, II 242, 11). Cf. *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 1, prov. 47 (Opera II 47 D). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 58, n. 264.
[4] Ier. 39, 5.
[5] *Plautus*, Capt. 471.

Digitized by Google

imo ne theologus quidem, sed *minimus* omnium, *novissimus* planeque *abortivus*[6] atque — ut verum ingenue fatear — omnino nullus, qui nihil prorsus scio nisi inepte balbutire et propheticum illud iterum ac tertio repetitum *A, A, A*[7] propter *tarditatem ingenii*[8], stuporem debilitatemque linguae *nescio loqui*[7], infantiliter eloqui; *tardioris et impeditioris linguae ab heri et nudiustertius*[9] propter vos, viri Patres amplissimi, propter vos, viri theologi praeclare profecto et sancte eruditi), mulierculae Moabitidis exemplo[10], dum piae sanctorum, qui loquebantur, eruditioni simpliciter astutus dolo minime malo insidiarer, quasdam pauculas *spicas* vel *granula* potius quaedam *decidua*[11] quasi furtim *collegi post terga* illustrium et clarorum virorum, qui superioribus diebus nobiscum una in agro Domini feracissimo et crebris aureisque eruditae pietatis spicis luxuriate messuerunt, ingressus, ut ii solent, qui animo et ingenio exili sunt atque imbecillo, in eorum labores, studia ac sudores, qui nobis omnes adversariorum nostrorum obiectiones, cavillos, nodos extricarunt atque expediverunt, diurnis nocturnisque eorundem laboribus et studiosae ac officiosae pietati libenter gratiam habens, quod meo maximo cum faenore nec sine aliquo divino numine *benedictionem* mihi priores *surripuerint*[12]. Faelicium est fontes ipsos rerum omnium vel occultissimarum videre, faeliciorum autem compertos reconditissimos fontes bene penitus introspicere, faelicissimorum autem ac fortunatissimorum aquas inde perenniter subterscatentes, et quicquid habet Christus in thesauris hebraice, graece, latine et linguis omnibus, *in gaudio haurire*[13]. Mihi certe usque adeo hebeti, tardo et linguarum, quae peregrinae exoticaeque sunt, experti ac prorsus ignaro et ab omni exacta eruditiore ac politiore litteratura penitus alieno ea faelicitas, quam in plerisque admiror, nullo umquam modo contigit. Rivulos igitur con-
24v sectabor | abunde dives, si vel *duo* tantum *aeris minuta*, qualia et quantulacumque *mittere* potens ero in sacrosanctae synodi huius gazophilacion[14], ter etiam atque amplius doctus, si quam benignitatis suae guttam de *pluvia voluntaria* sanctae electorum *haereditati* a sempiternis saeculorum aetatibus *segregata*[15] stillare dignetur, tantisper dum loquor, *in dulcedine sua pauperi Deus*[16] *immittens in os meum verbum bonum*, *canticum novum*, *carmen* et *hymnum* sibi[17].

Nunc rem ipsam (vobis per eximiam illam *Dei charitatem diffusam in pectoribus vestris per spiritum sanctum*[18] humaniter beneque faventibus) aggredior.

Proponunt nobis Vestrae Sanctitates, Patres supra omnem amorem humanum amabilissimi et Deo atque hominibus dilecti, decem articulos[19] angusta et concisa brevitate, sed multa et prolixa pietate *ad amussim*[20] sacrae scripturae in hoc christiani orbis gravissimo consilio et ad *Lydium lapidem*[21] *traditionum apostolicarum*, *sacrorum et approbatorum conciliorum*, *consensum ecclesiarum et autoritatum patrum sanctorum* explorandos[22], an etc.

Primus is est: *In eucharistia etc.* Ad cuius et sequentium quoque, quos properans percurram, impietatem ac haeresim recte atque ordine improbandam id mihi in primis praesuppono, quod sacrae litterae non uno aut altero, sed mille in locis locupletissime testantur, quod ecclesia catholica est *sponsa* Christi unica, *formosa*, *dilecta*[23], quam Christus sponsus uti *columbam* suam unice sibi *charam*[24] in epithal[amio] Cantici Canticorum interpretum plane omnium consensu dissuaviatur *osculo oris sui*[25]. Proinde d. Paulus, cum in politia et oeconomia christiana praecepisset maritis: *Viri, diligite uxores etc.*[26], paulo mox subiecit: *Sacramentum hoc magnum est etc.*[27]

Secundo autem loco praesuppono, quod, cum sit sponsa, est etiam legitima scripturarum interpres, quam veluti quoddam divinae reconditioris *sapientiae ac scientiae*[28] oraculum in nostris de pietate ac religione controversiis consulere debemus; sponsa etenim et eadem mater nostra et nutrix sensum mariti tenet. Nam omnia, quae servator *audivit* a patre[29], praeter non admodum multa, quae nihilo secius eidem sponsae clarius in dies[a] atque illustrius revelat, nota olim

[a] *supra lin. add.*

[6] Eccl. 6, 3; 1 Cor. 15, 8s.
[7] Ier. 1, 6.
[8] *Cicero*, In L. Calp. Pisonem 1, 1. Orator 229.
[9] Exod. 4, 10.
[10] Ruth 2, 2s.
[11] Lev. 19, 10; cf. Matth. 15, 27.
[12] Gen. 27, 36.
[13] Isai. 12, 3.
[14] Marc. 12, 42s.; Luc. 21, 2.
[15] Ps. 67, 10.
[16] Ps. 67, 11.
[17] Ps. 39, 4; cf. Ps. 44, 2; 118, 71.
[18] Rom. 5, 5.
[19] Conc. Trid. VII, I 111–114.
[20] *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 5, prov. 90 (l. c. 216 C). *A. Otto* l. c. 24, n. 102.
[21] *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 5, prov. 87 (l. c. 215 B–E).
[22] Modus praefixus theologis in sententiis dicendis, Conc. Trid. VII, I 114, 9–11.
[23] Cant. 2, 10; 3, 5; 4, 8s.
[24] Cant. 5, 2; 6, 8; 7, 6.
[25] Cant. 1, 1.
[26] Eph. 5, 25.
[27] Eph. 5, 32.
[28] Rom. 11, 33; Col. 2, 3.
[29] Cf. Io. 8, 26.

Digitized by Google

fecit ecclesiae. Idcirco uni ecclesiae praecipue atque maxime incumbit non verba solum et litteras, sed sensum, intellectum ac mentem mariti interpretari.

Tertio vero id vobis et piis omnibus compertum maxime velim, quod ii, qui in scripturis sanctis enucleandis Cypriani, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Chrysostomi et aliorum orthodoxorum tum Graecorum tum Latinorum sancto ⌜et imitabili⌝[a] exemplo ecclesiam catholicam, quae *domus Dei* est et *columna ac firmamentum veritatis*[30], humiliter consulunt — ⌜neque enim *privatae interpretationis* est prophetica aut apostolica *scriptura*, 2 Petr. 1 [20]⌝[a] —, dum bonas, sanctas, aureas pietatis nostrae litteras doctis commentariis illustrant et locupletant, *super fundamentum* solidae doctrinae Yesu Christi *aurum*, *argentum et lapides pretiosos* superstruunt[31], hoc est argenteas, aureas et gemmeas interpretationes. Qui vero inconsulta et praeterita, imo vero neglecta et contempta ecclesia catholica, | quod omnino faciunt omnes omnium tempo- 25r rum atque aetatum haeretici ambulantes in magnis et mirabilibus super se de suo capite et cerebro suppositiis atque adulterinis quibusdam interpretationibus, sanctas litteras non tam interpretantur, quam depravant *adulterantes*, ut Paulus inquit[32], et *cauponantes verbum Dei*, hi super aureo textu plumbeam et luteam interpretationem, super Christo autem, quem suorum mendaciorum caeno quasi conspurcant, *ligna*, *faenum et stipulam superaedificant*[31] suntque eorum commentarii *voces alienorum*, quas Christi *oves non noverunt*[33], eorum, inquam, alienorum, de quibus scribitur: *Filii alieni mentiti sunt mihi etc.*[34]

Quartum etc., quod per *traditiones apostolicas* non solum intelligo eas, quae ad promovendam et propagandam pietatem maxime faciunt et nobis traditae sunt a senioribus quasi per manus, de quibus aliquando praecepit d. Paulus: *Tenete*, *quae didicistis etc.*[35], nec eas tantum, quas sub hoc titulo *traditiones* apostolorum circumlatas sancte veneramur, sed eas quoque, quae nobis a sede apostolica, penes quam sunt *claves regni caelorum*[36], et ab apostolicis viris, quibus semper ecclesia nostra singulari Dei beneficio floruit, in oecumenicis conciliis legitime congregatis permanarunt. Est enim christiana oecumenica[a] synodus recte atque ordine congregata, si quis me iudice certet, senatus quidam apostolicus plenissimus spiritus sancti, unde quicquid in lucem prodit, apostolicum est et a spiritu sancto proficiscitur.

Postremo, quod mihi per *lavacrum regenerationis ac renovationis spiritus sancti*[37] Christiano de rebus christianis coram synodo maxima, venerabili, oecumenica et christianissima verbis, si non Ciceronianis, at certe christianis liceat uti. Neque enim subtilis aut ornatus videri aveo, sed pure et simplicissime Christianus haberi, dici et esse volo, ut vel mea loquela *subagrestis planeque subrustica*[37a] nihil de Demosthene, nihil de Cicerone olens me Christianum esse prodat manifestumque faciat.

Nunc ad causam accedens respondeo, quod primus articulus est haereticus. Nam Christus aperte dicit: *Hoc est corpus meum*[38]. Utri credendum est pio viro et sacris Christi initiato: Christo palam et significantissime dicenti: *Hoc est etc.*, an Zvinglio interpretanti *significat*[39] seu *figura est* etc.? Quid misere confugimus ad tropos, ubi nulla nos urget necessitas, imo ubi religione prohibemur? Nam Christus in ea coena illos alloquebatur, de quibus aliquando dixerat: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei*, utpote selectioribus et charioribus, *caeteris autem in parabolis*[40]. Si sermonem habuisset servator in ea coena cum plebe et turbis, haberent fortasse adversarii, unde possent suspicari sermonem Christi fuisse parabolicum; nunc autem, cum apostolos, quibus *datum erat etc.*, alloquatur, haec verba iuxta intentionem Zvinglii interpretari, non est sensum humiliter accipere a scripturis sanctis, sed vim et sensum eisdem invitis et reclamantibus inferre. Clarissimis alibi verbis dicit Christus: *Caro mea vere est cibus*, *sanguis meus vere est potus*[41]. | Profecto, si nudis et simplicibus verbis Christus dixisset: 25v *Caro mea est cibus et sanguis meus est potus*, deberemus hanc veritatem ab ore Christi amplecti, venerari, exosculari; cum autem ad tollendam radicitus omnem dubitationem significanter adiecerit: *vere est cibus*, *vere est potus*, quid *nodum in scyrpo quaerit*[42] cum suo Zvinglio Ioannes Oecolampadius[43]? Divus etiam Paulus, in quo palam Christus loquebatur, tradens ecclesiae

[a] *supra lin. add.*

[30] 1 Tim. 3, 15.
[31] 1 Cor. 3, 12.
[32] 2 Cor. 2, 17; 4, 2.
[33] Io. 10, 5.
[34] Ps. 17, 46.
[35] 2 Thess. 2, 14.
[36] Matth. 16, 19.
[37] Tit. 3, 5.
[37a] *Cicero*, Brutus 74, 259.
[38] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22.
[39] De vera et falsa religione commentarius, art. 18 (Corp. Ref. XC 798, 10s. 25ss.).
[40] Luc. 8, 10.
[41] Io. 6, 56.
[42] *Plautus*, Menaechmi 247. *Terentius*, Andria 941. Cf. *Des. Erasmus*, Adagia II, cent. 4, prov. 76 (Opera II 546 F). *A. Otto*, Die Sprichwörter 313, n. 1607.
[43] *Io. Oecolampadius*, De genuina verborum Domini: *Hoc est corpus meum* iuxta vetustissimos authores expositione: „De naturali enim Christi in nobis veritate

Digitized by Google

Corinthiorum, quod non ab hominibus acceperat, sed *a Domino*, repetit eadem servatoris verba[44] et praecedenti capite: *Calix*, inquit, *benedictionis*, *cui etc.*, *et panis*, *quem frangimus*, *nonne etc.*[45] Haec verba nude, simpliciter, candide, uti iacent, sine ullo tropo interpretatur ecclesia catholica, sponsa Christi, custos litterarum sanctarum[a], casta et legitima interpres verborum et sensuum mariti sui, cuius autoritatem tanti facit sanctissimus pater Augustinus, ut, dum Manichaeorum recentiores libellos repudiat, scriptum reliquerit: „Evangelio non crederem, nisi me ecclesiae catholicae commoveret autoritas"[46].

Haec est traditio apostolica d. Pauli ad Corinthios Christo *genitos per evangelium*[47]. Sic consultis, collatis quam diligentissime scripturis sacra et approbatissima concilia Vercellense[48], Turonense[49], Lateranense[50], Florentinum[51] et Constantiense[52] (pene excidit Tridentinum, sed dicam tamen et dicam brevi) per spiritum sanctum decreverunt. Sic luce spiritus et lucerna verbi praeeunte statuerunt, ut ipsi iam sexcenties audistis, plurimi tam sanctissimi quam maximi pontifices in hunc modum haec et similia scripturarum loca ecclesia catholica consulta interpretantur sancti, pii et eruditi patres christianae pacis, veritatis et unitatis amantissimi: Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theophilactus et reliqui plane omnes latini et graeci, quorum *memoria*, dum christianae loquentur litterae, usque et usque *in benedictione erit*[53], quorum cathalogum texuit Dei athleta et martir Roffensis[54]. Hic est perpetuus et universalis ecclesiarum consensus. Sic passim in christiano orbe attestantur miracula; alioqui, si praestigiae sunt, *divisus est sathanas*[55]. Quis ergo sani piique capitis ita desipiat, ut malit cum Capharnaitis, quibus dira omnia minatur Dominus[56], cum Nestorio[57], Pelagio[58], Iacobello[59], Wiclepho[60], Valdensibus[61], Amaricensibus[62], Albigensibus[63], Zuinglio[64], Oecolampadio[65] et eius farinae hominibus ad impietatem usque insanire et errare, quam cum ecclesia catholica[a], quae est sponsa, custos scripturarum, interpres mariti, *columna veritatis et firmamentum*[66], *tabernaculum Dei cum hominibus*[67], oraculum quoddam in terris *sapientiae et scientiae Dei*[68], denique *terribilis ut castrorum acies* solet *ordinata*[69], recte pieque sentire?

[a] *supra lin. add.*

quae dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: *Caro mea vere est esca... Qui edit carnem meam* ... De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Ihesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacramentum communicatae carnis et sanguinis sumus, ipse testatur" (Basileae 1525, f. H 3r).

[44] 1 Cor. 11, 24ss. [45] 1 Cor. 10, 16.

[46] Contra epistulam, quam vocant fundamenti c. 5 (CSEL XXV, I 197, 22s.).

[47] 1 Cor. 4, 15.

[48] A. 1050 habitum; vide supra p. 102, adn. 33.

[49] A. 1054 habitum; vide supra p. 102, adn. 34.

[50] A. 1059 habitam; vide supra p. 102, adn. 35.

[51] Decr. pro Armenis, c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057C); vide supra p. 97, adn. 6.

[52] Decr. *Cum in nonnullis;* vide supra p. 97, adn. 7.

[53] Eccli, 45, 1; 46, 14.

[54] *Io. Fisher*, *Roffensis* episc., De veritate corporis et sanguinis Christi in eucharistia adversus Io. Oecolampadium, prooemium quarti libri, ubi recensentur patres praecipui, qui intra 1500 annos ab institutione sacramenti eucharistiae veritatem eius docuerunt (Opera, Wirceburgi 1597, 989–998).

[55] Matth. 12, 26. [56] Matth. 11, 23s.

[57] Cf. *Alf. de Castro*, Adv. omnes haereses VI, s. voce *eucharistia:* „Nestorius dixit duas personas in Christo: unam, quae esset homo, et aliam, quae esset Deus in illo homine tanquam in templo habitans. Itaque dicebat in eucharistia contineri veram carnem, sed illam esse carnem puri hominis, non autem Dei" (Venetiis 1546, 624).

[58] Intelligenda esse videntur quae leguntur ibid. VII, s. voce *gratia:* „Pelagii error notissimus est, qui tantum tribuit libero arbitrio, ut diceret absque gratia Christi hominem posse omnia praecepta Dei implere et suis meritis vitam aeternam consequi" (l. c. 753; cf. ibid. X, s. voce *meritum*, l. c. 924), quae discrepant ab Io. 6, 54s.

[59] *Iacobus de Mies*, nominatus *Iacobellus*, quia statura pusillus erat, inter praecipua capita Hussitarum erat. De eo cf. ibid. VI, s. voce *eucharistia:* „Commotus his Iacobellus... populum admonet, ne deinceps communionem calicis, sine qua salvari nemo posset, negligeret" (l. c. 686).

[60] Conc. Constantiense, sess. VIII, errores Io. Wicleff n. 1–3 (*Mansi* XXVII 632 E. 1207 E. *Denzinger*[34] l. c. n. 1151–1153).

[61] Quae Waldenses de eucharistia dixerant, rettulit *Reinerus* in libro contra Waldenses (*C. Du Plessis-d'Argentré*, Collectio iudiciorum de novis erroribus I, Parisiis 1728, 93). Cf. *M. Luther*, Von Anbeten des Sakraments d. hl. Leichnams Christi ad fratres Waldenses (WA XI 417ss.).

[62] Sectatores Amalrici de Bena, de quo cf. *Alf. de Castro* l. c. VI, s. v. *eucharistia*, haer. 4: „Berengario successit ... impius quidam Almaricus ... Hic dicebat non aliter esse corpus Christi in eucharistia quam in alio quovis pane aut qualibet alia re; sic enim de illo refert Bernardus de Lutzemburgo in suo Catalogo citans quendam Caesarium monachum" (l. c. 626), i.e. *Caesarius Heisterbacensis*, Dialogus miraculorum dist. 5, c. 22: „Dicebant non aliter ..." (rec. *I. Strange* I, Coloniae 1851, 304). Cf. *Preger*, Realencykl. f. prot. Theol. I[3] 432s.

[63] *Caesarius Heisterbacensis*, Dialogus dist. 5, c. 21: De haeresi Albiensium: „Sacramentum corporis et sanguinis Christi blasphemant" (l. c. 301). Conc. Lumbariense (a. 1165), sententia diffinitiva: „dixerunt, quod ab omni bono tam clerico quam laico consecrabatur" (*Du Plessis-d'Argentré* l. c. I 66. *Mansi* XXII 159 B).

[64] Vide supra adn. 39. [65] Vide supra adn. 43.

[66] 1 Tim. 3, 15. [67] Apoc. 21, 3.

[68] Rom. 11, 33; Col. 2, 3.

[69] Cant. 6, 3. 9.

Digitized by Google

Re igitur vera in eucharistia ex vi verborum non solum lingua Christi, hoc est Syrohebraica, sed omnibus linguis a sacerdote prolatorum, quibus, inquit Hilarius[70] teste Ambrosio, invisibilis sacerdos visibiles creaturas verbo suo secreta potestate commutat, | unde et ipse 26r *sacerdos* est *in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[71], est corpus Christi et sub specie vini ipsissimus sanguis eiusdem; per naturalem autem concomitantiam, ut theologi non minus vere quam sancte loquuntur, anima; *caro* enim viva oblata *est pro mundi vita*[72]. Idcirco corpus animatum est; alioqui Christo exanimi contra Pauli et ecclesiae doctrinam *mors ultra dominaretur*[73]. Cum anima naturali concomitantia necessum est, ut sit sanguis, animi sedes et quasi domicilium, per inseparabilem autem unionem cum corpore et sanguine eucharistico ipsa divinitas D.N. Yesu Christi. Sola enim, hoc est emortua et a deitate seiuncta, *caro non prodest quicquam*[74]. Quod semel assumpsit etc.

Fatemur et nos sacramentum eucharisticon signum esse, sed non ad sensum haereticorum, nempe corporis, sed signum unitatis Christianorum ad sensum illum apostoli: *Unum corpus multi sumus omnes, qui etc.*[75]; nam signat unitatem et mutuam Christianorum charitatem. Unde Augustinus de sacramentis fidelium feria secunda paschae exclamat: „O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis!"[76] Est etiam memoria: *Haec quotiescumque feceritis etc.*[77] *Hoc facite in meam commemorationem*[78]. Sed non solum signum aut sola memoria. Istae dictiones exclusivae excluserunt a nobis Zuinglianos; est enim sacrificium, memoria, signum, pignus. Proinde admirabunda et venerabunda canit ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur etc.*[79]

Secundus etiam ille articulus: *Exhiberi Christum etc.* damnandus est. Ut enim utrumque, sacramentum scil. et sacramenti rem, id est gratiam, percipiamus, cum facultas datur, divino Christi praecepto spiritualiter et sacramentaliter, fide nempe et ore, ab adultis manducanda est Christi caro et sanguis ebibendus. Utroque enim sensu, de spiritali scil. et sacramentali ⌜manducatione etc.[a], interpretor verba illa reconditissima Ioan. 6 [54]: *Nisi manducaveritis etc.* Oneranda enim sunt verba sententiis et scripturae sensibus locupletandae. Sed mihi placeret condemnari hunc articulum tamquam Zuinglianum et a priori pendentem hoc modo: *Non exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum manducandum per fidem, non sacramentaliter*[80]. Nam in tertio articulo incipimus cum Luthero et eius asseclis agere. Quod si magis placeat articulum eo, quo iacet, modo lectum condemnare, non inficior. Omnino sacramentali etiam manducatione, sed spiritali praevia, manducandus est, nisi velimus *iudicium* nobis *manducare etc.*[81] Alioqui, si spiritaliter tantummodo et per fidem manducandus Christus, quid tanta praeparatione est opus: *Probet se ipsum homo etc.*[82]? Non est, cur plura dicam circa hunc articulum. Neque enim sub ulmo sedeo rusticanus arbiter inter rusticos aut tamquam paedagogus quispiam inter ab[e]c[e]darios pueros, sed Dei benignitate et vestra humanitate loquor *in concilio iustorum et congregatione*[83], inter lumina ecclesiarum atque ornamenta; video enim hic *florem* ecclesiarum *et robur*[83a], *currus et aurigas Israel*[84] Dei, a quibus erudiri et institui est a spiritus sancti linguis, pectoribus atque animis edoceri.

In tertio adversarii nostri Lutherani stulte sapientes, indocte docti et impie pii, eludunt tamquam novae rei novam et trecentenariam vocem (ut ipsi loquuntur[85]) transubstantiationem, quam nobis spiritus sanctus *per os sanctorum*[86], qui multis retro saeculis vixere, revelavit, | illis 26v forte scripturae locis moti, in quibus sacramentum eucharisticon *panis* appellatur tum a servatore, antequam in crucis ara litaret patri, Ioan. 6 [51s.]: *Ego sum panis etc. Si quis manducaverit*

[a] *supra lin. add.*

[70] Nescio an intelligatur *Hilarius Pictaviensis*, De trinitate VIII, c. 14 (*Migne*, PL X 247 A), quod cap. legitur in Breviario Rom., feria IV (die VII) infra oct. festi Corp. Christi, noct. III, lect. 7 et 8, praeterea c. 82 *In Christo* de cons. dist. 2 (*Friedberg* I 1346s.). Cf. Conc. Trid. V 873, 15.

[71] Ps. 109, 4

[72] Io. 6, 52.

[73] Rom. 6, 9.

[74] Io. 6, 64.

[75] 1 Cor. 10, 17; cf. Rom. 12, 5.

[76] In Ioh. evang. tract. XXVI, c. 13 (CChr. XXXVI 266, 26s.), qui locus legitur in Breviario Rom., feria II (die V) infra octavam Corporis Christi, lectio 9.

[77] Missale Rom., canon missae post consecrationem calicis.

[78] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.

[79] Breviarium Rom., antiphona ad *Magnificat* in II vesperis festi Corporis Christi.

[80] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 18.

[81] 1 Cor. 11, 29.

[82] 1 Cor. 11, 28.

[83] Ps. 110, 1.

[83a] *Cicero*, In Catilinam II 11, 24.

[84] 4 Reg. 2, 12; 13, 14.

[85] *M. Luther*, De captivitate Babylonica: „Sed et ecclesia ultra mille ducentos annos recte credidit nec usquam nec unquam de ista transsubstantiatione (portentoso scil. vocabulo et somnio) meminerunt s. patres, donec cepit Aristotelis simulata philosophia in ecclesia grassari in istis trecentis novissimis annis" (WA VI 509, 27–30).

[86] Luc. 1, 70.

Digitized by Google

etc. Panis, quem ego dabo etc., tum ab apostolo, ubi in Christo pulcherrime litatum est patri: *Panis, quem frangimus etc.*[87] *Quotiescumque manducabitis panem etc.*[88] *Probet etc. et sic de pane etc.*[89], quod recens baptizati *perseveraverint in doctrina apostolorum etc. et fractione panis*[90] et sexcentis huiusmodi. Primum gratias agimus energiae veritatis vehementis, quae invitis pectoribus Lutheranorum fluxit *in coena Domini*, ut ipsi loquuntur, *in sacramento eucharistico*, ut nos loquimur, vere et realiter corpus et sanguinem Christi adesse, sicut et Hilarius inquit: „Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis. Et haec accepta et hausta faciunt, ut et Christus in nobis et nos in Christo simus"[91]. Adest igitur (quod vere dicunt) Christus in sacramento et est efficax in digne sumentibus. Sed quod addunt postea: *cum pane et vino*[92] exhiberi sumentibus, id non a lympido scripturarum fonte, sed a turbido haereticorum rivulo fluit. *Errant* enim *nescientes scripturas*[93] et phrasim earundem. Solent enim sanctae litterae frequenter res ipsas iis nominibus appellare, quibus paulo, antequam mutarentur, nominabantur, ut homo *terra* dicitur[94] et Exod. 7 [8–12] virga Moysi *versa est in serpentem et virgae maleficorum in dracones*, et *virga Aaron devoravit virgas eorum*, ubi scriptura serpentem vocat *virgam*, quod scil. paulo ante virga fuisset. Sic in his omnibus scripturarum locis tropus urgendus est et dicendum, quod sacramentum eucharisticon iuxta phrasim et dialecton scripturarum *panis* vocetur, quia scil. paulo, antequam per benedictionem, id est consecrationem, substantia tota in substantiam totam penitus transeunte mutaretur in corpus Christi et sanguinem, panis erat et eo commodius et rationabilius; nam si serpens nullam prorsus speciem virgae habens *virga* dici potuit, quanto magis *panis* dici potuit sacramentum eucharisticon, in quo ipsa saltim panis accidentia conspiciebantur? Absit, ut contra concilium Ephesinum tres naturas in Christo ponere panis, humanitatis et deitatis vel inviti cogamur. Absit etiam, ut credat sanctorum communio in sacramento eucharistico admirando et adorando potius quam disputando (nisi nos ⌜vel nolentes⌝[a] cogeret improba haereticorum pertinacia, qui non semel tantum, sed centies, non recte solum, sed rectissime disposita, non unius aut alterius synodi, sed quam plurium conciliorum iniuria et magno rei nostrae malo contra edictum Martiani Augusti[95] in confirmatione concilii apud Chalcedonas habiti *revolvere publiceque disputare* et dogmatizare praesumunt), absit, inquam, ut ecclesia sanctorum post consecrationem in sacramento eucharistico remanere panis et vini substantiam opinetur[96] aut credat, ut, quemadmodum Deum incarnatum venerabundi confitemur, impanatum quoque secundum execrabiles et *prophanas vocum novitates*[97], quas piorum aures non possunt iure et merito non abhorrere, fateri cogamur. Sed substantia in substantiam penitus mirabili quadam et singulari conversione, quam patres ac maiores nostri et universa catholica ecclesia verbo maxime apposito *transubstantiationem* nominarunt, et modo
27r quodam ineffabili | transeunte sub accidentibus panis et vini latet Christus ipse, Deus et homo. Itaque haec, ut ecclesia catholica loquitur, *transubstantiatio*, haud quidem novae, sed vetustissimae rei a maioribus nostris accepta vox, mutationem illam significat *dexterae excelsi*[98], quam Plato nescivit, Aristoteles ignoravit, nulla umquam scivit philosophia nisi per evangelium cicurata et apprime (ut ita dicam) mangonizata. Abscondita enim fuit eiusmodi mutatio *a sapientibus et prudentibus et parvulis revelata*[99], de qua non disputaremus, si esset fides, in quibus maxima esse deberet; neque a nobis invitis ac reluctantibus *per vim et scelus*[99a] disputationes eiusmodi intempestivas extorquerent; nam *ecclesia Dei talem consuetudinem non habet*[100].

Proinde, ut de quinto articulo me explicem, Christum Deum atque hominem latentem invisibiliter sub speciebus panis et vini, quem *laudant angeli, adorant etc.*[101], nos *homunculi ex argilla et luto*[101a] tantis servatori Christo beneficiis devincti non adorabimus? Ergo *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem reddemus*[102], et cui adoratio debetur, quae tributis, quae vectigalibus, quae honoribus longissime antecellit, ei adorationem internam externamque

[a] *supra lin. add.*

[87] 1 Cor. 10, 16.
[88] 1 Cor. 11, 26.
[89] 1 Cor. 11, 28.
[90] Act. 2, 42.
[91] De trinitate VIII, c. 14 (*Migne*, PL X 247 B).
[92] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.
[93] Matth. 22, 29.
[94] Eccli. 17, 31.
[95] Marciani imperatoris constitutio *Tandem aliquando*, 7. Febr. 452 (Acta conc. oecum. ed. *E. Schwartz* tom. II, vol. I, pars 3, 120, 14ss., graece; vol. II, pars 2, 21s., latine) = Cod. Iust. I 1, 4 *Nemo*, § 1. Cf. *Hefele-Leclercq* II, II 844s. Conc. Trid. V 6, 4 cum adn. 2.
[96] *M. Luther*, De captivitate Babylonica: „utroque simul manente vere dicitur: hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus, et econtra" (WA VI 511, 41s.).
[97] 1 Tim. 6, 20.
[98] Ps. 76, 11.
[99] Matth. 11, 25.
[99a] *Cicero*, Pro P. Quinctio 21, 69.
[100] 1 Cor. 11, 16.
[101] Hebr. 1, 6; cf. Missale Rom., praefatio de quadragesima et communis.
[101a] *Cicero*, In L. Pisonem 25, 59.
[102] Rom. 13, 7.

Digitized by Google

non impendemus? Dicant adversarii ore suo spurcissimo in suam ipsorum perniciem, quicquid velint. Nos, qui *in spiritu et veritate adoratores*[103] sumus, *curvabimus genua*[104], *ludemus et viliores* etiam *fiemus*[105] *et adorabimus* vel ipso *in loco, ubi steterunt pedes eius*[106], et iuxta can. 13 sancti et magni concilii Nicaeni[107], ut *ne ultimo et necessario viatico priventur* infirmi fratres nostri, deferemus et porrigemus valetudinariis et male habentibus, quibus maxime Christo opus est, qui medicus noster est et medicina[107a].

De quarto. Remittuntur nobis peccata *per lavacrum regenerationis etc.*[108], post naufragium vero contritionis, confessionis et satisfactionis beneficio, saltim in voto iis, qui solvendo non sunt nec possunt *quadruplum reddere defraudato*[109]. Propterea meo suffragio qualicumque damno hunc articulum ob voculam illam *solam*[110], quae aetate nostra plerumque ab ore adversariorum accepta solet esse impostrix. Instituta enim est ad commemorandam passionem Christi et altius illam in nostris pectoribus infigendam, item ut per vivificatricem carnem Yesu Christi ei nedum spiritualiter, sed et corporaliter iungamur et efficiamur *os de ossibus* eius etc.[111] certificati, quod [ab] ipso Christo Yesu *acceperimus remissionem peccatorum*[111a] et in sacramento virtutem restinguendi concupiscentiam in membris nostris haerentem, dulcissimum certe pignus remissionis peccatorum, vitae aeternae et societatis cum Deo nobis in Christo promissae atque exhibitae, quod ne Protestantes quidem in colloquio Ratisponensi[112] inficiati sunt et concilium Florentinum clarissime explicat[113]. Haec vocula exclusiva *sola* temere addita excludit haereticorum fermentum a doctrina catholicorum. Cur non religione territi sunt, ne adderent verbo Dei? | Nam Deuter. 27v
4 [2] aperte praecipitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor etc.*, et Apoc. ultimo: *Si quis apposuerit ad haec etc.*[114] Cum igitur sit cibus vivorum, consequio quodam a vivis manducatur.

De sexto: *Non esse reservandam etc.* Deus bone! Manna, umbra et quidem perexigua tanti sacramenti, quod *patres manducaverunt et mortui sunt*[115], *tabulae lapideae*, in quibus decalogus *digito Dei erat insculptus*[116] et *virga Aaronis, quae floruerat*[117], tanta religione asservabantur in arca a Iudaeis[118], qui *spiritum acceperant servitutis in timore*[119], et Christus in sacramento realiter, sed tamen invisibiliter sub panis et vini speciebus latens, in quo pater Deus *memoriam fecit mirabilium suorum*[120], qui epilogus quidam est omnium prophetarum, compendium totius legis, verbum abbreviatum, vita nostra, nullam non *habens suavitatem*[121], qui *praebet delicias regibus*[122], quem is *qui manducat vivit in aeternum*[123], non reservabitur religiose a Christianis, qui *spiritum* acceperunt ampliorem et auctiorem, nempe *adoptionis filiorum, quo etc.*[119], ut scil. qui per baptismum regeniti sunt, eucharistico pane refici possint. ⌜Et Christus servator praecipit *colligi* et asservari *fragmenta* panis tantummodo benedicti[124]. Quanto magis consecratus est reservandus⌝[a].

Et non licere, ut quis etc.[125] Hoc est discrimen vel in ipsa veteri lege inter circuncisionem et sacrificium, ut non liceat se ipsum ritibus Mosaicis initiare[126] et circuncidere, licet autem sacerdoti sacrificium *offerre* non modo *pro populo* sed *pro se* etiam *ipso*[127]. Ita enim in lege quoque gratiae baptizare se ipsum nemo potest, communicare autem se ipsum potest sacerdos celebrans, quia eucharisticon sacramentum non modo sacramentum est sed etiam sacrificium, at incruentum *propter nos homines*[127a], qui a carnis et sanguinis speciebus tamquam ab antropophagorum immanitate natura ipsa abhorremus.

De septimo subscribo pietati et eruditioni ecclesiae catholicae, quae per d. Thomam sacerdotes promiscue omnes admonet: *Fracto demum sacramento, ne vacilles etc.*[128] Et, si exemplum quaeritur, appositum maxime esse solet speculum integrum et confractum; in integro etenim

a *ab auctore in marg. add.*

103 Io. 4, 23s.
104 Mich. 6, 6.
105 2 Reg. 6, 22.
106 Ps. 131, 7.
107 Conc. Nicaenum I, can. 13 (*Bruns* I 18. *Lauchert* 40, 30ss.); vide supra p. 112, adn. 19.
107a Vide supra p. 112, 30s. cum adn. 17a.
108 Tit. 3, 5.
109 Luc. 19, 8.
110 Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 20.
111 Gen. 2, 23.
111a Act. 10, 43; 26, 18.
112 De hoc colloquio (27. IV.–22. V. 1541) cf. *F. Zoepfl*, LThK VIII² 1095s.
113 Decr. pro Armenis, c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 C); vide supra adn. 51.
114 Apoc. 22, 18.
115 Io. 6, 49. 59.
116 Deut. 9, 10.
117 Num. 17, 8; Hebr. 9, 4.
118 Num. 17, 10; Hebr. 9, 4.
119 Rom. 8, 15.
120 Ps. 110, 4.
121 Sap. 16, 20.
122 Gen. 49, 20.
123 Io. 6, 52. 59.
124 Io. 6, 12.
125 Conc. Trid. VII, I 113, 4s.
126 Exod. 29, 28; Lev. 16, 32.
127 Lev. 9, 7; 16, 6; Hebr. 5, 3.
127a Missale Rom., *Credo* Nicaeno-Constantinopol.; cf. *Denzinger* l. c. n. 150.
128 Missale Rom., in festo Corporis Christi, sequentia *Lauda, Sion* a Thoma Aqu. composita, str. 19.

Digitized by Google

tota hominis imago relucet, in singulis particulis, cum frangitur, singulae integrae relucent imagunculae. Sed exempla damus, non quod ita sint etc.; tenuior enim est speculi similitudo, quam ut possit existentiam Christi, qui totus est in tota hostia et totus in qualibet particula hostiae et ante et post fractionem, bene penitus explicare. Virtus enim Dei in hoc sacramento mirabiliter operantis superantisque omnem sensum, intellectum, mentem, cogitationem, captum omnem ingeniorum et syllogismum modo quodam miro, ineffabili et linguis plane omnibus vel angelicis inexplicabili facientis *potentiam in brachio suo*[129] et *memoriam mirabilium suorum*[130] revelata est rudioribus, qui *captivantes omnem* sensum et *intellectum in obsequium fidei*[131] et servatoris Yesu Christi venerabundi adorant. — Caetera omnia in hoc articulo explodo; quot enim verba sunt, totidem sunt et errores. Ut enim *abyssus abyssum*[132] et calamitas calamitatem, sic error errorem invocare solet et trahere. Certe antequam ab apostolis sumatur eucharistia, dicitur a servatore: *Accipite etc. Hoc est corpus meum etc.*[133]

28r De octavo: *De iure etc.*[134] Scio d. Paulum suos Corinthios, | quos Christo *per evangelium genitos*[135] fovebat ut nutrix, sub utraque specie communicasse, quod prior ad eos epistola manifeste ostendit[136]. Scio hunc morem fuisse olim in plurimis Aphricae ecclesiis, quod testatur Cyprianus in quodam sermone De lapsis[137], qui Christum spirat et *pectus* martyrii (ut ita loquar) *candidatum*[137a]. Scio aureum illum planeque divinum sacerdotem atque episcopum Exuperium Tolosanum, d. Hieronymo ad Rusticum monachum referente[138], *corpus Domini in canistro* iunceo, *sanguinem* autem in vasculo *vitreo* Samiolis[138a] omnibus multo fragiliore circungestasse. Legi d. Hieronymum in 3. caput Sophoniae scribentem ad verbum: „Sacerdotes, qui eucharistiae serviunt et sanguinem Domini populis dividunt"[139], et in XI concilio Toletano can. 11 sub Wambano rege decretum fuisse, ut is pro infideli non haberetur, qui morbo gravatus *haustum* dominici calicis *deglutire* non potuisset[140]. Sed ecclesia Corinthiaca non erat ecclesia universalis; Aphrica non est orbis; Exuperius non erat catholicae ecclesiae summus et primus episcopus; d. Hieronymus non est concilium; decem illi et septem pontifices, qui interfuerunt et subscripserunt concilio Toletano[141], vobis Patribus oecumenicis assurgerent. Multa enim permissa et facta sunt in priori ecclesia ad inflammandos eorum animos, quibus singulo quoque die, imo vero singulo quoque momento instabant supplicia, martyria et mortes pro Christo, quo Christiani milites essent alacriores, quae postea sensim ob plurimas gravissimas et maximas causas in ecclesia pacem habente obsoleverunt, ut est communicatio post coenam, participatio calicis et nonnulla alia.

Sed neque *de iure divino*[134] adstringimur ad utriusque speciei participationem (de laycis loquor et sacerdotibus alio quam missae tempore communicantibus) neque duabus semper speciebus ecclesia recens a Christo aut Christus ipse communicavit, ut sciant layci non iniuria aut per vim extorqueri ab illis participationem calicis; nam discipuli, qui in Emauntem proficiscebantur et Dominum *agnoverunt in fractione panis*[142], sub una tantum specie interpretum plane omnium graecorum ac latinorum consensu[a] communicantur a Christo[143]. Ecclesia, apostolorum discipula, *perseverat in doctrina apostolorum*, *communione et fractione panis*[144], tacita prorsus calicis participatione, ut taceam Satyrum, Ambrosii fratrem, qui ipso d. Ambrosio referente[145] beneficio sacramenti, quod gestabat in libello precum suarum, in quo vini species recondi certe non potuit, servatus est a naufragio, et d. Epiphanium, Salaminae in Cypro episcopum, qui

[a] *supra lin. add.*

[129] Luc. 1, 51.
[130] Ps. 110, 4.
[131] 2 Cor. 10, 5; Phil. 2, 17.
[132] Ps. 41, 8.
[133] Matth. 26, 26.
[134] Conc. Trid. VII, I 113, 11.
[135] 1 Cor. 4, 15.
[136] 1 Cor. 10, 20s.; 11, 26ss.
[137] De lapsis c. 25 (CChr. III 235, 489ss.).
[137a] *Vergilius*, Aeneis IX 432.
[138] Ad Rusticum mon. epist. 125, c. 20, 4 (CSEL LVI 141, 17s.). Cf. Conc. Trid. V 874, 12 cum adn. 4; 887, 10s.
[138a] De Samiis vasis cf. *W. H. Groß*, Der kleine Pauly IV (München 1972) 1532.
[139] Comment. in Sophoniam 3, 1ss. (CChr. LXXVI A 697, 119s.).
[140] Conc. Toletanum XI (a. 675), can. 11 (*Bruns* I 314. *J. Vives*, Conc. Visigót. l. c. 364). Cf. Conc. Trid. VIII 550, adn. 9; 555, 3 et 30 cum adn. 3. *Hefele-Leclercq* III, I 313.
[141] Cf. *J. Vives* l. c. 367s. *Hefele-Leclercq* III, I 311.
[142] Luc. 24, 35.
[143] Vide supra p. 106, 16ss. cum adn. 64–67.
[144] Act. 2, 42.
[145] De excessu fratris Satyri I, c. 43: „divinum illud fidelium sacramentum poposcit ... ligari fecit in orario et orarium involvit in collo atque ita se deiecit in mare" (CSEL LXXIII 233, 7–10), quod vero *orarium* non erat *libellus precum*, ut falso interpretatus est Phaedrus Diruta, sed sudarium vel amictus lineus; cf. *Hieronymi* epist. 52 ad Nepotianum, c. 9, 1 (CSEL LIV 430, 11ss.). *J. Braun*, Die liturgische Gewandung, Freiburg 1907, 564. *Eckstein-Waszink*, Amulett, in: Reallex. f. Ant. u. Christ. I 410. Cf. Conc. Trid. V 887, 12ss.; VIII 561, 38.

Digitized by Google

sacramentum ex collo suspensum gestasse legitur[146]. Idem decrevere Remense[147], Wormaciense[148], Lateranense[149] et Constantiense[150] concilia. Denique servator Christus in epilogo eius reconditissimae concionis, quam legimus Ioh. 6, concludit tacito calice: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*[151].

Scio d. Augustinum in sermone de sacramentis fidelium feria 2 paschae super illis verbis: *Ego sum panis vivus*[152] interpretari illum locum de spirituali manducatione, id est incorporatione ipsi Christo per fidem; nam inquit: „Qui vult vivere[a], habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, | [ut] vivificetur“[153], et tertio De doctrina christiana scripsisse ad verbum: „*Nisi* 28v
manducaveritis carnem filii hominis etc.[154]: Facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo praecipiens passioni dominicae esse communicandum et suaviter atque utiliter recondendum in memoriam, quod pro nobis caro eius crucifixa et vulnerata sit“[155]. Audivi clarissimum virum D. Alphonsum[156], qui rem omnem praesentis negocii a principio, a stirpe, a capite, a fonte, *ab ovo* (quod dici solet[157]) verbis ornatissimis atque optimis, illustri etiam methodo atque ordine altissime repetivit, hunc eundem textum Ioan. 6 de sacramentali tantum manducatione interpretantem ob hanc praecipue rationem, quod decreto s. Romanae universalis ecclesiae id evangelium legitur in festo die solemnitatis Corporis Christi[158]. Alioqui nihil faceret ad rem eius diei. Quae ratio si urget, urgenda quoque est participatio calicis, quod epistola eius diei loquitur de participatione utriusque speciei[159]. Sed liceat *unicuique* salva tamen pietate et *vinculo pacis in suo sensu abundare*[160]. Mihi magis arridet eorum sententia, qui illum textum de utraque manducatione interpretantur locupletantes sensibus maxime ad pietatem appositis verba servatoris, quod filo pulcherrimo ex serie eius textus sanctissime deduxerunt hi clarissimi et doctissimi viri confratres mei, quos vestitus idem, religio quoque eadem et studiorum tam sanctissimorum quam pulcherrimorum societas similitudoque et pleraque alia decora mihi in Domino amantissime coniunxere[161]. Nam licet de sacramentali quoque manducatione intelligatur textus et manducatio praecipiatur, adhuc non exprimitur species neque inde evincitur utriusque speciei participatio; nam sub altera tantum specie christianus laycus in *communione layca* (ita vocant Sardicense[162] et Agathense[163] concilium) tantundem sumit quantum sub utraque specie sacerdos.

De nono autem etc., quantum ad illam partem: *nec tantum sumere etc.*[164] Quantum ad substantiam sacramenti tantumdem sumit laycus ordine et recte accedens sub una specie in communione layca quantum sacerdos digne manducans et bibens sub utraque specie; nam sumit sub una specie corpus, animam, sanguinem, divinitatem Christi, id est totum Christum. Quantum autem ad gratiam attinet et gradum gratiae, opinor auctiore gratia impleri sacerdotem sub utraque specie communicantem. Declaro autem et exemplo mentem meam pure opinatricem, quoadusque VV. States secus decreverint. Idem sol secundum substantiam agens circa duo obiecta magis minusve disposita utrumque calefacit, sed alterum altero magis, nempe id, quod est dispositius. Sic idem secundum substantiam sacramentum eucharisticon alteri minorem gratiam confert, nempe layco ut minus disposito; alteri autem, nempe sacerdoti, uberiorem et auctiorem gratiam confert, quia sacerdos per gratiam sibi collatam *per impositionem manuum*

[a] *cod.* venire

[146] De hac re neque in operibus neque in vita Epiphanii neque alias fit mentio. Cf. *Epiphanius*, Panarion, haer. 15, 1, 4 (GrChrSchr. 25. Epiphanius I 209, 11ss.). *Fr. J. Dölger*, Ant. u. Christ. III (1932) 85.

[147] C. 29 *Pervenit* de consecr. dist. 2 sub rubr.: *ex conc. Remensi c. 2* (*Friedberg* I 1323), cap. incertum.

[148] C. 93 *Presbiter* de consecr. dist. 2 conc. Wormaciensi falso adscriptum (MG Conc. II 822, 9s.); potius *Caroli Magni* Capitula eccl. (810–813?), c. 16 (MG Capit. I 179, 9s.).

[149] Conc. Lateranense IV (a. 1215), c. 1 = c. 1 *Firmiter* X de s. trinit. I 1, § 3.

[150] Sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis;* vide supra p. 97, adn. 7.

[151] Io. 6, 59. [152] Io. 6, 51.

[153] In Ioh. evang. tract. XXVI, c. 13 (CChr. XXXVI 266, 27–29).

[154] Io. 6, 54.

[155] De doctrina christ. III, c. 16, 24 (CChr. XXXII 92, 4–9).

[156] Alphonsus Salmeron, qui die 8. Sept. 1551 praesertim art. 8 de communione sub utraque specie examinaverat, Conc. Trid. VII, I 119, 1–121, 36.

[157] *Horatius*, Sat. I 3, 6. Cf. *Des. Erasmus*, Adagia II, cent. 4, pr. 86 (Opera II 548 D). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 261, n. 1319.

[158] In missa festi Corporis Christi legitur evang. Io. 6, 56–59; cf. Missale Rom. De tali ratione Salmeronis Massarellus in Actis non rettulit.

[159] In missa eiusdem festi legitur epistola 1 Cor. 11, 23–29; vide ibid.

[160] Rom. 14, 5; cf. Eph. 4, 3.

[161] Ex ordine Min. Convent. ante Diruta nemo sententiam dixerat. Intelliguntur ergo Ioannes Ortega, Alfonsus de Contreras et Antonius de Ulloa ex ordine Min. de obs., qui diebus 9. et 14. Sept. dixerant, Conc. Trid. VII, I 127, 8ss.; 137, 28ss.; 138, 11ss.

[162] Conc. Sardicense (a. 342), can. 1–2 (*Bruns* I 88s. *Lauchert* 51, 21s.; 52, 14s.).

[163] Conc. Agathense (a. 506), can. 50 (CChr. CXLVIII 225, 23); can. 2 et 5 eiusdem concilii utuntur termino *peregrina communio* (l. c. 193, 30s.; 194, 46). Cf. Conc. Trid. VII, I 120, 4 cum adn. 4 et VI, III 29, 40s. cum adn. 30s.

[164] Conc. Trid. VII, I 113, 20s.

Digitized by Google

presbiterii[165] multo est dispositior. Nam perinde est ac de baptismi virtute, quam aequalem dicimus in omnibus baptizatis quantum ad morbi originalis deletionem et ⌜christiani quoque⌝[a] characteris impressionem; quantum autem ad gratiae infusionem non item, sed in dispo[si]tiore longe efficacior est. Ad haec nonne vegetiore et robustiore gratia opus habet dux militiae christianae et imperator quam miles? Vos autem, S[mi] Patres et sacerdotes, duces estis et antesignani; layci vero non duces sunt, sed milites. Idcirco tanta illis gratia confertur, quanta sat est militi; vobis autem, quanta sat est ducibus, hoc est ditior atque auctior. |

29r Propterea non possunt conqueri, quod fructu sacramenti eucharistici defraudentur; quinimo *tollant, quod suum est, et vadant* in nomine Domini[166]. Sat habent, quantum scil. sat est vocationi militis, et desinant, si qui sint tales, sacerdotibus invidere tantulam gratiae accessionem, qua maxime indigemus eorum causa, scil. ad illos erudiendos, pascendos, confirmandos. Immo precentur, ut nobis gratia opulentissima conferatur, quo maximum illud onus docendi, instituendi, consolandi, erudiendi, *confracta* consolidandi[167] etc. commodius ferre possimus. Nostra certe charitas illis neutiquam invidet honestam cum coniugibus voluptatem, consolationem liberorum et alia multa onera, quae suaviter blanda, dulcia et iucunda sunt. Idcirco neque est, cur illi nobis invideant uberioris gratiae auctiorem gradum, quo certe indigemus ad ferendam animo aequo suscepti caelibatus crucem et ad pascendum gregem dominicum. Alioqui invideant etiam *duplicem honorem*, quo *digni sunt praesbyteri*, qui *bene praesunt*[168], quod eis tantum simplex honor, quia scil. sunt *membra Christi*[169], praesbyteris autem bene praesidentibus duplex debeatur, tum quia membra, tum etiam quia principalia et illustriora membra sunt.

De decimo et ultimo: *Solam fidem etc.*[170] Haec vocula *sola*, quae maxime in eo loco satis facit: *Ad firmandum cor etc. sola fides sufficit*[171]. *Quod* enim *non capis, quod non vides etc.*[172], *praestat fides supplementum sensuum defectui*[171], haec, inquam, dictio *sola* in hoc loco, in quo mihi res est cum haereticis, qui nostrae pietati negocium faciunt, summopere displicet, quemadmodum addita in eo loco: *Arbitramur hominem iustificari per solam fidem*[173]. Nam hic abrogat confessionis et aliarum poenitentiae partium necessitatem et fenestram aperit indignae manducationi. Fateor: Ut rem, id est effectum sacramenti, cum sacramento sumamus, in primis necessariam esse fidem; non tamen *solam fidem esse sufficientem praeparationem*[170]. Unde Augustinus tract. 26 super Ioh. exponens illud apostoli: *Qui enim manducat etc. indigne etc.*[174]: *Ergo, fratres*, inquit, *panem coelestem* manducaturi „innocentiam ad altare apportate. Antequam ad altare accedatis, attendite, quid dicatis: *Dimitte nobis etc.*[175] Dimittis, dimittetur tibi; securus accede, panis est, non venenum. Sed vide, si dimittis etc."[176] Non igitur *sola fides etc.* Reconciliandi primum sumus ecclesiae, mox redeundum cum fratribus[177] in gratiam et *nostrae sunt inter nos irae discordiaeque placandae*[177a], si quae forsan interciderint. *Probare* debemus nosmetipsos[178]; sed id non possumus inconsulto sacerdote. Quis enim potest esse iudex, non dico sceleris aut facti, sed remissionis aut retentionis in causa propria? Neque haec probatio sui ipsius excludit sacerdotem, quemadmodum neque, si valetudinario dixerim: *Cura te ipsum*[179], hisce verbis excluditur medicus. Voluptates quoque, blandissimae dominae, quae boni naturam fallaciter imitando adulterant, precationibus, ieiuniis, lachrymis, exomologesi, eleemosinis et caeteris omnibus, quae ad mortificationem membrorum, crucifixionem carnis et Adae quoque veteris sepulturam maxime
29v faciunt, restinguendae sunt. Abluendi pedes, hoc est animi sordes per paenitentiam, | ne *illotis manibus*[180] et *profanis* (ut dicitur[181]) *pedibus* irrumpamus, sed puri atque integri, induti *veste nuptiali*[182] et sancta adhibita precatione ad sacramenti eucharistici convivium accedamus, pectore fide, spe, charitate[a] et aliis virtutibus tam bene ornato, ut veniens ad nos in sacramento eucharistico servator noster Christus *paratam sibi in nobis inveniat mansionem*[183], ne *Zachaeo publicanorum*

[a] *supra lin. add.*

[165] 1 Tim. 4, 14.
[166] Matth. 20, 14.
[167] Cf. Ezech. 34, 4. 16.
[168] 1 Tim. 5, 17.
[169] 1 Cor. 6, 15; 12, 27.
[170] Conc. Trid. VII, I 114, 1s.
[171] Breviarium Rom., hymnus *Pange, lingua* in I Vesperis festi Corporis Christi.
[172] Missale Rom., sequentia *Lauda, Sion* in missa festi Corporis Christi, str. 12.
[173] Rom 3, 28. Cf. conc. Trid. sess. VI, de iustificat. can. 9 (Conc. Trid. V 798, 17s.). *K. Haendler*, LThK[2] IX 860s.
[174] 1 Cor. 11, 29.
[175] Matth. 6, 12.
[176] In Ioh. evang. tract. XXVI, c. 11 (CChr. XXXVI 265, 25–31).
[177] Cf. Matth. 5, 23s.
[177a] *Cicero*, De haruspicum responso 28, 63.
[178] 1 Cor. 11, 28.
[179] Luc. 4, 23.
[180] *Plautus*, Poen. 316. Matth. 15, 20; Marc. 7, 2. Cf. *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 9, pr. 55 (Opera II 354 C). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 211, n. 1046.
[181] *Erasmus* ibid. (l. c. 355 C). *A. Otto* l. c. 274, n. 1390.
[182] Matth. 22, 11.
[183] Missale Rom., praeparatio ad missam, oratio *Conscientias nostras*.

Digitized by Google

principe[184] rusticiores simus, qui non in domo nostra, sed in animi penetralibus Yesum recepturi sumus etc.

Haec sunt, Patres S^mi^, quae (ut vobis obtemperarem) non de *copiae*, ut ipsi videtis, sed de inopiae nostrae *cornu*[185] vobis sanctisque omnibus *cum timore* multo *et tremore*[186] sub vestra et ecclesiarum plane omnium censura deprompsi. Si quod vero verbum me imprudente atque etiam invito forte, quod ego nolim, fortuna excidit, unde quispiam potuerit offendi, quoniam in rebus, quae pietatem laedunt aut *pacis vinculum*[187], non modo non turpis sed etiam praeclara est palinodia, id ego verbum libenter execror. Si autem cum uno et altero verbo sensus aliquis non modo male germanus aut commentitius, supposititius atque adulterinus, sed plane haereticus irrepserit ac offenderit, eum quoque sensum *sciens, prudens*[188], volens retexo recantoque, me ipsum et mea omnia vestro et ecclesiae catholicae iudicio permittens, pro qua bis patiar mori, bis moriar libens.

Tridenti coram patribus oecumenicis, 18. Calendis Octobris 1551 hora 22.

Frater Sigismundus Phaedrus Diruta ord. Min. Convent., indignus theologus.

9.

Fr. Marianus Rocha Feltrinus ord. Erem. s. Augustini Votum super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 15. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 52r–64r *(autogr.)*

Magnitudo et sublimitas sacratissimi huius et ineffabilis eucharistiae sacramenti, de quo in Conc. 14 52r
conspectu D^nis^ V. Ill^mae^ et R^mae^ ac coram amplissimis itidem et sapientissimis Patribus verba facturus sum, me adeo movet et concutit, ut illud potius optarem supplex adorare, quam verbum unicum vellem divini illius misterii promere. Ni tamen eorum iussa nihili facere videar, si quas *spicas* a vigilantissimis messoribus relictas invenire[2] potero, quaeritare non desinam. Sed quoniam me *velut stipulam ante faciem venti*[3] et sicut *lutum platearum*[4] balbutientem nec verba plene formare valentem agnosco, *non in arcu meo sperabo nec gladius meus salvabit me*[5], sed *Dominus* erit *illuminatio mea et salus mea*[6]. Quapropter non timebo sententiam meam de quibusdam ex propositis nobis articulis[7] brevioribus illis, quibus potuero, verbis in medium afferre.

Et quoniam sicut ex veritate primi articuli caeterorum plurium veritas, ita ex eius falsitate eorundem falsitas pendet et subsequitur, parum in hoc primo articulo immorabor ipsumque haereticum esse libet primo osten|dere ratione cuiusdam doctissimi viri, nempe Ruperti 52v
Tuitiensis 12 De victoria verbi Dei[8], deinde autoritate illa Ioa. cap. 6 [51ss.] ab omnibus fere adducta. Ratio sic formari potest, qua probat ille doctor congruentiam huius sacramenti sub speciebus panis et vini esse verum corpus et verum Christi sanguinem. Eo ordine debuit vivificari homo, quo in mortem lapsus est. Sed in mortem lapsus est unum videndo et aliud credendo; ergo. *Vidit* enim *pomum suave, redolens et visu pulchrum*[9] et credidit illi inesse divinam virtutem. Credidit *diabolo dicenti: Nequaquam ita erit, ut Deus dixit: Si comederitis, morte moriemini*[10]. *Sed erit, quod ego dico: Si comederitis, eritis sicut dii*[11]. Ita et in hoc sacramento oculus videt solum species panis et vini et omnes sensus clamant nihil aliud ibi esse quam panem et vinum. At ratio et fides suadet nobis aliud credere, non esse scil. ibi panem aut vinum, sed verum Christi corpus et verum Christi sanguinem. Sed quoniam ab adversariis rationes omnes sol-

184 Luc. 19, 2.
185 *Plautus*, Pseud. 671. Cf. *Erasmus*, Adagia I, cent. 6, pr. 2 (l. c. 221 E). *A. Otto* l. c. 94, n. 441.
186 Eph. 6, 5. 187 Eph. 4, 3.
188 *Cicero*, Epist. ad famil. VI 6, 6; VIII 16, 5.
1 Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 139, 11–21. De auctore cf. *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento l. c. 22s. Iam die 4. Febr. 1547 de articulis de eucharistiae sacramento sententiam dixerat, Conc. Trid. V 877, 24–33. Vide supra p. 58, 16ss. cum adn. 1.
2 Cf. Ruth 2, 2s. 6.
3 Ps. 82, 14.
4 Ps. 17, 43; Isai. 10, 6.
5 Ps. 43, 7.
6 Ps. 26, 1.
7 Quos vide Conc. Trid. VII, I 111–114.
8 De victoria verbi Dei XII, c. 12 (*Migne*, PL CLXIX 1473 A. MG Quellen z. Geistesgesch. d. Mittelalters V, ed. *Rh. Haacke*, Weimar 1970, 384, 25ss.).
9 Gen. 3, 6.
10 Gen. 3, 4.
11 Gen. 3, 5; *Rupertus Tuit.* l. c. (ed. *Haacke* 384, 28ss.).

Digitized by Google

[v]untur, ideo cum illis autoritatibus sacrae scripturae agendum est. Ideo, sicut proposui, nitar
53r ostendere Ioannem loqui in illo 6. capite de manducatione | sacramentali et spirituali simul.

Hoc autem ideo faciam, quoniam aliqui dixerunt illud intelligi debere de spirituali tantum et praecipue de mente Augustini, qui tamen Augustinus expressissime oppositum sentit (uti clare videbitur). Sed ut huius quaestionis dissolutio clarior fiat, perpendamus sincerissimam illius capitis doctrinam Christique servatoris nostri lucidissimam intentionem. Quid egit primo Christus? Ascendit *in montem*[12]. Qua de causa? Ut moneret nos, si volumus eius divina misteria cognoscere, montem altae contemplationis debere conscendere. *Sequutae sunt eum turbae multae*[12a]. Coepit Christus loqui et tractare cum discipulis suis et turbis de pane et de manducatione. Promisit satiare totam illam multitudinem solis quinque illis panibus et duobus piscibus[13]. Dubitarunt omnes, immo et impossibile existimarunt id unquam posse fieri, et dixerunt: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*[14], et: *Quid haec sunt*
53v *inter tantos?*[15] Satiavit nihilhominus[a] Christus totam illam quinque millium hominum | multitudinem. Et quod impossibile putarunt, possibile ei fuisse perceperunt, immo et plus quam possibile, cum praeceperit fragmenta colligi, quibus *duodecim cophinos impleverunt*[16]. *Illi ergo homines* viso miraculo acclamaverunt ipsum esse *verum prophetam* et Messiam, *qui venturus* erat *in mundum*[17]; et solliciti de sola corporali et temporali utilitate voluerunt *eum facere regem*[18]. Sed Christus eos instruere coepit, ut magis deberent laborare pro acquisitione cibi spiritualiter reficientis quam corporaliter saturantis, et dixit eis (ut illos manuduceret ad credendum et sperandum ab eo maiora): *Amen, amen, dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa*[19]. Observandum est, quod dicit *signa;* signum enim et figura fuit haec comestio corporalis huius sacramentalis. Ideo voluit dicere Christus: Non quaeritis me agnoscentes hanc manducationem fuisse signum, ut ex signo isto quaeratis percipere signatum in ipsaque manducatione inclusum
54r esse magnum miste|rium, sed tantum carnales carnaliter sapientes quaeritis me, *quia manducastis ex panibus et saturati estis. Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis*[20].

Ecce quomodo ducit eos paulatim ad cognitionem huius eucharistiae sacramenti. Et (ut mihi videtur) in toto isto processu talem intendit Christus rationem: Sicut filius hominis (ego scil., qui sum filius hominis) potuit ex quinque panibus omnes vos corporaliter saturare, ita poterit etiam vos suo corpore reficere et vivificare. Sed illud de facto potuit, ut ipsimet experti estis; ergo. Similitudo optime currit, quoniam argumentum est ad hominem. Ipsi autem (ut vidimus) putarunt primum impossibile et hoc secundum similiter putant; ergo ambo secundum ipsos impossibilia erant. Ergo idem iudicium est de ambobus; ergo, si unum potuit facere, poterit et reliquum. Nec valet fuga, si dicatur: Hoc secundum magis impossibile est quam illud primum, et ideo, quamvis illud potuit, hoc tamen non potest, quoniam omnia ei aequa-
54v liter possibilia sunt, cum respiciat, *ea, quae non sunt,* | *tamquam ea, quae sunt*[21]. Ergo, si illud primum potuit, poterit et hoc secundum.

Possibilitatem ergo huius sacramenti intellexit ostendere Christus per hoc miraculum et per hanc rationem. Qua ratione aliqualiter instructi homines illi ceperunt desiderare hunc cibum. Inde modum acquirendi illum petierunt dicentes: *Quid faciemus?*[21a] Christus autem petiit ab eis fidem, non ad hoc, ut scil. doceret eos hunc cibum manducari debere solum spiritualiter per fidem, sed ut crederent vera esse omnia, quaecumque loquebatur, et se posse, quod promittebat, adimplere. Non enim opus fuisset tamdiu laborare in persuadendo illis sumptionem spiritualem, cum facile sit ei uniri per fidem, quod est ipsum spiritualiter manducare.

Idem apparet etiam ex hoc, quoniam ipsi eo pacto illum intelligebant, scil. quod loqueretur de vera et reali manducatione corporis et bibitione sanguinis sui. At concederent adversarii, sicut de facto concedunt. Sed quid ad hoc? Ipsi carnales erant et male intelligebant. Fateor et
55r ego, quoniam videmus eos quaesivisse | inter se, *quomodo* scil. possibile esset, ut *carnem suam daret ad manducandum*[22]. Quibus respondit Christus non negando se daturum veritatem carnis et sanguinis sui, sed declarando modum, quo eam manducare debebant. Sed ordinate procedamus! Promittit Christus eis panem celestem. Petunt illi modum consequendi illum. Christus *invitat eos ad fidem*[23], quoniam (ut dicit meus pater Augustinus in hoc loco[24]) sunt multi, qui

[a] *cod. sic*

[12] Io. 6, 3.
[12a] Matth. 4, 25; 8, 1; 19, 2.
[13] Cf. Io. 6, 9ss.
[14] Io. 6, 7. [15] Io. 6, 9.
[16] Io. 6, 13. [17] Io. 6, 14.
[18] Io. 6, 15.
[19] Io. 6, 26.
[20] Io. 6, 26–27.
[21] Rom. 4, 17.
[21a] Io. 6, 28.
[22] Io. 6, 53.
[23] *Augustinus*, In Ioh. evang. tract. XXV, c. 12 (CChr. XXXVI 254, 19).
[24] Ibid. tract. XXVII, c. 7 (l. c. 273, 4s.).

Digitized by Google

„ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit[25]: *Nisi credideritis, non intelligetis*". Ipsi respondent se nolle credere, nisi det eis aliquod signum, et non quodcumque signum, sed maius signo dato a Mose, qui dedit eis manna, ac si vellent dicere, inquit isdem pater Augustinus: „Tu cibum promittis, *qui non perit, sed qui permanet in vitam aeternam*[26], et non talia operaris qualia Moses. Panes [h]ordeaceos ille non dedit, sed manna de coelo"[27]. Quasi vellent dicere: Da nobis cibum manna praestantiorem. Audite, quid responderit Christus: *Non Moses dedit vobis panem de coelo; sed pater meus dat vobis panem de coelo verum*[28]. Exponit Augustinus: | Moses non dedit vobis verum panem, sed figuratum. *Pater meus dat vobis panem verum.* 55v
„Ergo et illud manna hunc significabat et illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis; qui significabatur, contemnitis? *Non* ergo *Moyses dedit panem de coelo.* Deus dat panem. Sed quem panem? Forte manna? Non, sed panem, quem significabat manna, scil. Christum Iesum"[29]. Ecce, quomodo cibum petebant manna praestantiorem et Christus eis illum promittit dicens, quod manna non erat verus cibus, sed figuratus. Quid figurabat? Christum nobis in cibum datum. Manna ergo umbra, sacramentum eucharistiae veritas. Manna significabat Christum; sacramentum eucharistiae ipsum continebat. Ergo realiter ibi est. Aliter eucharistia non esset signatum, sed signum, neque veritas, sed umbra sicut manna.

Itidem sequitur: Christus promisit eis, quod ipsi petebant. Sed ipsi petebant comestionem realem. Ergo, cum promiserit illis carnem suam, sequitur, quod caro sua realiter comedatur et non *tantum spiritualiter per fidem* (ut continet secundus articulus[30]). Inde dixerunt: | *Domine,* 56r
semper da nobis hunc panem[31]. Christus instruit illos nec negat se illis fore daturum panem, quem petunt. Immo replicat se esse *panem vitae* fidemque illorum denuo expostulat[32]. Non valentes illi ob defectum fidei intelligere (ut dixi) misterium hoc sacratissimum manducandi et bibendi sacramentaliter eius carnem et sanguinem, murmurant denuo Iudaei eo, quod *dixisset* (inquit evangelista): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi*[33]. Clarius dicit Christus: *Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*[34]. Non de morte corporali loquitur Christus, quoniam sicut illi ita et nos illa morte morimur, sed de morte aeterna.

At difficultas est de multis iustis, qui manducaverunt manna et morte illa aeterna non perierunt, quia illud manna non tantum realiter sed etiam spiritualiter manducaverunt. Inde Augustinus[35]: „Manducavit manna et Moyses, manducavit manna et Aaron, manducavit |
manna et Finees, manducaverunt ibi multi, qui Domino placuerunt, et mortui non sunt. 56v
Quare? Quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam et nos hodie accepimus visibilem cibum; sed aliud est sacramentum, aliud est virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur? Unde dicit apostolus[36]: *Iudicium sibi manducat et bibit*".

Modo formo sic rationem: Sicut se habuerunt Iudaei ad manducationem mannae, ita et nos ad eucharistiae sumptionem. Sed quidam ex ipsis illud manducaverunt realiter tantum et mortui sunt, quidam autem realiter et spiritualiter et hi mortui non sunt; nullus autem spiritualiter tantum. Ergo et nos, si cum fructu volumus hoc sacramentum sumere, debemus illud et sacramentaliter et spiritualiter sumere.

Sed adhuc *litigant Iudaei dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?*[37]
Mirabile certe est, quod, quanto magis docet Christus hanc | veritatem, tanto magis illi dubi- 57r
tant. Et sicut ipsi semper intelligunt de manducatione reali, ita Christus eandem semper magis inculcat. Et multo mirabilius fuisset, quod non aperuisset eis veritatem, si de manducatione tantum spirituali loqueretur, et maxime cum totiens audisset illos dubitare. Quinimmo numquam mutavit verba, sed semper usus est iisdem verbis et clarioribus. Nec dicendum est, quod hic loquatur de traditione sui ipsius in mortem, ut ab alio dictum fuit[38], quoniam (ut patuit) de vera manducatione loquitur dicens, quod eo modo manducare debemus carnem eius, quomodo *manducaverunt patres* nostri (de iustis loquendo) *manna*[39]; sed illi etc.; ergo. Deinde nullus est ex sanctis doctoribus, qui hoc pacto verba haec intelligat. Tertio contextus verborum oppositum ostendit. Qua de causa concludit: Christus, et digne, carnem suam manducantibus et sanguinem bibentibus vitam pollicetur aeternam, non manducantibus autem mortem commi-

[25] Isai. 7, 9 (sec. LXX).
[26] Io. 6, 27.
[27] In Ioh. evang. tract. XXV, c. 12 (l. c. 255, 47–49).
[28] Io. 6, 32.
[29] In Ioh. ibid. c. 13 (l. c. 255, 8–12).
[30] Conc. Trid. VII, I 112, 18.
[31] Io. 6, 34.
[32] Io. 6, 35.
[33] Io. 6, 41. [34] Io. 6, 48–50.
[35] In Ioh. evang. tract. XXVI, c. 11 (l. c. 265, 14–22).
[36] 1 Cor. 11, 29.
[37] Io. 6, 53.
[38] Videlicet ab Ioanne Delphio; cf. Conc. Trid. VII, I 136, 12 et supra p. 114, 16ss.
[39] Io. 6, 49.

Digitized by Google

57v natur aeternam dicens: *Amen, amen, dico vobis.* | *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[40]. Quod praeceptum est et necessarium non simpliciter, sed secundum quid (sicut ab aliis dictum est[41]). Ad omnesque se extendit sacramentalis haec sumptio in re, si adsit facultas, vel in voto, si deest aut usus deficit ut in pueris. Haec solutio est divi patris Augustini in epist. ad Bonifatium dicentis: „Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat"[42].

Ex qua autoritate patet, quod et parvuli hoc sacramentum sumunt in voto, et quamvis non habeant usum liberi arbitrii, fides tamen ecclesiae eis suffragatur sicut in baptismo. Sacramentum enim baptismatis, cum faciat nos membrum corporis mistici, ordinat nos ad omnia
58r alia sacramenta, et si non su|mimus illa in propria persona, sumimus in persona ecclesiae. Et haec autoritas facit pro communicantibus sub altera specie tantum, quoniam non propter hoc privantur aliquo sacramento. Nam cum sumunt corpus Christi sub speciebus panis, incorporantur Christo et fiunt etiam participes sanguinis Christi et sufficit eis ad integritatem sacramenti, ut ecclesia per sacerdotes communicet sub utraque specie.

Sed quia nimis longum esset omnia huius capitis verba diligenter tractare, concludo, quod non suffecit Iudaeis tam diligens Christi instructio ad persuadendum illis se posse dare carnem suam in cibum et sanguinem in potum, quinimo dixerunt: *Durus est hic sermo et quis potest eum audire?*[43] Et *multi discipulorum eius abierunt retro et iam non cum illo ambulabant*[44]. At ipse alios suos discipulos commonefaciens et instruens dixit: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quicquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*[45]. Ac si diceret, inquit Augustinus:
58v „Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum. Non hoc | corpus, quod videtis, manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos"[46]. *Caro non prodest quicquam*[45]. „Sed quomodo ipsi", inquit idem Augustinus, „intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est: *Caro non prodest quicquam*[45], quomodo dictum est: *Scientia inflat*[47]. Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est: *Scientia inflat?* Sola, sine charitate. Ideo adiunxit: *Charitas vero edificat*[47]. Adde ergo scientiae charitatem, et utilis erit scientia; non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc *caro non prodest quicquam*, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum"[48]. Inde in fine illius tractatus concludit Augustinus: „Hoc ergo totum ad hoc valeat nobis, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali; sed usque
59r ad spiritus participa|tionem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus"[49].

Hanc eandem suam intentionem et expositionem magis explicat ac salvatoris verbo confirmat in De verbis apostoli dicens: „Quid sibi vult: *Hoc vos scandalizat?*[50] Putatis, quia de hoc corpore [meo], quod videtis, partes facturus sum et membra mea conscissurus et vobis daturus? Quid, *si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?*[51] Certe, qui integer ascendere[a] potuit, consumi non potuit. Ergo et de corpore ac de sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem et tam magnam breviter solvit de sua integritate quaestionem"[52]. Et parum infra: „Manduca vitam, bibe vitam: [habebis vitam] et integra est vita"[52].

His ergo sic declaratis de mente patris Augustini clare patet Christum non negasse in eucharistiae sacramento esse realiter corpus suum ipsumque a nobis sacramentaliter sumi, sed

[a] *cod.* ascendi

[40] Io. 6, 54.

[41] Videlicet a Reginaldo de Genua, Desiderio de Verona, Alfonso de Contreras, Conc. Trid. VII, I 137, 2ss. 15ss. 29ss.

[42] C. 131 *Nulli* de consecr. dist. 4 (*Friedberg* I 1404); eadem leguntur in c. 36 *Quia passus* de consecr. dist. 2, § 1 (l. c. 1326), *Ivo Carnotensis*, Decretum II, c. 1 (*Migne*, PL CLXI 135 C) et apud *Petrum Lombardum*, Sent. IV dist. IX, c. 1 (Ad Cl. Aquas ²1916, II 794), et *Anselmum Lucensem*, Collectio can. IX 25 (ed. *Fr. Thaner* 467). Non est Augustini. Cf. *Hugo de S. Victore*, Summa sententiarum tract. VI, c. 3 (*Migne*, PL CLXXVI 140 C–D).

[43] Io. 6, 61.

[44] Io. 6, 67.

[45] Io. 6, 64.

[46] Enarrat. in Ps. 98, c. 9 (CChr. XXXIX 1386, 57–61). Eadem leguntur in c. 44 *Prima* de consecr. dist. 2 (*Friedberg* I 1330).

[47] 1 Cor. 8, 1.

[48] In Ioh. evang. tract. XXVII, c. 5 (l. c. 272, 10–20).

[49] Ibid. c. 11 (l. c. 276, 11–15).

[50] Io. 6, 62. [51] Io. 6, 63.

[52] *Augustinus*, sermo 131 (olim de verbis apostoli 2), c. 1 (*Migne*, PL XXXVIII 729).

Digitized by Google

tantum, quod non erat ibi passibiliter secundum partes et ut caro mortua, sed impassibiliter secundum totum, ut vita vivens et spiritualiter nos vivificans, quod non poterant multi ex eius discipulis intelligere, quia, inquit Christus[53], *non* | *credebant*. Inde in fine illius capitis *dixit* 59v
duodecim discipulis, „qui remanserunt: *Numquid et vos vultis abire? Respondit Petrus*[54] pro omnibus, unus pro multis, unitas pro universis", inquit Augustinus[55]. Et quid dixit? „*Domine, ad quem ibimus?*[56] Repellis nos a te? Da alterum te. Si a te recedimus, ad quem ibimus? *Verba vitae aeternae habes*[56]. Videte, quemadmodum Petrus, dante Deo, recreante spiritu sancto, intellexit. Unde, nisi quia credidit? *Verba vitae aeternae habes*. Vitam enim aeternam habes in ministratione corporis et sanguinis tui. *Et nos credidimus et cognovimus*[57]. Non cognovimus, et credidimus; sed *credidimus et cognovimus*. Credidimus enim, ut cognosceremus. Nam si prius cognoscere et deinde credere vellemus, nec cognoscere nec credere valeremus. Quid credidimus[a] et quid cognovimus? *Quia tu es Christus, filius Dei vivi*[57], id est, quia ipsa vita aeterna tu es et non das in carne et sanguine tuo, nisi quod es"[58].

Qui autem dicunt Augustinum | exponere hoc caput de manducatione spirituali tantum et 60r
non etiam de sacramentali, legant, obsecro, illum et mecum certe fatebuntur veritatem. Nec varius est Augustinus, ut sibimetipsi non constet (ut etiam dictum fuit[59]). Quoniam cum duplex sit huius sacramenti manducatio, sacramentalis scil. et spiritualis, unaque ab altera separari possit, non varius est Augustinus, si quandoque sacramentalem inculcat et quandoque spiritualem suadet, sine qua prima nihil valet, et modo de una, modo de alia et saepius de utraque loquatur.

Sunt etiam, qui ex quibusdam eius dictis inferre conantur hoc sacramentum non esse nisi similitudinem corporis Christi. Ait enim lib. 83 Quaest.: „Christus seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris et eius sacrificii similitudinem celebrandam in suae passionis memoriam commendavit"[60]. Hoc enim sacrificium repraesentat illud unicum sacrificium pro nobis in cruce semel oblatum; ideo nostrum hoc quotidianum est vere similitudo illius. Non intelligit ergo Augustinus, quod sit similitudo carnis et sanguinis Christi, sed passionis. Et cum iterum dicit: |
„Non enim dubitavit Dominus dicere: *Hoc est corpus meum*[61], cum signum daret corporis sui"[62], 60v
— verum enim dixit, quia vere corpus suum dedit —, quod tamen corpus erat *signum*, id est significabat corpus suum passum et crucifixum. Memoriale est enim hoc sacramentum passionis Christi. Et ita stat, quod sit verum corpus Christi et verus sanguis in hoc sacramento per nos Deo oblatus in memoriam et recordationem illius *unicae oblationis*, qua *semetipsum* in cruce *obtulit*[63] Dominus noster Iesus Christus.

Ex his omnibus sic declaratis patet duos hos primos articulos et falsos esse et haereticos.

Ne sim nimis prolixus, tres ultimos articulos tangam, caeteros autem tamquam sufficienter examinatos a doctissimis theologis praetermittam. Circa octavum teneo sufficere populo sub altera tantum specie uti hoc sacramento, nec *esse de iure divino* ipsum *sub utraque specie communicare*[64]. Me movet ad hoc dicendum antiquus usus ecclesiae, autoritas Act. apost. 2 [42]: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis*[b] *panis*, ubi nulla fit mentio de vino, et | illa, quae habetur Luc. 24 [30. 35], dum scil. recumberet Christus cum duobus 61r
discipulis in Emaus, et *accepit panem et benedixit ac fregit et porrigebat illis*, ubi similiter non apparet nisi usus huius sacramenti sub speciebus panis. Sed quidam[65] hic dixit non posse per hoc convinci laicis non debere tradi hoc sacramentum nisi sub specie panis, quoniam non sequitur: Non fit ibi mentio de vino; ergo non ministrarunt hoc sacramentum sub speciebus vini, sicut non sequitur: Legitur Luc. 14 [1]: *Cum* introisset *Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem;* non fit ibi mentio de vino; ergo non fuit in illo convivio vinum. Dico ego ibi valere consequentiam, hic autem non. Et ratio dissimilitudinis est, quoniam, ut dicit Augustinus in principio primi De trinitate Dei[66], sacra scriptura, cum hominibus loquitur, more humano loquitur. Mos autem humanus est, ut, cum aliquem invitamus nobiscum ad comedendum, dicamus: Vis venire mecum ad manducandum vel ad bibendum? Numquam

[a] *cod.* credimus [b] *cod.* fractione

[53] Io. 6, 65.
[54] Io. 6, 68s.
[55] In Ioh. evang. tract. XXVII, c. 9 (l. c. 274, 2–6).
[56] Io. 6, 69.
[57] Io. 6, 70.
[58] In Ioh. evang. ibid. c. 9 (l. c. 274, 7–20).
[59] Quis theologorum haec dixerat, ex Actis non apparet.
[60] De div. quaestionibus LXXXIII, qu. 61, 2 (*Migne*, PL XL 49).
[61] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22.
[62] Contra Adimantum c. 12 (CSEL XXV, I 140, 19–21).
[63] Cf. Hebr. 9, 25; 10, 10. 14.
[64] Cf. Conc. Trid. VII, I 113, 11.
[65] Videl. Sigism. Phaedrus Diruta, qui die 14. Sept. sententiam dixerat; vide supra p. 124, 35ss.
[66] De trinitate I, c. 1, 2: „Rebus, quae in creatura reperiuntur, solet scriptura divina velut infantilia oblectamenta formare" (CChr. L 29, 51s.).

Digitized by Google

61v autem dicimus haec duo simul, scil. | ad manducandum et ad bibendum. Et hoc ideo est, quia haec duo se ad invicem necessario consequuntur, ut qui unum facit et alterum faciat necesse sit, cum naturalis refectio tantum altero istorum nequeat fieri. Non sic autem est de spirituali ista refectione, quae fit per hoc sacramentum, quoniam aeque bene potest anima nostra refici et vivificari per sumptionem corporis Christi sub altera tantum specie quantum sub utraque. Nec ista duo se necessario consequuntur, sed simul sunt, ut, qui sumit carnem, sumat et sanguinem et econtra. Non autem ibi sequitur, ut, qui comedit panem, et vinum in pane sumat, quoniam in eo non continetur. Praeterea in naturali refectione sub una communi benedictione manducamus et bibimus; in isto autem sacramento duae requiruntur distinctae benedictiones panis et vini. Ideo, si sub utrisque speciebus communicassent, expressisset ambas benedictiones et Lucas et Christus (sicut in ultima coena fecit). Sed solam unam expressit; ergo solam unam
62r speciem eis tradidit. Valet ergo: Non fit in locis adductis | mentio nisi de benedictione panis seu de pane ipso; ergo ibi non fuit sumptio huius sacramenti nisi sub specie panis et non valet in refectione naturali etc. Remanet ergo, quod, cum legamus Christum et apostolos ministrasse populo hoc sacramentum sub altera tantum specie, quod et nos ita facere debeamus.

In nono articulo convenerunt omnes theologi, quod tantum continetur sub una specie quantum sub utraque quoad rem contentam, quae est corpus Christi. Sed quoad effectum huius sacramenti, qui est adeptio vel augmentum gratiae, varie loquuti sunt. Ego sum huius opinionis nec aliter unquam credam, nisi in sacrosancta synodo oppositum determinatum fuerit, quod scil. caeteris paribus maiorem gratiam vel maius augmentum gratiae consequitur sumens sub utraque specie quam sumens sub altera tantum. Et moveor hac ratione, primo: Sit laicus et sacerdos aequaliter dispositi, sumant ambo hoc sacramentum sub speciebus panis, certum est, quod aequaliter augmentantur in gratia, sicut etiam aequaliter erant dispositi. Sumat deinde
62v sacerdos sub specie vini, certum est, quod, ex quo magis | dispositus est, magis etiam in gratia augmentatur, quam fuerit ante; ergo maiorem fructum consequitur quam laicus. Et hoc sic probo, scil. quod in secunda sumptione magis augeatur. *Sacramenta ex opere operato conferunt gratiam* et hoc non indiget probatione, quoniam id determinatum est in decreto de sacramentis in genere[67]. Sed sic est, quod ita est opus non modo operatum sed et operans in sumptione huius sacramenti sub speciebus vini sicut sub speciebus panis. Ergo, si sub speciebus panis confertur gratia sumentibus ex opere operato, et sub speciebus vini eam conferri necesse est.

Ideo articulus falsus est et apud me etiam haereticus. Et cum dicitur: Laici possent conqueri, si fraudarentur etc., dico, quod iusta querela posset accidere, si sacramenta essent res debitae. Sed sunt gratuitae. In rebus autem gratuitis non est querela[68]. Deinde nulla gratia privantur, etsi non tradatur eis hoc sacramentum sub utraque specie, quoniam potest laicus tali contritione, humilitate et dispositione accedere ad sumendam eucharistiam sub una
63r tantum specie, quod non modo parem sed et maiorem consequatur gratiam, | quam consequatur sacerdos sumendo sub utraque. Ideo munus populi est laborare et curare omni qua possunt humilitate et dispositione accedere, ut eam consequantur gratiam, quam consequuntur sacerdotes, et *manere in ea vocatione, in qua vocati sunt*[69]. Non enim omnes sumus sacerdotes, non omnes *pastores et doctores etc.*[70]

Varii etiam fuerunt theologi in examinatione ultimi articuli quoad illam partem de confessione[71]. Quidam enim dixerunt eam requiri ad sumptionem eucharistiae, quidam solam contritionem sufficere. Ego sum huius opinionis, quod, si quis cognoscit se esse in peccato mortali et habet copiam idonei sacerdotis, teneatur ad confessionem, quoniam tenetur agere illam poenitentiam, quae in ecclesia agitur. Sed illa includit confessionem; ergo etc. Videmus enim Nadab et Abiu interfectos fuisse eo, quia non *posuerunt ignem* novum *in turibulo*[72], sicut statutum erat in lege, Ozam interfectum, quia indigne *tetigit archam* Domini[73], Bethsamitae *percussi*, quia ipsam aspexerunt etiam indigne[74]. Quid ergo erit de indigne sumentibus verum |
63v corpus Domini? Et ad hoc facit autoritas Ricardi De potestate ligandi et solvendi[75], prout adducitur a Ricardo de Mediavilla, qui sic ait: „Si ante sacerdotis absolutionem criminosus ad communionem corporis Christi accedat, pro certo iudicium sibi manducat et bibit, etiam si

[67] Sess. VII, can. 8 de sacram. in gen. (Conc. Trid. V 995, 25).
[68] Cf. Matth. 20, 13s. [69] 1 Cor. 7, 20.
[70] Eph. 4, 11; cf. 1 Cor. 12, 28s.
[71] Conc. Trid. VII, I 114, 2.
[72] Lev. 10, 1s.; Num. 3, 4; 26, 61.
[73] 2 Reg. 6, 6s.; 1 Par. 13, 9s.
[74] 1 Reg. 6, 19.
[75] *Richardus a S. Victore*, Tract. de potestate ligandi et solvendi c. 21: „Audacter dico, si ante sacerdotis absolutionem ad communionem corporis et sanguinis Christi accesserit, iudicium sibi pro certo manducat et bibit, etsi eum peccasse iam multum poeniteat" (*Migne*, PL CXCVI 1173 B).

Digitized by Google

[eum] iam ante multum poeniteat"[76]. Et d. Augustinus in serm. 1 De adventu: „*Qui odit fratrem suum, homicida est*[76a]. Vestrum modo est iudicare, utrum homicida, antequam poenitentiam agat, praesumere debeat eucharistiam accipere"[77]. Et in epist. ad Iul[ianum] (licet ab aliquibus dubia habeatur) loquens de sumentibus eucharistiam inquit: „Quando enim eam accipere debemus, antea ad confessionem et poenitentiam recurrere debemus etc."[78] Et cum a quibusdam dicatur: Sufficit contritio, solvunt sacri theologi, qui oppositum tenent, et dicunt, quod ad digne accedendum requiritur, ut homo Deo reconcilietur, quia per hoc sacramentum efficimur eius filii; hoc autem fit per veram contritionem. Et quia efficimur etiam viva membra *corporis* mistici, *quod est ecclesia*[79], ideo debemus etiam reconciliari ipsi | ecclesiae, quod fit per 64r
confessionem, et sic utraque requiritur. Cum autem dicatur: Non est praeceptum nisi de confessione *semel in anno* facienda[80], dicunt id ordinarie verum esse. Sed in casu pluries tenemur, ut puta, quando quis esset infirmus et quando, dicunt[81], vult sumere eucharistiam. Et sic necessaria est confessio ante sumptionem eucharistiae.

Haec autem omnia simul ac meipsum submitto semper censurae et correctioni huius sacrosanctae synodi et sanctae matris ecclesiae.

Theologorum minimus fr. Marianus Roccha ord. Erem. s. Augustini.

10.

Fr. Franciscus de Villalba ord. s. Hieronymi Hispanus Sententia super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 16. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, f. 107r–112r *(autogr.)*

Articuli de sacramento eucharistiae Conc. 14 107r

per Dominos theologos examinandi, an sint heretici et per sanctam synodum damnandi

Articulus primus: *In eucharistia non esse* ...[2].

Hunc articulum assero esse hereticum. Hic enim error fuit Berengarii, qui primus heresym hanc adinvenit. Sed Leo IX pontifex maximus iussit congregari concilium Vercellis[3], ubi damnata est predicta heresys Berengarii. Berengario autem in sua obstinatione manente mortuo Leone IX Victor II, qui eidem successit, iussit congregari concilium Turonis, ubi presidente Hildebrando, ecclesiae Romane cardinale, praesenteque Berengario damnata est eadem heresys[4]. Sed postea idem Berengarius *ad vomitum rediens*[5], Nicholaus II, qui Victori successit, convocavit concilium Rome et praesentibus 113 episcopis adsistente ibidem Berengario condemnatus est hic error[6]. Et idem Berengarius *palinodiam cantavit*[6a] et predictam heresym adiuravit[b], que adiuratio[b] habetur de consecr. dist. 2 c. [42] *Ego Berengarius*[7]. Post Berengarium tenuit hunc

[a] *Massarellus f. 107r haec adnotavit:* Francisci de Vigliarva ord. s. Hieronymi Hyspani, die 16. Septembris 1551
[b] *cod. sic*

[76] *Richardus de Mediavilla*, In IV Sent. dist. 9, art. 2, qu. 2 (Brixiae 1591 [Frankfurt 1963], IV 111).
[76a] 1 Io. 3, 15.
[77] *Ps.-Augustinus*, sermo 115 in appendice De adventu Domini I, c. 4 (*Migne*, PL XXXIX 1974), potius *Caesarius Arelat.*, sermo 187, c. 4 (CChr. CIV 765, 4, 25), praeterea inter opera *Fausti Reiensis* (CSEL XXI 226, 13–15).
[78] *Ps.-Augustinus*, De salutaribus documentis (citatur a Gratiano c. 2 *Karitas* de poenit. dist. 2 sub rubr.: *Augustinus ad Iulianum comitem*), c. 33 (*Migne*, PL XL 1059).
[79] Eph. 5, 30; Col. 1, 24.
[80] C. 12 *Omnis utriusque sexus* X de poenit. et remiss. V 38 (*Friedberg* II 887s.).
[81] E. gr. *Richardus a Mediavilla;* cf. infra p. 140[105].

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 141, 1–26. Auctor, qui erat familiaris archiepiscopi Granatensis, eam litteris mandavit, postquam in congregatione theologorum dixerat. De eo cf. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 494–496.
[2] Cf. Conc. Trid. VII, I 111, 10s.
[3] De synodo Vercellis mense Sept. 1050 habita rettulit *Lanfrancus*, De corp. et sangu. Domini, c. 4 (*Migne*, PL CL 413 C). Vide supra p. 102, adn. 33.
[4] De concilio Turonensi (a. 1054) vide supra p. 102, adn. 34.
[5] Prov. 26, 11; 2 Petr. 2, 22.
[6] De concilio 113 episcoporum Romae mense Apr. 1059 in basilica Lateranensi habito cf. supra p. 102, adn. 35.
[6a] Cf. *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 9, prov. 59 (Opera II 356 A–D). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer l. c. 262, n. 1323.
[7] Cf. supra p. 102, adn. 36.

Digitized by Google

eundem errorem Vuicleff asserens corpus Christi non esse vere et realiter in sacramento altaris, sed tamquam in signo, puta sicut in manna vel sicut in imagine crucifixi[8]. Qui quidem error damnatus est in concilio Constantiensi sessione octava[9]. Nostro tempore suscitavit hanc sepultam heresym Iohannes Echolampadius, qui asserit illa verba Christi: *Hoc est corpus meum* sic intelligi, id est: *Hoc significat corpus meum* vel: *Hoc est figura corporis mei etc.*[10] Ad probandum ergo articulum esse hereticum satis est adduxisse tot determinationes ecclesiae, que in tot conciliis heresym hanc damnavit. Sed quia heretici non audiunt ecclesiam, sed solum scripturam sacram, ex sacris litteris iam ostendamus articulum hunc esse hereticum.

Christus, redemptor noster, promisit se daturum nobis carnem suam in cibum et sanguinem in potum; ergo adimplevit. Consequentia bona est, nisi dicas aut non potuisse aut noluisse. Primum est hereticum, secundum est impium, quia tunc Christus esset homo perfidus, a veritate alienus, fidei promisse violator. Probatur ergo antecedens ex verbis ipsius Christi Ioh. 6 [52]: *Panis, quem ego dabo, caro mea est,* quam ego dabo *pro mundi vita.* Pondera bis posi-
107v tum esse verbum *dabo* (ita enim habetur in textu greco authoritas hec), ut semel | referas ad donationem in modum cibi, iterum autem referas ad passionem, in qua seipsum morti tradidit pro nostra omnium vita, ac si expressius dixisset: Panis, quem ego daturus sum ad comedendum, caro mea est, caro, inquam, illa, quam dabo pro vestra omnium vita. Quod si dicatur etiam verbum *est* accipi hoc loco pro *significat*[11], ac si dicat: *Panis, quem ego dabo,* carnem meam significat aut figura quedam est corporis mei, adducamus clariora verba, quae perverti non possint. Addit Christus: *Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[12]. Ecce iam eandem sententiam Christus repetit ostendens carnem suam vere esse cibum. Et quia previdit futuros esse hereticos, nempe Berengarium et Ecolampadium, qui expposituri erant hoc verbum *est* pro *significat,* ne quid tale suspicari merito possent, iam non repetit hoc verbum *est,* sed ait: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus verbis nihil tale potest confingi, ut verbum *manducare* exponatur per *significare,* nisi forte iterum exponat hereticus *carnem* per *figuram carnis,* dicens sic debere intelligi: *Nisi manducaveritis carnem,* id est figuram carnis filii hominis etc. Quis tamen non videat tum hoc esse alienum a littera, ut nullo modo ei possit convenire? Verum, ne quid tale iam fingi possit, subiungit Christus: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*[13]. Ecce iam non dicit solum: *Caro mea est cibus,* sed: *vere est cibus,* ne ullo pacto per figuram exponi queat. Non dicit: *Sanguis meus est potus,* sed: *vere est potus.* Certe, si caro Christi in eucharistia tantum est significative et per quandam imaginem, non est vere cibus, sed significative aut imaginarie cibus. Christus autem inquit: *Caro mea vere est cibus,* ac si diceret: non significative aut figurative, sed vere est cibus. Nam, si figurative tantum esset cibus, nequaquam vere esset cibus. Numquam enim imagines aut figurae dicuntur vere esse illa, quorum sunt imagines. Quis enim diceret imaginem Dei vere esse Deum? Non credo Ecolampadium hoc dicturum. Iam enim tunc (preter alia fidei incommoda) hoc esset
108r adversus Ecolampadium peculiare, imagines scil. esse tollerandas. Cum | imago Dei sit vere Deus, Ecolampadius tamen imagines negat nec eas admittere aut sustinere vult[14]. Si ergo imago

[8] *Io. Wyclif,* De eucharistia tract. maior, c. 1: „Unde figurative vel mistice sepe in locucionibus istius materie figuratum intelligitur per figuram, ut, sicut grammaticus dicit, quod dominus est nomen, et logicus, quod hoc signum homo est species, sic dicit theologus, quod panis est corpus Christi et vinum eius sanguis, quod oportet figurative intelligi signo supposito pro signato" (ed. *Io. Loserth,* London 1892 [New York 1966], 24, 20ss.). Ibid. c. 5: „Nam non dubium, quia [Christus] panem materialem accepit ..., quem demonstravit dicens: *Hoc est corpus meum,* quod oportet omnino figurative intelligi sicut et verba de calice" (l. c. 115, 26ss.). Cf. *Thomas Netter Waldensis,* Doctrinale, de sacramento eucharistiae c. 33 et 35 (Venetiis 1758 [Farnborough 1967] II 213. 228).

[9] Sess. VIII (4. Maii 1415), errores Io. Wicleff n. 3 (*Mansi* XXVII 632 E. 1207 E). Cf. supra p. 111[4].

[10] *Io. Oecolampadius,* De genuina verborum Domini *Hoc est corpus meum* iuxta vetustissimos authores expositione: „Vides, quomodo [*Tertullianus,* Adv. Marcionem IV, c. 40, 3, CChr. I 656, 25] interpretetur: *Est corpus, id est figura corporis?* Sive igitur dicas *est* pro *significat* sive *corpus, id est figura corporis,* meam confirmabis tuamque destrues sententiam" (Basileae 1525, f. C 6r). Cf. ibid.: „Neque in hoc contenderim, si quis per *corpus* magis *figuram corporis* intelligi quam verbum velit, *est* per *significat* interpretari; nam idipsum et mihi arridet; utrumque tamen probo, eo quod eundem sensum reddit, sive *est significat* interpreteris sive *corpus figuram* et sacramentum *corporis*" (l. c. f. B 8r).

[11] *H. Zwingli,* De vera et falsa religione comment., art. 18 (Corp. Ref. XC 795, 11ss.). *Idem,* Subsidium sive coronis de eucharistia (l. c. XCI 476, 27ss.; 486, 1ss.). *Idem,* Daß diese Worte: *Das ist mein Leib etc.* ewiglich den alten Sinn haben werden (l. c. XCII 876, 16s. 29ss.).

[12] Io. 6, 54.

[13] Io. 6, 55–56.

[14] *Io. Oecolampadius* l. c.: „Et si dixerint unum et idem corpus in variis locis, dicant et hoc, quod idem sit exemplar sui ipsius et relativum sine correlativo; dent patrem sine filio, dent imaginem sine eo, cuius est imago. Quicquid dixerint, relatio duorum erit, et figuram adesse consensus priscorum docet ac res ipsa" (l. c. C 8v). *Idem,* Repulsio Apologiae sacrificii eucharistiae, quam Pelargus factionis s. Dominici senatui Basiliensi obtulit: „Coniuncta tibi videntur sacrificium

Digitized by Google

aut figura non dicitur vere esse id, cuius est imago, sed tantum significative, qualiter caro Christi, quae nullo modo (ut heretici dicunt) comeditur, dici poterit *vere cibus;* quod, si *vere cibus* est, comeditur et, si comeditur, est certe realiter in sacramento eucharistiae et non tantum in figura.

Sed iam Ecolampadius per quandam rimulam evadi[a] conatur dicens predicta verba, immo totum illud sextum caput Iohannis, nullo pacto intelligenda esse de eucharistia aut de eius manducatione sacramentali, sed de manducatione spirituali carnis Christi et sanguinis, per quam (ut ipse dicit[15]) habemus vitam eternam. Loquitur ibi Christus de manducatione spirituali per fidem. Sed iam hoc ostendamus esse falsum et primum omnium hanc esse communem omnium sanctorum patrum sententiam predicta verba Christi: *Panis, quem ego dabo etc. Nisi manducaveritis carnem etc.*[16] intelligenda esse de manducatione sacramentali et non de sola spirituali. Patet eorum libros legenti. Sufficiat tantum citasse loca: Origenes hom. 7 super lib. Numerorum[17]; Hylarius 8. lib. De trinitate[18]; Ciprianus et in expositione orationis dominice[19] et lib. 1 Contra Iudeos[20]; Ambrosius lib. 6 De sacramentis c. 1[21]; Gregorius super illud Iob 6. c.[22]: *Numquid rugiet onager, cum habuerit herbam;* Casiodorus super Ps. 109[23]; s. Thomas 3. p. q. 80 art. 11[24]; gloriosus martir et episcopus Rofensis[a] lib. contra Lutherum art. 16[25]; Leo papa I in epistula ad Constantinopolitanos[26]; Iuvencus, qui antiquior est Hieronimo, in carminibus historie evangelice[27]; Arnobius super Ps. 110[28]; Yreneus lib. 5 Adversus hereses[29]. Si dicatur omnes hos non expositores, sed predicatores esse non multum de sensu litterali curantes, audiat qui hoc dixerit etiam expositores. Cirillus super 6. cap. Iohannis[30]; Chrisostomus[31], Theophilactus ibidem[32]; quin et beatus Augustinus, si bene intelligatur, super Iohannem tract. 26 numquam exponit praedicta verba de manducatione spirituali solum, sed de spirituali et sacramentali simul[33]. Sic enim intelligebat Christus se manducandum. Ecce omnes doctores hii verba Iohannis 6 de manducatione sacramentali exponunt. | Quod si pauci sunt doctores predicti, in me- 108v dium exeat sancta synodus Ephesina prima, quam b. papa Gregorius *sicut* unum ex *4 evangeliis* se *venerari et recipere fatetur*[34], ubi congregati ducenti numero episcopi[35]. Quae synodus in epistola quadam ad Nestorium missa ponentem in Christo sicut duas naturas ita et duas personas asserentemque in eucharistie sacramento substantiam panis converti in substantiam corporis puri hominis; inter alia verba sunt hec in epistola praedicta: „Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus et sanctificamur participes sancti corporis et preciosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris, effecti, non ut communem carnem percipientes (quod absit) neque ut viri sanctificati et verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem et ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriae carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo, quamvis dicat ad nos: *Amen, amen, dico vobis. Nisi manducaveritis carnem filii hominis*

[a] *cod. sic*

et imago sacrificii. Quid hoc fuerit dicere? Num corpus Christi per se est sacrificium? Minime, sed quatenus mactatum est. Iam si imaginem sacrificii esse sacrificium dices, sequetur et hic mori et mactari Christum, quia est imago passionis. Nunquid adhuc insania sacrificantem dici filii Dei mactatorem?" (Basileae 1528, f. c 6r).

[15] *Io. Oecolampadius*, De genuina verborum Domini expositione: „Insuper, quod ad illam sacramenti carnei continentiam facit, nihil ex sexto capite Ioannis probari potest. Idem est *manducare carnem* et venire ad Christum et credere in Christum et in fide diligere, quod ex effectis patet ... Et iterum: Qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium, non habet vitam. Ostendunt scripturae inter se collatae, quid sit manducari carnem Christi manducatione spirituali. Sicut enim in Christo manet et Christus in eo, qui illum confitetur et propter sermonem mundatur, ita et is, qui edit carnem, in Christo manet et Christus in eo" (l. c. f. F 4vs.).

[16] Io. 6, 52. 54.

[17] In Numeros hom. 16, 9 (GrChrSchr. 30. Origenes VII 151, 30ss.).

[18] De trinitate VIII, c. 14 (*Migne*, PL X 247 A).

[19] De dominica oratione c. 18 (CSEL III 280, 10ss.).

[20] Testimoniorum ad Quirinum l. I, c. 22 (ibid. 58, 6ss. CChr. III 24, 1ss.).

[21] De sacramentis VI, c. 1, 1–2 (CSEL LXXIII 72, 3ss.).

[22] Moralia VII, c. 12 in Iob 6, 5 (*Migne*, PL LXXV 774 A).

[23] Expositio in Ps. 109, 4 (CChr. XCVIII 1011, 231ss.).

[24] Summa th. III, qu. 80, art. 11.

[25] *Io. Fisher, Roffensis* episc., Assertionis Lutheranae confutatio, art. 16 (Opera, Wirceburgi 1597, 472ss.).

[26] Epist. 59 ad clerum et plebem Constantinop., c. 2 (*Migne*, PL LIV 868 B).

[27] Evangeliorum IV 448: „Discipulos docuit proprium sic edere corpus" (CSEL XXIV 130).

[28] *Arnobius iunior*, Comment. in Ps. 110 (*Migne*, PL LIII 497 C).

[29] Adv. haereses V, c. 2, 2 (ed. *Harvey* II 319s.).

[30] In Ioannem IV, c. 2: in Io. 6, 54 (*Migne*, PG LXXIII 577/78 C).

[31] *Io. Chrysostomus*, In Ioannem hom. 47, c. 1 (*Migne*, PG LIX 263).

[32] Enarratio in Io. 6, 53ss. (*Migne*, PG CXXIII 1309/10 C).

[33] In Ioh. evang. tr. XXVI, c. 11 et 15 (CChr. XXXVI 265, 18ss.; 267, 12ss.).

[34] *Gregorius I*, Reg. epist. I 24 (a. 591): „sicut s. evangelii quattuor libros, sic quattuor concilia suscipere et venerari me fateor, Nicenum scil." (MG Epist. I 36, 19s.).

[35] De numero episcoporum in concilio Nicaeno I congregatorum cf. *Hefele-Leclercq* I, 1 409s.

Digitized by Google

et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis[36], non tamen eam (scilicet carnem) ut hominis unius ex nobis existimare debemus (quomodo enim iuxta naturam suam vivificatrix esse caro poterit hominis?), sed ut vere propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus et vocatus"[37]. Hec concilium. Ex quo sic arguitur: si predicta verba Iohan. 6 [54] synodus aut intellexisset aut intelligi posse vidisset de sola manducatione spirituali et non de sacramentali, nihil concluderet contra Nestorium. Poterat namque Nestorius respondere, quod non de sacramentali, sed de manducatione spirituali solum loquebatur Christus. Sed quia synodus intellexit verba illa de sacramentali manducatione a Christo dicta esse nec de sola spirituali intellegi deberi, obiecit illa tamquam indubia Nestorio ipsi. Et hoc argumentum ita Ecolampadium convicit, ut assereret praedictam epistolam non esse synodi, sed ipsius Cirilli solum et non de patrum consensu[38]. Quam rationabiliter autem hoc dicatur, videat qui inscriptionem ipsius epistole legerit, que habet sic: „Religioso et Deo amabili consacerdoti Nestorio Cirillus et quicumque sunt apud Ephesi synodum"[39]. Praesidebat siquidem ibi Cirillus, Alexandrinus episcopus, nomine summi pontificis. Iam ex his constat predicta verba de manducatione sacramentali intelligi, quod adhuc confirmatur, quia, quando Christus Iohan. 6 loquebatur clare de spirituali sui ipsius manducatione ut ibi: *Operamini cibum, qui non perit etc.*[40] *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille etc.*[41] *Qui venit ad me, non esuriet. Qui credit in me, non sitiet*[42]. *Qui credit in me, habet vitam etc.*[43] Ecce, in his omnibus, ubi constat ipsum de spirituali manducatione
109r loqui, numquam | usus est verbo *manducare* aut *bibere*, quia certe nulla similitudo est manducare et bibere ad credere. Quando ergo mutat verba, aliquid novum intelligendum voluit et certe non aliud nisi realem sui ipsius manducationem. — Omitto alias rationes, quas alias dixi.

Colligamus igitur: Christus promisit se daturum carnem suam in cibum et sanguinem in potum. Ergo adimplevit, et non nisi quando dixit: *Hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem*[44]. Ergo corpus Christi vere et realiter est in hoc sacramento. Sed restat manifestandum, quomodo verba hec: *Hoc est corpus meum etc.* non accipiantur methaphorice, sed proprie. Quod ratione dialectica manifeste patet. Est enim regula logica, quod in propositione methaphorica nomen rei proprie significatae praedicatur de re methaphorice significata, sed non econtra, praecipue, si addatur pronomen demonstrativum. Verbi causa dicimus: Christus est *leo*[45], sed non: leo est Christus. *Christus est petra*[46], et non: petra est Christus. Christus est *vitis vera*[47], et non: vitis vera est Christus. Apostoli sunt *palmites*[48], non tamen: palmites sunt apostoli. Et praecipue, si pronomen demonstrativum addatur. Quis unquam dixit: Hic leo est Christus. Hec petra, hec vitis vera est Christus? Hii palmites sunt apostoli? Si ergo dicimus methaphorice: corpus Christi est panis, non licebit dicere: *Hoc*, demonstrando panem, *est corpus* Christi. Christus tamen dicit: *Hoc* (demonstrando panem statim futurum suum corpus) *est corpus meum*. Ergo non accipienda predicta loquutio methaphorice, sed proprie et secundum veritatem. Ergo vere et non methaphorice est ibi corpus Christi; quare id negare est hereticum. — Alia dixi plura circa hunc articulum in congregatione, que hic omitto.

Articulus secundus: *Exhiberi in eucharistia Christum* ...[49].

Articulus hic, si hunc sensum faceret, quod non omnibus Christianis est preceptum divinum de manducatione sacramentali, non esset hereticus, cum s. Thomas[50], Alexander de Ales[51]

[36] Io. 6, 54.
[37] *Cyrilli* epist. 3 ad Nestorium synodica (translata a Dionysio Exiguo), c. 7 (Acta conc. oecum. tom. I, vol. V 2, 240, 8–18; ibid. vol. I 1, 37, 25–38, 3 graece).
[38] *Io. Oecolampadius*, De genuina verborum Domini expositione: „Similiter non terrent nos adversarii epistola concilii Ephesini, quod caeteris fuisse doctius lubens fatebor ... Verum qui legunt acta concilii, nihil tale inter canones eius contra nos pronunciatum inveniunt; tantum epistola quaedam ponit a nonnullis minus intellecta ... Legitur autem in epistola Cyrilli ad Nestorium nomine synodi Ephesinae edita ...: *Annunciamus*" (l. c. f. G 8r).
[39] *Cyrilli* epist. 3 l. c. (Acta l. c. vol. V 2, 236, 8s.; vol. I 1, 33, 4s. graece), ubi vero legitur: *apud Alexandriam synodus*.
[40] Io 6, 27. [41] Io. 6, 29.
[42] Io. 6, 35.
[43] Io. 6, 40.
[44] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.
[45] Cf. Apoc. 5, 5.
[46] 1 Cor. 10, 4.
[47] Io. 15, 1.
[48] Io. 15, 5.
[49] Conc. Trid. VII, I 112, 1s.
[50] Summa th. III qu. 73, art. 3: „perceptio eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam [spiritualem vitam], non ad hoc, quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto ... Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus". Cf. *G. Klodnicki*, De necessitate eucharistiae ad salutem in: Divus Thomas VII (Wien–Berlin 1920) 57–70.
[51] *Alexander de Hales*, Summa th., pars IV, qu. 51, membr. 4: „Responsio, quod hoc sacramentum non est de necessitate salutis, quantum est de sui institutione; sed si hoc est, est de mandato superaddito verbi gratia: ecclesia constituit, ut fideles communicent semel in anno et in morte. Unde si quis negligit, non est sine contemptu et peccat mortaliter, et hec institutio ecclesie fuit sub precepto... Dicendum, quod verbum Domini Io. 6 [54] intelligitur de manducatione spirituali, que est per fidem, sine qua nemo adultus salvatur" (Nurenberge 1482, f. G 2v).

Digitized by Google

et alii hanc opinionem aliquando tenuerint, licet s. Thomas postea mutaverit sententiam[52]. Sed quia articulus iste non hunc sensum facit apud hereticos, cum cenam Domini faciant, nec ponant Christum realiter esse in eucharistia, sed asserant ipsi Christum esse in eucharistia eo modo, quo spiritus sanctus est in baptismo, ubi spiritus sanctus spiritualiter tantum suscipitur et non sacramentaliter, et ita in eucharistia, ideo praedictus articulus etiam est hereticus et ut talis damnandus, quia tollit realem presentiam Christi in hoc sacramento, quod ex precedenti articulo constat esse hereticum. |

Articulus tertius: *In eucharistia esse quidem corpus* ...[53]. 109v

Articulus hic absque dubio hereticus est, damnatus iam tam in concilio Lateranensi, ut habetur [X] de summa trinitate et fide cath. [I 1] c. [1] *Firmiter*[54], ubi asseritur transubstantiatio, quam etiam in concilio Constantiensi sessione 8, ubi inter 45 articulos damnatos contra Vuicleff primus est iste: dicere, quod in eucharistia manet *substantia panis etc.*[55] Est preterea hereticus in hoc, quod dicit, quod *sit unio hypostatica panis etc.*, quia tunc verbum divinum esset impanatum, sicut est incarnatum. Verum est, quod Martinus Lutherus non ponit unionem hypostaticam, sed assumptionem vel elevationem panis et vini, sicut elevatur aqua in baptismo et sicut assumssit[a] spiritus sanctus beatam virginem ad conceptionem Christi[56]. Sed hoc etiam est hereticum, quia tollit realem existentiam Christi in eucharistia. Idem etiam Martinus Lutherus et alii Lutherani aliquando fatentur, quod realiter est ibi Christus; sed nihilominus manet substantia panis sicut ante[57]. Non tamen ponunt unionem hypostaticam, sed dicunt etiam, quod hec est vera: *Panis est corpus* Christi, *vinum est sanguis* Christi[58]. Sed hoc est etiam hereticum et contra veritatem, quia tunc forma consecrationis esset falsa, scilicet: *Hoc est corpus meum*, immo dicendum esset: Hic est corpus meum etc. Et argumentor, quod hec sit falsa: *Panis est corpus* Christi, quia est affirmativa et vera; ergo extrema supponunt pro eodem. Sed secundum Lutherum extrema non supponunt pro eodem, immo sunt distincta supposita; ergo erit falsa. Habet Lutherus, quod hec regula Aristotelis non est vera[59], tum quia hec est vera: Aqua est calida, et tamen calor non est aqua; etiam quia Paulus vocat hoc sacramentum *panis: Nonne panis, quem frangimus etc.*[60]*; sic de pane illo edat etc.*[61] Sed nos ad hoc dicimus, quod hec est vera: aqua est calida, quia supponunt idem suppositum; aqua enim informatur calore. Sed corpus Christi non informatur pane nec econtra. Paulus autem vocat eucharistiam *panem*, quia, ut inquit Ambrosius[62], ex pane fit *corpus* Christi. Et consuetudo scripturae est, quando una res fit ex alia, retinere nomenclaturam prioris, sicut Gen. 2 [23] dixit formata iam Eva: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea* et Ioh. 2 [9]: *Architriclinus gustavit aquam vinum factam etc.* Quare articulus hic omnino hereticus est etc. |

Articulus quartus: *Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum*[63]. 110r

Articulus hic sic sumptus etiam hereticus est. Non enim Christus hoc sacramentum instituit primo et de per se ad *remissionem peccatorum*, cum ad hoc sint et baptismus et poenitentia, sed in memoriam sue passionis: *Hoc facite in meam commemorationem*[64]. Dixit et Paulus: *Quotiescumque manducabitis panem hunc etc., mortem Domini anunciabitis, donec veniat etc.*[65] Etiam sunt alii effectus huius sacramenti, quia *mens impletur gratia et future glorie nobis pignus datur etc.*[66] Sed tamen, quia multi Lutherani non ponunt illam particulam *solam*, sumendo articulum sine illa,

[a] *cod. sic*

[52] Summa th III, qu. 80, art. 11, ad 2: „dicendum, quod hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis sicut baptismus quantum ad pueros ... quantum vero ad adultos utrumque est necessitatis“.

[53] Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.

[54] § 3, *Friedberg* II 5.

[55] Sess. VIII (4. Maii 1415), errores Io. Wicleff n. 1 (*Mansi* XXVII 632 E. 1207 E). Cf. supra p. 111[4].

[56] Cf. *M. Luther*, Daß diese Wort Christi: *Das ist mein leib* noch fest stehen (WA XXIII 185, 7ss.; 201, 21ss.).

[57] *M. Luther*, De captivitate Babylon.: „credo firmiter, non modo corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi“ (WA VI 511, 20s.).

[58] Ibid.: „Ita in sacramento, ut verum corpus verusque sanguis sit, non est necesse panem et vinum transsubstantiari, ut Christus sub accidentibus teneatur, sed utroque simul manente vere dicitur: ‚hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus‘“ (l. c. 511, 39–512, 1).

[59] Ibid.: „Ad affirmativam requiritur extremorum compositio, quam illi exponunt pro eodem suppositionem. Quare, dum dico: *hoc est corpus meum*, subiectum non posse pro pane supponere, sed pro corpore Christi“ (l. c. 510, 27–30).

[60] 1 Cor. 10, 16. Cf. *M. Luther*, De captivitate Babylon. (l. c. 511, 23ss.).

[61] 1 Cor. 11, 28.

[62] De sacramentis V, c. 4, 24 (CSEL LXXIII 68, 54ss.).

[63] Conc. Trid. VII, I 112, 20.

[64] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.

[65] 1 Cor. 11, 26.

[66] Breviarium Rom., feria V in festo Corporis Christi, ant. ad *Magnificat* in II Vesperis.

Digitized by Google

articulus non est hereticus. Teneo enim sacramentum eucharistie conferre aliquando primam gratiam, ut tenet s. Thomas[67], Alexander de Hales[68] et est communis theologorum opinio propter rationes, quas in congregatione adduxi. Verum est tamen quod Philippus Melanthon[69] et Brencius[70], ut dicitur, ponunt illam particulam *solam*. Ideo, ut dixi, cum illa est hereticus etc.

Articulus quintus: *Christum in eucharistia non esse adorandum ...*[71].

Articulus hic hereticus est, tum quia supponit Christum non esse realiter in hoc sacramento, sed spiritualiter, et hoc non semper, sed dum utimur illo, ut spiritus sanctus est in aqua baptismi; tum etiam quia, si poneret Christum ibi esse realiter, hereticum est dicere non esse ibi adorandum. De celebrat. miss. [III 41] c. [10] *Sane cum olim* praecipitur sacerdotibus, ut *doceant populum*, qualiter adorare debeant eucharistiam, *cum elevatur* a sacerdote et *cum defertur ad infirmos*[72]. Nec valet dicere, quod Christus non venit ibi ut adorandus, sed ut cibus comedendus, quia etiam, quando[a] erat in stabulo, non venit adorandus et adoratus est a pastoribus et a magis[73]. Immo etiam, si ut cibus veniat, est adorandus, quia venit ut cibus anime nostre, et ut eam satiet *adipe frumenti etc.*[74] et *lavet* a maculis *peccatorum etc.*[75]

Articulus sextus: *Non esse reservandam eucharistiam ...*[76]. |

110v Articulus hic similiter hereticus est manans ex fonte illo, quod Christus non est realiter in hoc sacramento, sed spiritualiter, et hoc tantum, dum est in usu; et sicut non reservatur aqua baptismi, ita nec hoc. Et licet poneret Christum ibi esse realiter, esset hereticus. Nam in concilio Lateranensi sub Innocentio III, et habetur [X] de custodia eucharistiae [III 44] c. [1] *Statuimus*, praecipitur stricte eucharistiam custodiri[77], nempe pro infirmis, ut etiam habetur in concilio Niceno etc.[78] Circa illam particulam: *Non licere, ut quis seipsum communicet*, si loquatur de sacerdotibus, damnanda est; si de laycis, fortassis non est certum, utrum liceat layco absente sacerdote, ut seipsum communicet. Melius esset, ut sumeret eucharistiam in voto etc.

Articulus septimus: *In hostiis seu particulis consecratis ...*[79].

Articulus hic similiter est hereticus; tollit enim realem existentiam Christi in eucharistia, sed solum esse ibi ut in baptismo spiritus sanctus; et sicut baptismus non est sacramentum, nisi dum actu exhibetur, ita eucharistia. Quodsi adhuc poneret realem Christi existentiam, adhuc credo, quod esset hereticus, quia de consecr. dist. 2 c. [77] *Singuli* et c. [78] *Ubi pars*[80] et in concilio Florentino habetur oppositum[81]. Circa hoc dixi, quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut imago in speculo, quod multis rationibus probavi, sed vel sicut angelus in loco vel sicut anima rationalis in corpore.

[a] *cod.* quia

[67] Summa th. III, qu. 79, art. 3: „forte primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati".

[68] *Alexander de Hales*, Summa th., pars IV, qu. 41, membr. 1, art. 2, § 1: „Dicunt igitur virtute huius sacramenti mortalia deleri, non quia hec insunt et hoc sacramento delentur, sed quia augmento gratie roboratur homo contra pronitatem ad malum et redditur cautus circa negligentiam sive ignorantiam existentibus, quibus non labitur in peccatum mortale. Unde dicitur mortale deleri, quia delentur impedientia ad mortale" (Nurenberge 1482, f. Dv). Cf. ibid. art. 1: „Unde dico, quod, licet gratia non sit effectus huius sacramenti, dico gratia gratum faciens, tamen perfectio eius est quandoque effectus illius sacramenti" (l. c. f. Dr).

[69] Apologia Confess. Aug., art. XXIV, n. 49: „ad hoc institutum, ut sit sigillum et testimonium gratuitae remissionis peccatorum" (Die Bekenntnisschriften I 364, 9ss.). Ibid. n. 90: „certum est coenam Domini institutam esse propter remissionem culpae" (l. c. 374, 26s.).

[70] *[Io. Brentius,]* Syngramma clarissimorum qui Halae Suevorum convenerunt virorum super verbis coenae dominicae ... ad Iohannem Oecolampadion: „sic enim remissio peccatorum, quae sub Pontio Pilato impetrata est ..., verbo conservatur. Cur idem non diceretur de corpore et sanguine Christi, per quae remissio impetrata est et sine quibus remissio non est?" (s. l. 1526, D 4vs.). Ibid.: „Corpus querimus, quod pro peccatis nostris traditum est, sanguinem querimus, qui in emundatione nostri effusus est ... Ita in pane coenae propter verbum ... querimus pacem, gaudium, vitam, remissionem peccatorum" (l. c. E 4r).

[71] Conc. Trid. VII, I 112, 22s.

[72] *Friedberg* II 642.

[73] Matth. 2, 11; Luc. 2, 7s. 15ss.

[74] Ps. 147, 14.

[75] Apoc. 1, 5.

[76] Conc. Trid. VII, I 113, 3ss.

[77] *Friedberg* II 649.

[78] Conc. Nicaenum I, can. 13 (*Bruns* I 18. *Lauchert* 41, 1ss.). Cf. supra p. 112, adn. 19.

[79] Conc. Trid. VII, I 113, 7s.

[80] *Friedberg* I 1345s.

[81] Conc. Florentinum, decr. pro Armenis c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 C). Cf. supra p. 97, adn. 6.

Digitized by Google

Articulus octavus: *De iure divino esse sub utraque specie ...*[82].

Articulus hic absolute est hereticus. Et primo quoad parvulos non est dubium, quia tunc solus baptismus non sufficeret eis ad salutem, quod in multis conciliis damnatum est, et est contra illud Marci ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit etc.*[83] De adultis etiam est hereticum, damnatum contra Vuicleff in concilio Constantiensi sessione 13[84] et in Basiliensi contra Bohemos sessione 30[85]. Et probatur hereticum hoc esse. Ecclesia non potest errare in his, que sunt de necessitate salutis; alias Deus non sufficienter providisset hominum saluti. | Sed ecclesia precipit laycos sub una tantum specie communicare, ut patet in allegatis conciliis 111r
et in laudabili ecclesiae Romane consuetudine. Ergo non est de iure divino sub utraque specie laycos communicare. Excipio semper sacerdotes, quibus de iure divino est sub utraque specie conficere sacramentum; ipsis enim est dictum: *Hoc facite in meam commemorationem*[86].

Secundo dico, quod etiam non est de iure divino laycos sub unica tantum specie communicare. Patet hoc, quia ecclesia aliquando communicavit populum sub utraque specie, ut patet ex Paulo 1 ad Cor.[87] Ciprianus etiam lib. [1] epistolarum epist. 2 *Statueramus*[88]. Ecclesia Romana etiam habuit hanc consuetudinem, ut patet in legenda s. Laurentii[89]. Et Gregorius in quadam homilia paschali, et habetur de consecr. dist. 2 c. [73] *Quid sit sanguis*[90]. Etiam s. Thomas inquit, quod suo tempore adhuc durabat *in quibusdam ecclesiis* consuetudo[91]. Idem etiam inquit cardinalis Cayetanus[92]. Et cum ecclesia non possit errare in his, quae sunt de necessitate salutis, sequitur non esse de iure divino populum sub unica specie tantum communicare. Sed ecclesia poterit uti una aut alia consuetudine, prout viderit expedire. Quando autem ecclesia cepit sub una tantum specie communicare, antiquissimum est et multi de hoc scripserunt. Que ad praesens non spectant, cum ab aliis sint plura de hoc dicta.

Sed respondeamus ad authoritatem illam: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis etc.*[93], quia ex hac sumunt heretici argumentum ad communicandum sub utraque specie etiam parvulos, quia dicunt equaliter dici: *Nisi manducaveritis etc.* et: *Nisi quis renatus fuerit etc.*[94] Sed nos respondemus primo, quod ipsi Lutherani hoc intelligunt de manducatione spirituali sicut alia verba Christi Iohan. 6. Sed nos iam diximus intelligi de manducatione sacramentali. Ideo respondemus primo, quod differentia est inter hec duo praecepta: *Nisi quis renatus fuerit etc.* et: *Nisi manducaveritis etc.*, quia primum equivalet huic: *Omnis, qui non etc.*[95] Unde etsi Christus tunc loquebatur ad Nichodemum, non tamen posuit praeceptum in secunda persona; in secundo autem loco usus est verbis secundae personae explicans, ad quos loquebatur, nempe ad adultos, quorum proprie est manducare et bibere.

Quodsi dicas: Ergo saltim adulti tenentur manducare carnem et bibere sanguinem, respondeo primo, quod hoc praeceptum sicut et alia relictum est dispositioni ecclesiae, sicut ecclesia disposuerit, veluti etiam dixit Deus: *Crescite et multiplicamini*[96], sed ecclesia prohibet certos gradus, ne possint contrahere matrimonium. Etiam populus vel res publica de lege etiam naturali tenetur habere sacerdotes; sed qui debent esse, ecclesia providet. Similiter dico, quod in ecclesia debet sumi corpus et sanguis[a] Christi sub utraque specie; sed qui debent | sumere, 111v
ecclesie iudicio est relictum. — Secundo dico, quod, cum totus Christus sit sub qualibet specie, scilicet sub specie panis est corpus, sanguis, anima, divinitas Christi, qui manducat carnem, bibit similiter sanguinem ibidem per concomitantiam existentem. Christus enim numquam dixit: Nisi manducaveritis carnem sub specie panis et biberitis sanguinem sub specie vini, sed

[a] *cod.* sanguinem

[82] Conc. Trid. VII, I 113, 118.
[83] Marc. 16, 16.
[84] Sess. XIII (15. Iun. 1415), decr. *Cum in nonnullis* (*Mansi* XXVII 727 D–E). Cf. supra p. 97, adn. 7.
[85] Sess. XXX (23. Dec. 1437), decr. *Ut lucidius* (*Mansi* XXIX 158 E). Cf. supra p. 97, adn. 8.
[86] Luc. 22, 19.
[87] 1 Cor. 10, 20ss.; 11, 26ss.
[88] Ad Cornelium epist. synodica 57, c. 2 (CSEL III 652, 2ss.).
[89] *Ambrosius*, De officiis ministr. I, c. 41, 204 (*Migne*, PL XVI 90 C). *Iacobus de Voragine*, Legenda aurea, c. 117 de s. Laurentio: „cui commisisti dominici sanguinis dispensationem" (rec. *Graesse* l. c. 490).
[90] *Friedberg* I 1343. *Gregorius I*, In evangelia hom. 22, c. 7 (*Migne*, PL LXXVI 1178 B).
[91] Summa th. III, qu. 80, art. 12: „ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur".
[92] *Thomas de Vio*, card. *Caietanus*, Opuscula tom. III, tract. 12 De communione sub utraque specie ... adv. Lutheranos (1531), c. 1: „multo minus inferri hoc [illicitam esse communionem sub altera tantum specie] potest ex usu ecclesiae Corinthiorum ...; usus enim unius particularis ecclesiae non statuit legem ecclesiis aliis" (Venetiis 1596, 299, 11ss.). *Idem*, Comment. in Thomae Aqu. Summam th. III, qu. 80, art. 12, quaest. 1, n. 13: „manifestum est, quod ex perfectione huius sacramenti tam quoad consecrationem quam quoad usum per se ... non habetur necessitas communicandi seipsum celebrantem sub utraque specie" (Thomae Aqu. opera XII, Romae 1906, 249).
[93] Io. 6, 54.
[94] Io. 3, 3. 5.
[95] Cf. Io. 3, 15ss.
[96] Gen. 1, 28.

Digitized by Google

absolute, et cum hoc in una tantum specie compleatur, hoc sufficit. Hereticum est ergo dicere: *de iure divino esse sub utraque specie populum communicare*[82]. Et damnatur hic error de consecr. dist. 2 c. [7] *Cum omne crimen*[97].

Articulus nonus: *Non contineri sub altera specie* ...[98].

Articulus hic similiter hereticus est. Et probatur: Paulus Rom. 6 [9] inquit, quod *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Sed si sub specie panis corpus esset exangue, oporteret necessario, ut esset etiam inanimatum et ita cadaver, quia anima corpus exangue vegetare non potest, cum sanguis sit sedes anime. Corpus autem, cum semel assumptum a divinitate, numquam postea fuerit ab ea reiectum; fieret inde, ut, quoties panis consecraretur, toties Christus ibi velut in sepulchro mortuus iaceret totiesque corpus eius truncum cadaver fieret, quod est contra Paulum. Ut autem hec non fiant, necessario est dicendum corpus Christi esse sub specie panis animatum atque ideo sanguine vegetatum; et cum a divinitate non sit separatum, erit ibi etiam divinitas. Similiter deducendum erit sub specie vini, ut patet etc. Ergo articulus hereticus est etc.

Ad quaestionem illam hic ab aliquibus tactam[99], utrum sacerdos recipiens sacramentum sub utraque specie maiorem gratiam recipiat, quam laycus recipiat recipiens sub una tantum, nihil dico, tum quia questio non est ad propositum, cum hic tantum de heresy agatur, tum quia utraque opinio probabilis est et habet pro se bonos authores etc.

Articulus decimus: *Solam fidem esse sufficientem praeparationem* ...[100].

112r Prima pars huius articuli heretica est, iam damnata in hac sancta synodo | in decreto de iustificatione[101]. Tertia sive ultima etiam est heretica, quia iam oppositum est praeceptum ab ecclesia in concilio Lateranensi sub Innocentio III, et habetur [X] de poenitentiis et remiss. [V 38] c. [12] *Omnis utriusque sexus.*

De secunda parte est dubium. Lutherus dicit[102], quod confiteri ante eucharistiam non solum non est necessarium, sed est error magnus. Hoc similiter est hereticum et damnabitur in hac synodo, cum de sacramento poenitentiae agetur, quia Lutherus negat praedictum sacramentum. Utrum tamen sit necessarium et quomodo, non convenit inter catholicos. Nam Chrisostomus[103], Theophilactus[104], Ricardus[105], Cayetanus[106], Panormitanus[107], etiam Adrianus VI[108]

[97] § 1, *Friedberg* I 1316.

[98] Conc. Trid. VII, I 113, 20s.

[99] Videlicet ab Iacobo Ferrus, Francisco de Toro, Petro Frago, Ioanne Delphio, Sigismundo Phaedro Diruta; cf. supra p. 100, 19ss.; 107, 30ss.; 113, 35ss.; 116, 23ss.; 125, 28ss.

[100] Conc. Trid. VII, I 114, 1s.

[101] Decr. de iustificatione c. 6 et can. 9 (Conc. Trid. V 793, 7ss.; 798, 17ss.).

[102] Cf. Conc. Trid. VII, I 114, 4ss. cum adn. 1–3.

[103] *Io. Chrysostomus*, In epist. 1 ad Cor. c. 11, 28 hom. 28, c. 1 (*Migne*, PG LXI 233); cf. Conc. Trid. VII, I 126, adn. 10; 133, 22 cum adn. 10.

[104] *Theophylactus*, Expositio in epist. 1 ad Cor. 11, 28 (*Migne*, PG CXXIV 707/708).

[105] *Richardus a Mediavilla*, In IV Sent. dist. 17, art. 3, qu. 6: „Respondeo, quod ille, qui committit peccatum mortale, non statim tenetur de necessitate confiteri habita confessoris opportunitate, sed sufficit, quod semel in anno, sicut statuit concilium generale, nisi in quatuor casibus: Unus est ratione sacramenti, scil. quando vult communicare vel celebrare, nisi forte de propinquo expectet alium, cui devotius et securius confiteatur; sic enim expectans nullo iure, quod ego sciam, communicare prohibetur, si vere poenitens" (Brixiae 1591 [Frankfurt 1963] 258). Vide Conc. Trid. VII, I 126, adn. 8. Cf. *I. Lechner*, Die Sakramentenlehre des Richard v. M., München 1925, 219s. 294, adn. 1.

[106] *Thomas de Vio*, card. *Caietanus*, Summula de peccatis, sub voce *communio*, n. 1: „Sine confessione autem, si rationabilis subest causa non confitendi, excusatur communicans, quia praeceptum de confessione praemittenda communioni non est de iure divino nec de iure positivo" (Lugduni 1539, 30v); cf. Conc. Trid. VII, I 126, adn. 4.

[107] *Nicolaus de Tudeschis*, abbas *Panormitanus*, Lectura super III libro Decretalium, in c. 6 *De homine* X de celebrat. miss. III 41: „ex ea [glossa fin.] collige, quod sacerdos non debet celebrare, si sciat se in peccato esse, nisi prius confiteatur. Nec sufficit sola contritio vel propositum confitendi, ex quo de praesenti potest confiteri ... Et per hoc dicit dom. Andreae falsam esse opinionem eorum, qui dicunt sufficere contritionem cum proposito confitendi semel in anno. Tu vero circa hunc articulum vide, quod plene dixi in c. *Omnis utriusque sexus* ... et volens tenere illam opinionem posset respondere ad istum textum, quod loquitur de eo, qui non est contritus de peccato, sed perseverabat in eo. Et quamvis crederem illam opinionem veram in non debente celebrare per ea, que ibi dixi, tamen in sacerdote tutum est tenere illam opinionem, quam sentit ibi glossa" (Basilee 1488, FF 6v). *Idem*, Lectura super V libro Decretalium, in c. 12 *Omnis utriusque* X de poenit. et remiss. V 38: „Alii vero dicunt, quod istud sit praeceptum affirmativum, de cuius natura est, ut obliget semper, sed non ad semper, sed loco et tempore debito; tunc satis est confiteri semel in anno ... Et hec opinio multum mihi placet. Nam ut praedixi, confessio aperte non videtur instituta de iure divino ..., unde satis est illud adimplere tempore certo et determinato per ecclesiam. Sed debet homo conteri de peccato incontinenti post perpetrationem, et per talem contritionem cum proposito confitendi tempore debito dimittitur peccatum per c. [5] *Magna* de penit. dist. 1" (l. c. qq 5v). Vide Conc. Trid. VII, I 126, 19 cum adn. 11.

[108] *Hadrianus VI*, Quaestiones de sacramentis in IV Sent., de sacram. eucharistie: Utrum existens in pec-

Digitized by Google

pont. max. tenuerunt, quod non semper erat necessarium. Alii asseverant, quod sic. — Respondeo ego per tres propositiones. Prima: Nullum est praeceptum divinum de confessione sacramentali ante sumptionem eucharistie. Probatur, quia, si aliquod esset, maxime illud Pauli: *Probet autem seipsum homo etc.*[109] Sed Paulus hic non loquitur de confessione, sed de contritione; ergo. Minorem probo, primo quia nullus theologus hactenus attulit predictum locum Pauli ad probandum confessionem sacramentalem esse de iure divino, cum disputent et tractent et diligenter querant. Certe, si Paulus ibi de confessione loqueretur, aliquis theologus intellexisset. Preterea Paulus loquebatur Corinthiis, qui minime confitebantur. Nam que confessio esse poterat, cum *alius esuriebat, alius erat ebrius*[110]? Deinde constat, quod in antiqua ecclesia populus communicabat de precepto ecclesie primo *quotidie*, Act. 2 [46]. Augustinus etiam, et habetur dist. 12 c. [11] *Illa autem*[111]. Deinde ter in anno, de consecr. dist. 2 c. [16] *Etsi non frequentius*[112]. Idem in concilio Agathensi, de consecr. dist. 2 c. [19] *Seculares*[113]. Et tamen numquam fit ibi mentio de confessione; ergo sancti patres intelligebant praeceptum Pauli de sola contritione; alias populum monuissent. Ultra stat, quod aliquis teneatur se probare et non confiteri etiam habita copia confessoris; ergo Paulus non loquitur de confessione. Probatur antecedens: Si aliquis per mensem vel duos menses non celebraverit, et tamen non habet conscientiam peccati mortalis, iste teneretur se probare celebrare volens et peccaret non se probando, et tamen non tenetur confiteri. Certum est; ergo. — Secunda propositio: Non est etiam praeceptum de iure positivo. Hoc patet, quia nullum aliud est nisi de confitendo semel in anno[114]. — Tertia propositio: Si quis habita copia idonei confessoris sine confessione accederet ad eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, quantumcumque doleret, graviter peccaret[115], quod non aliter probatur nisi ex laudabili ecclesiae consuetudine, que catholicis debet haberi pro lex[a]. Quare praedicta opinio oppositum asserens videtur perniciosa etc.

Et hec sint dicta breviter de articulis, que omnia subiicio sanctae sinodi correctioni etc.

Frater Franciscus de Villalba ordinis sancti Hieronimi.

11.

Ioannes Zavallos, magister theologiae
Sententia circa sanctissimae eucharistiae materiam contra Lutheranos[1]

Tridenti, die 16. Septembris 1551[b]

Arch. Vat., *Conc. 14* f. 76^r–79^r *(autogr.?)*

Non necesse erat, quantum experientia duco, R^{mi} honore, veneratione dignitateque S^{mi} Conc. 14 76^r
Patres, nimium laborare impugnandis hereseum assertionibus damnandisve articulis propositis nobis, inquam, quibus novissime sententiam proferre contingit. Nam si tot gravissimorum hominum fideli animo piaque mente sententia non sat est, praevalebit forsan elementarii cuiusdam elucidatio? Parum quippe aut nihil fateor. Unde satis dubius, temeritatine, si ad dicendum

[a] *cod. sic*

[b] *Massarellus f. 76^r loco tituli haec add.:* super articulis de sacramento eucharistiae, Septembris 1551

cato possit licite sumere sacramentum: „Aut culpabiliter ignorat esse mortale peccatum, quod scire tenetur, et hoc eius indignitatem non relevat, quemadmodum nec excusabat, quin peccaret mortaliter, cum actu faceret. Si tertium cum facit, quod in se est pro amotione indignitatis, quae est per mortale peccatum, non peccat accedendo etiam in mortali peccato, sed saepe veniam consequitur ratione operis operati ipsius sacramenti ... De veniali peccato certum est, quod non impedit sive actu insit sive quoad culpam tantum, quin possit homo ad hoc sacramentum accedere" (Romae 1522 [Ridgewood 1964] 27^v).

[109] 1 Cor. 11, 28.

[110] 1 Cor. 11, 21.

[111] § 1, *Friedberg* I 29, ex epist. 54 *Augustini* ad Ianuarium, c. 2, 1 (CSEL XXXIV, II 160, 5s.).

[112] *Friedberg* I 1319, e conc. Turonensi (a. 813), c. 50 (MG Conc. II 293, 19s.).

[113] Ibid. I 1320, conc. Agathense (a. 506), c. 18 (*Bruns* II 150. CChr. CXLVIII 202, 187s.).

[114] C. 12 *Omnis utriusque* X de poenit. et remiss. V 38.

[115] Eadem tenuerat *Thomas de Vio Caietanus*, Summula l. c.: „Si autem commoditas adest confitendi et habens conscientiam peccati mortalis differre vult confessionem et nihilominus communicare, quia oportet ipsum cum aliis communicare aut oportet ipsum celebrare, peccare videtur valde graviter, quia minus digne voluntarius accedit utpote ad ecclesiasticae unionis sacramentum sine ecclesiastica reconciliatione absque rationabili excusatione accedens. Non damno tamen ipsum peccati mortalis propter rationem dictam [vide supra adn. 106]" (l. c. 30^v).

[1] Nonnulla excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 141, 27–30. Auctor erat familiaris episcopi Auriensis, ibid. 214, 26 etc.; cf. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 718.

Digitized by Google

accederem, an ignorantiae silentium obiiceretur. Decrevi non deesse non opinioni nostrae, quae nulla est, sed debito cuiuspiam Christiani pietatis officio, cuius defectu tot hactenus increbruerunt errores grassantque adhuc, adeo ut exorandum cum David, ut *ab alienis parcere servis* dignetur[2] Christus suis, plane conspiciam. *Non intret* utinam *in iudicio* nobiscum[3], secus vero cum Petro pedestri per mare incedenti fluctibus territi prorsus perire[4], ut adiuvet, ad eum proclamare cogemur.

Sed iam ad institutum rediens pro articulorum eversione velut pro fundamento regulam praemitto, qua ceteri omnes sententiis proferendis abunde usi sunt, servandam nempe esse ecclesiae doctrinam ab apostolis traditam, ab eis ad patres devolutam, a patribus ad successores nostra etiam usque tempora permanentem. Quam belli machinam docuit b. papa Clemens, Petri successor, in epistola ad Iacobum, Domini fratrem, episcopum Hierosolimitanum: *Non*, inquit, *legenda docendave lex Dei est secundum propriam ingenii intelligentiam*[5]. Non dubium est, Patres, complurimas esse sacrae scripturae autoritates, quas si proprio interpretemur ingenio, in hunc aut in illum sensum retorqueri facile quispiam poterit. Hac machina etiam usus est Ireneus contra Valentinianum, Tertullianus contra Marcionem, Ciprianus contra Novatium[a], Origenes contra Celsum, Nicenum concilium contra Arrianos, Hieronimus contra Luciferianos et Iovinianum, Augustinus contra Donatistas multique alii, quos (ut brevitati consulam) praetereo.

Sit secundum fundamentum. Ex verbis Domini proprie tantummodo intellectis constare et novitatem continentiae corporis et sanguinis Domini nostri Ihesu Christi, simul et conversionis sub speciebus panis et vini; Christus enim iam moriturus, cum pasibile[a] corpus ablaturus erat |
76v ab oculis nostris illaturusque sideribus, necesse erat, ut, quod in specie eotenus, iam deinceps in sui memoriam in misterio relinqueret, sicque in ipsa cena, ne prorsus *orphanos* suos deseret[6], pro sua inefabili[a] misericordia agit. *Accipite* (inquit) *et comedite: Hoc est corpus meum*[7]. *Hoc facite in meam commemorationem*[8].

Duplex hic novitas admiranda proponitur: altera continentiae, altera conversionis substantiae panis et vini in verum corpus et sanguinem Domini nostri Ihesu Christi. De prima nulla inter catholicos questio aut ambiguitas est, siquidem ex verbis Domini constat. De modo autem conversionis est disputatio, quae ut incompraehensibilis nequit aliunde quam a sanctorum institutionibus, conciliorum statutis patrumque assertionibus intelligi; est enim mutatio spiritus sancti virtute facta. Omitto tamen, an sint due mutationes secundum Scotum[9]: altera ex parte substantiae panis et vini, quae mutatur in substantiam corporis et sanguinis Domini nostri Ihesu Christi; altera ex parte ipsius Dei, qui de non praesente fit praesens eo pacto, quo est; an unica tantum, qua de pane fit verum corpus et de vino verus sanguis. Admirabilis est transubstantiatio, quod nomen ad expugnandos hereticos inventum a catholicis nostis. Iam igitur pro fundamento nostro aliorum, scilicet patrum et conciliorum, utamur iudicio; nec enim proprio fidere iudicio ad tanti misterii probationem censeo tutum.

Fides primum (quae est *non apparentium*[10]) assentiri nos cogit. Patetque ex concilio Florentino[11] sub Eugenio IV toties ab omnibus repetito a vobisque, Patres, satis audito. Probat insuper Hireneus Lugdunensis lib. 4 c. 32: „Eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: *Hoc est corpus meum*. Et calicem similiter, qui [est] ex ea creatura, [quae est] secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem“[12], quasi diceret: quod panis antea erat, ultima verborum prolatione corpus Christi factum est, quodque antea in calice vinum, iam sanguis effectus est. Et ut novum est testamentum, novam docet oblationem eius. Testamentum est et *in sanguine*, Luc. 22 [20]; non dixit: in vino. Sanguis enim de essentia testamenti est; *ubi testamentum est*, *mors necesse est intercedat testatoris*, inquit Paulus ad Hebreos 9 [16]. Praeterea Augustinus in epist. ad neophitos[13]: „Accipite (inquit) in pane, id est in specie panis, quod in cruce pependit, id est corpus Domini nostri Ihesu Christi, et in calice speciem vini scilicet continenti, quod ex latere Domini nostri efluxit, id est verum et preciosum sanguinem Christi in remissionem peccatorum pro omnibus effussum[a]“. |

[a] *cod. sic*

[2] Ps. 18, 14.
[3] Ps. 142, 2.
[4] Cf. Matth. 14, 29ss.
[5] *Ps.-Clemens I*, epist. 5 Ps.-Isidori, c. 84 (*Hinschius*, Decretales 65).
[6] Cf. Io. 14, 18.
[7] Matth. 26, 26.
[8] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.
[9] In IV Sent. dist. 11, qu. 1, n. 4ss. (Opera VIII, Lugduni 1639, 587ss.).
[10] Hebr. 11, 1.
[11] Decr. pro Armenis 5, 3 (*Mansi* XXXI 1056). Cf. supra p. 97, adn. 6.
[12] Adv. haereses IV, c. 29, 5 (ed. *W. Harvey* II 198s.).
[13] Sequentia non sunt Augustini; unde vero sumpta sint, detegere mihi non licuit. Cf. *Augustini* serm. 272 *ad infantes* (*Migne*, PL XXXVIII 1247/48).

Digitized by Google

Ambrosius itidem primo Sacramentorum libro sic ait: „Re vera mirabile est, quod manna 77r Deus pluerit patribus et quotidiano celi pascebantur alimento. Unde dictum est: *Panem angelorum manducavit homo*, Ps. 77 [25]. Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes *in deserto mortui sunt*[14]; ista autem esca, quae accipitur, iste *panis vivus*, *qui de celo descendit*[15], vitae eternae substantiam subministrat, et quicunque hunc manducaverit, *non morietur in aeternum*[16]; et corpus Christi est"[17]. Attendite, quo pacto iste sanctus doctor, quia corpus Christi dicit esse *escam*, quam fideles accipiunt in ecclesia, addit: „Iste panis vivus, qui de celo descendit, vitae eternae substantiam subministrat". At vero secundum quod videtur, quod corporaliter sumitur aut fauce glutitur, vitae eternae substantiam subministrat? Absit, carnem alioqui pasceret morituram corruptioni subiectam; ex hoc enim, quod sumit panem, corruptibile est nec ipsi corpori prestare potest, quod non moriatur in aeternum. Nam quod subiacet corruptioni, eternitatem prestare non valet. Ergo in illo pane est vita, quae non oculis apparet corporeis, sed fidei tantum contuetur aspectu, qui est *panis vitae*[18], *qui de celo descendit*[19], de quo est verum dicere: Quicunque *manducaverit, non morietur in aeternum*[20], et qui est corpus Domini, cuius inefabilis[a] existentiae omnipotens Christi virtus factiva est. Mirabilis est mutatio facta in misterio corporis et sanguinis Domini nostri Ihesu Christi, quia divina et inefabilis[a], quia incomprehensibilis. Quod si latentem virtutem respuant, dicant: Ubi est mutatio? Panis et vinum prius extitere, in qua etiam specie iam consecrata permanere videntur. Est ergo commutatum potenti spiritus sancti virtute, quod animam pascit eternaeque vitae substantiam subministrat. Qua in re nullus investigandus ordo, sed fide tantum regulandum, que, quidquid illud totum est, aspicit; oculus autem carnis nil apprehendit. Vera utique caro, quae crucifixa est, quae sepulta est. *Vere ergo* eucharistia *carnis illius sacramentum est*, inquit Ambrosius paulo post[21], ex quo differentia innuitur tum veritatis carnis de virgine sumptae, crucifixae et sepultae pro nobis semel, tum sacramenti verae illius carnis, in qua crucifixus est, quod nunc agitur in ecclesia misterium. Illa autem caro non misterium, sed veritas naturae, haec vero, quae nunc similitudinem illius continet in misterio, non specie caro, sed sacramento, ex quibus verbis constat verum corpus et sanguinem Domini nostri Ihesu Christi contineri sub speciebus panis et vini.

Tum deinde haec heresis tempore Celestini papae in Ephesina sinodo | (una ex quatuor, 77v quas[b] b. Gregorius in epistola ad patriarchas dicit se ut sacrosancta *quatuor evangelia venerari ac suspicere*[22]) damnata fuit coram ducentis episcopis[23]. Tum praeterea Berengarius anathema esse abiuravit tredecim archiepiscopis centumque episcopis assistentibus[24]. Itidemque probavit Carolostadius, ille heresis inventor; nam post infectam maximam regionis partem tandem *palinodiam cecinit*[25] id asserens fecisse potius, ut in disputationem cederet, quam quod ita credi a nemine debuerit.

Et quamvis hos adduxisse sat esset, verum dabitis (Patres) locum, ut ratione quadam perbrevi hunc mo[n]strem articulum hereticum censendum fore, sumpta ocasione[a] ab autoritate illa Ioan. 6 [54] sepius ab omnibus theologis notata et ab adversariis pro se immerito aducta[a]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et sic arguo: Ex istis verbis manifeste videmus sine carne et sanguine Domini nostri Ihesu Christi nequaquam posse vitam haberi[c]. Iam quero, quae caro sit haec, quae comedenda est, et quis sanguis, qui de necessitate salutis epotandus proponitur? Non de carne et sanguine in specie, ut diximus, in cruce suspensa. Nam sic *facinus iubere* videretur (inquit Augustinus De doctrina christiana[26]), non pietatis esset, sed facinoris potius illam in specie carnem dilaniandam devorandamque et sanguinem epotandum commendare. Nec de figurata, ut illi interpretantur

[a] *cod. sic* [b] *cod.* quam [c] *cod.* habere

[14] Io. 6, 49.
[15] Io. 6, 51.
[16] Io. 11, 26.
[17] *Ambrosius*, De mysteriis 8, c. 47 (CSEL LXXIII 109, 45–52) = c. 69 *Re vera* de consecr. dist. 2.
[18] Io. 6, 48.
[19] Io. 6, 59.
[20] Cf. Io. 6, 50; 11, 26.
[21] De mysteriis 9, c. 53 (l. c. 112, 54).
[22] *Gregorius I*, Reg. epist. I 24 (MG Epist. I 36, 19); vide supra p. 135, 25s. cum adn. 34.
[23] *Cyrilli* epist. 3 ad Nestorium synodica, c. 7; vide supra p. 135, 26ss. cum adn. 37 et 39.
[24] In conc. Lateranensi mense Apr. 1059 habito Berengarius haeresim abiuravit; cf. c. 42 *Ego Berengarius* de consecr. dist. 2. *Jaffé*, Reg. I p. 558s. *Hefele-Leclercq* IV, II 1170ss. Vide supra p. 102, adn. 35s., et 133, 23s.
[25] „Entschuldigung D. Andres Carlstads des falschen namens der auffrür, so yhm ist mit unrecht auffgelegt", [Wittenberg] 1525. „Erklerung wie Carlstat sein lere von dem hochwirdigen Sacrament und andere achtet und geacht haben wil", Wittenberg 1525. Cf. *E. Freys-H. Barge*, Verzeichnis der gedruckten Schriften des Andr. Bodenstein v. Karlstadt, Nieuwkoop 1965, 315ss., n. 146–152. *H. Barge*, Andr. Bodenstein v. Karlstadt II, Leipzig 1905, 364ss. *H. Grisar*, Luther II 323. Vide supra p. 133, 23s. cum adn. 6a.
[26] De doctrina christ. III, c. 16, 24: „Facinus vel flagitium videtur iubere; figura ergo est" (CChr. XXXII 92, 6s.).

Digitized by Google

Domini verba: *Hoc est corpus meum*[27], id est *hoc significat*[28]. Nam cum figura aut significatio palpari tangive non possit et manducari nequit[a], igitur nec de hac carne et sanguine intelligit Christus; et tamen sine carne simul atque sanguine Domini nostri Ihesu Christi non habendam vitam minatur Christus. Ergo de hac carnis manducatione, de hoc sanguinis potu sub speciebus panis et vini in sacramento contento intelligendum Christus praedixit, apostoli tradiderunt, assenserunt patres, sancti nunciarunt, concilia statuerunt totaque demum ecclesia probavit, cui qui non obedierit, habendus est (ex precepto Dei) *sicut ethnicus et publicanus*[29].

Ex his ergo, Patres S^mi^, et rationibus et autoritatibus aductis[a] mea sententia primum et secundum et tertium articulum damnandum merito censeo.

78^r^ Quartus articulus: *Eucharistiam | institutam esse ob solam remissionem peccatorum*[30].

Si sic intelligatur, ut videlicet ad nihil aliud prodesse quam ad *remissionem peccatorum* dicatur, hereticus est; nam graciam confert simul et vivificat. Verum vestra, Patres, dixerim correctione: Si sic tenacius heretici non asserunt[31], quod legisse hactenus non memini, tollendum de medio hunc articulum censerem aut aliis verbis de eo definiendum, dempto etiam vocabulo *institutam* simul cum alio *solam*.

Error deinde articuli quinti constat aperte ab ipso etiam hereticorum fundamento: *Soli Deo honor et gloria*[32]. *Soli* Deo *servies*[33], qui cum sponte infirmis curandis sumpta humanitate se obtulit — *non enim* (inquit ille) bene habentibus *opus est medico, sed male habentibus. Peccatores veni vocare, non iustos*[34] —, nonne et dignum est, ut in sacramento nunc ad infirmos ducatur? Immo ob eos precipue in sacramento voluisse huc remanere prorsus credo.

Sextus preterea articulus: *Non esse reservandam eucharistiam. Nec licere, ut quis se ipsum communicet*[35],

hereticus est. Nam primum ex concilio Guarmatiensi[36] et Lateranensi c. *Statuimus*[37] diffinitum constat. Precipitur enim, ut presbiter servandam curet vigilantissime eucharistiam. Verum addo insuper quandam rationem ex sacro evangelio, non aliunde sumptam, quae, ni fallor, et ipsos hereticos maxime convincit. Meministis, Patres, miraculi a redemptore nostro gesti, cum tot milia hominum quinque panibus duobusque tantum piscibus pavit[38], quos quidem panes figurativos huius panis divi, *qui de celo descendit*[39], fuisse non dubito. *Benedixit*, inquit evangelista, *distribuit discipulis, discipuli discumbentibus etc.*[40] Pos[t]quam autem saturati sunt illo benedicto pane, audite Domini preceptum: *Colligite fragmenta, quae superaverunt, ne quid pereat*[41]. Iubet servari illum benedictum panem, ne minima quedam pars pereat. Et servandum hunc sacratissimum panem, corpus nempe suum, ne minima quedam particula (qua totus continetur Christus) pereat, voluisse ipsum iubere absque dubio intelligo simulatque teneo et contrarium hereticum iudico, scilicet quod non debeat eucharistia servari. — Secunda itidem pars heretica est: *Non licere, ut quis se ipsum comunicet*, presertim presbiteris, ex verbis enim Domini, ut solus Ioan. 6 diserte notat: *Accipite* (inquit in cena Christus) *et dividite inter vos*[42]. Dividi iubet suum corpus inter se ipsos Christus; ergo quisque se ipsum communicavit, pos[t]quam qui primus de manu Domini accepit inter se et alios divissit[a]. Contraria igitur assertio heretica est. |

78^v^ Septimus articulus: *In hostiis seu particulis consecratis non rema[ne]re corpus Domini [nec] post sumptionem nec ante sumptionem esse*[43]

similiter hereticus est. Nam sequeretur inde non esse verum, quod Christus dixit ante sumptionem: *Hoc est corpus meum*, quod est hereticum valde, adeo ut non necesse [sit] hac in re nec respondere nec disputatione uti, sed statim condemnare.

[a] *cod. sic*

[27] Matth. 26, 26; Luc. 22, 19.
[28] Cf. *H. Zwingli*, De vera et falsa religione comment., art. 18 (Corp. Ref. XC 795, 11ss.; 798, 10ss. 25ss.).
[29] Matth. 18, 17.
[30] Conc. Trid. VII, I 112, 20.
[31] Vide supra p. 137, 38ss. cum adn. 69s.
[32] Rom. 16, 27; 1 Tim. 1, 17.
[33] Deut. 6, 13; Matth. 4, 10; Luc. 4, 8.
[34] Matth. 9, 12s.
[35] Conc. Trid. VII, I 113, 3ss.
[36] C. 93 *Presbyter* de consecr. dist. 2 sub rubr.: *ex conc. Wormaciensi* (*Friedberg* I 1351), potius Capitula eccl. (a 810–813?), c. 16 (MG Capit. I 179, 9s.) = *Ansegisi* Capitul. I, c. 155 (ibid. 412, 43s.). Cf. Conc. Trid. V 886, 31 cum adn. 2.
[37] Conc. Lateranense IV, c. 20 = c. 1 *Statuimus* X de custodia euchar. III 44.
[38] Matth. 14, 17ss.; Marc. 6, 38ss.; Io. 6, 9ss.
[39] Io. 6, 51.
[40] Matth. 14, 19; Luc. 9, 16; Io. 6, 11.
[41] Io. 6, 12.
[42] Potius Luc. 22, 17.
[43] Conc. Trid. VII, I 113, 7s.

Digitized by Google

Octavus articulus: *De iure divino esse sub utraque specie et populum et parvulos communicare, et peccare eos etc.*[44]

erroneus est. De iure divino non est. Sed iam quod esset, ecclesia pro loco, tempore et inconvenientibus potuit facere, quod nunc tenet. Et contrarium asserere hereticum censeo.

Nonus articulus: *Non contineri sub altera specie, quantum continetur sub utraque, nec tantum sumere communicantem etc.*[45]

de sacramento, ut ego intelligo, hereticus est; et meo videri his verbis proprie, ut iacent, intellectis de sacramento tantum intelligi credo. Quod si de gratia intelligatur, sophisticas iam satis audistis disputationes variasque opiniones. Et mea sententia (etiam de gratia) erroneus est et scandalosus.

Decimus articulus: *Solam fidem esse sufficientem preparationem ad sumendam eucharistiam, nec ad id confessionem esse necessariam; nec teneri homines ad communicandum in paschate*[46]

hereticus prorsus meo iudicio est. Prima et ultima pars manifesta omnibus ut heretica est. Sed ad id, quod de confessione previa negant, est concilium Sardicense, ubi *Osius episcopus* prohibet *temerariis, ne laicam communionem percipiant*, nisi peniteant[47]. Huius poenitentiae iudex quilibet sui ipsius esse non potest. Ad confessorem confugiendum est, iudicem a Deo designatum, nempe ad sacerdotem. Et est etiam concilium Agathense de sacerdote criminoso[48] suntque aliae autoritates, quas docte a reliquis theologis adductas benevole ac pie, ut par erat, Patres, audistis. Verum insuper, si per vos, Smi Patres, licet, argumentum a sacra evangelii lectione desumptum addam: Luc. 19 [2ss.] fidem cuiusdam *publicani* evangelista proponit, cui nomen erat *Zacheus*, vir corpore *pusillus*, attamen fide maximus. Nam desiderabat Christum *videre*. Et quia turba maxima, ipse autem parvus, nequibat quem optabat videre. Itaque conscensa sicomoro voto suo potitus est. Christus statim inspecta pusilli hominis fide vocibus convocat: *Festina*, inquit, *Zachee*, et *descende*[49]. Descendit continuo Zacheus et, ut reciperet Christum in domo sua, non satis sibi visum fuit, nisi prius confiteretur simul et restitueret: *Domine, si quem defraudavi, reddo quadruplum*[50], quasi diceret: Tu scis, Domine, me defraudasse | aliquem et ego fateor. Ecce hic reddo et quadruplum. Tunc Christus ait: *Hodie salus facta est* 79r
domui tuae[51]. Attendite, queso, salutationem publicani, ut reciperet Christum in domo sua. Nos vero, qui Christum in anima recipere debemus et Christiani [esse], nonne fateri prius et restituere etiam debemus, ut ille fecit Christo, nos eius ministris, nempe sacerdotibus? Quod si non fecerimus, ille iudicabit et in die tremenda condemnabit[a] nos.

Quae omnia non tanquam ab ingenio nimium sapienti, verum ab animo pio pieque affecto erga religionem christianam vosque, quibus[b] omnia submitto, Patres Smi, profecta suscipite.

Dixi.

[a] *cod.* condemnavit [b] *cod.* cui

[44] Ibid. 113, 11s.
[45] Ibid. 113, 20s.
[46] Ibid. 114, 1s.
[47] Conc. Sardicense (a. 342/43), can. 2 (*Bruns* I 88/89. *Lauchert* 52, 4ss. 14s. *C. H. Turner*, Eccl. occid. monumenta l. c. III (Oxonii 1939) 454, 12s.; 492, 12s.).
[48] Conc. Agathense (a. 506), Sententiae postea insertae, can. 3 (50): „Si episcopus, presbyter aut diaconus crimen capitale commiserint ..., quamdiu vixerint, laicam communionem accipiant" (CChr. CXLVIII 225, 20ss.).
[49] Luc. 19, 5.
[50] Luc. 19, 8.
[51] Luc. 19, 9.

Digitized by Google

11 a.

P. Severinus Danus ord. s. Francisci observ., magister et lector theologiae Assertio de eucharistia sub utraque specie non administranda laicis[1]

[Tridenti, inter 3.–16. Septembris vel post diem 11. Octobris 1551?]

Wirceburgi, Arch. rei publicae, *Miscell. 3169 I*, 99^{r} *(autogr.)*

Misc. 3169 I 99^{r} Ex quo inter articulos Protestantium caput est, utrum laici communicentur sub utraque panis et vini specie[2], sub quo articulo duo latent dubia: Primum, utrum omni laico et promiscuo populo necessarium sit ad vitam eternam consequendam sacramentum eucharistie sub utraque specie ex institutione Christi. Secundum, utrum sacramentum sub utraque specie panis et vini plus praesentie et gratie Christi contineat aut magis salutifera sit accipientibus, quam sub una sola panis specie contineat aut proficiat.

Ad primum dubium responsio peremptoria

Impossibile est sacramentum eucharistie sub panis et vini speciebus demonstrare necessarium laicis ad vitam eternam consequendam. Nec convenit ad hanc sacramentalem communicationem adducere Christi verbum dicentis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[3], que verba ad solam spiritualem manducationem sunt applicanda. Verba autem coene: *Accipite, comedite, bibite ex eo omnes*[4] inmediate dicta sunt tantum sanctis apostolis, quibus solis sacerdotii apostolatum dedit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*[5]*;* faciendi id est celebrandi activa potestas concessa est apostolis, quos constituit *dispensatores mysteriorum*[6] suorum. Sed possunt dare sacramentum promiscuo vulgo sub una specie tantum vel sub bina specie vel sub nulla specie, imo prorsus tollere debent hereticis et excommunicatis exemplo Pauli 1 Cor. 11 [20]: *Convenientibus vobis in unum.*

Ad secundum dubium responsio

Protestantes sacramentum eucharistie sub utraque specie plus continere Christi ac gratiarum eius, quam continet una panis species tantum[7], manifeste idololatriam, vulgo simplici

[1] P. Severinus de Dania ord. s. Francisci, magister et lector theologiae, patria profugus, cui Olaus Magnus, archiepiscopus Upsalensis, *pluribus annis in Augusta et Ratisbona expensas pro sublevandis causis religionis subministravit*, vere 1547 Ratisbonae, mense Octobri eiusdem anni Augustae commoratus erat, ubi Valentinus de Tetleben, episcopus Hildesemensis, qui aderat dietae, eum beneficiis affecerat. Mense Novembri Spiram se contulit, unde mense Decembri 1547 *sese recepit ad episcopum Herbipolensem*, *G. Buschbell*, Briefe von Johannes und Olaus Magnus, Hist. Handlingar 28, 3, Stockholm 1932, 37s. 50s. *Th. Freudenberger*, Neu aufgefundene Briefe des ... Olaus Magnus, in: Röm. Qu.-Schr. LXI (1966) 63. 66. 69. Annis sequentibus Herbipoli domicilium habuisse videtur; cf. eius epistolam die 15. Ian. 1548 ad Valentinum de Tetleben datam (die 22. Ian. Augustae per priorem Cartusianum Hildesemensem praesentatam): „Faustum sponsae tuae complexum, R^{me} D. patrone. Nuper 11. die Ianuarii eram Spirae custam librorum meorum suppellectilem Herbipolim translaturus; sed quo die revertissem domum corpore et animo (Christo gloria) incolumis, a doctoribus camere imperialis accepi cameram erectam, sed non perfecte; examinandi enim, non terminandi facultate gaudet etc. Item rex Dacie volens gratificari Ces. M^{ti}, interdixit Saxonibus mari Baltico et oceano magno nec eis navigare liceat absque Ces. M^{tis} salvo conductu. Hec libens audio; canibus enim rixantibus aut potius lupis eruitur agnus innocens etc. Item principem Cruciferorum Prusie narrabant expulsum per regem Polonie; item Turcam optasse filiam regis Polonie uxorem sibi dari etc. Hec num vera aut ficta, aliorum esto iudicium. — Vale, pastor bone, qui pro sponsa tua perdius et pernox semper existis. Scribat R^{ma} D^{tio} Tua R^{mo} Upsalensi, quod et quomodo agitur negotium religionis Augustae. Tua R^{ma} D^{tio} optime novit nihil aeque obfuisse Rhomanorum et Germanorum dilectioni atque spretam aut neglectam religionis nostre curam. Ubi vero paululum experrectus fuerit imperator, mox omnis servilitatis fomentum subtractum erit. Erit quoque corpus mysticum non monstrosum sine brachiis, sed gloriosum utroque gladio prudenter utens etc. — Vale, Pater et D^{ne} R^{me}, una cum insigni doctore cancellario Tuae Celsitudinis et scolastico prudentissimo et praeposito Brunone vigilantissimo, aliis etiam universis servis, amicis integerrimis. — Datum raptim ex Virtzenburgo 15. Ianuarii 1548 etc. Fr. Severinus Danus exul", Wirceburgi, Arch. rei publ., *Mz. Urk., Geistl. Schr., L. 18, n. 9, 452. Buschbell* 53. Una cum Georgio Flach, episcopo Salonensi, suffraganeo Herbipolensi, mense Maio 1551 exeunte Tridentum se contulerat, quo advenerunt die 16. Iunii. Die 13. Febr. 1552 Tridentum reliquit profecturus Herbipolim (*G. Flach* ad episcopum Herbipolensem, Tridenti 16. Febr.: „P. Severinus ist auch vor 3 tagen hinwegck auf Wirtzburg zu", Wirceburgi, Arch. rei publ., *Misc. 3169 I*, 254^{v}). Iam aestate 1548 *librum satis grandem maioribus examinandum* traditurus erat, in quo communionem sub utraque specie refutare conatus est tres defendens propositiones, de quibus cf. *Buschbell* 51. Haec *Assertio* nescio an post diem 11. Oct. 1551 scripta sit; cf. Conc. Trid. VII, I 207, 9ss. et infra n. 37, p. 236.

[2] Videl. art. 8, Conc. Trid. VII, I 113, 11s.

[3] Io. 6, 54. [4] Matth. 26, 26s.

[5] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24s.

[6] 1 Cor. 4, 1.

[7] E. gr. *M. Luther*, De captivitate Babylonica (WA VI 507).

Digitized by Google

persuadent, inmensitatem Dei poculo vini circumscribentes et Christum sub speciebus panis et vini dividentes et fiduciam vulgi a spiritu Dei adorando ad creaturas creaturarumque species venerandas, colendas, contentiose exigendas, armis defensandas, quae universa idololatriam sapiant[a]. Quam persuasionem sathanicam spiritus sanctus in generalibus patrum conciliis[8] cognoscens et praeveniens doctrinam ipsam de communicatione laicorum sub utraque specie una cum Protestantibus suis iuste excommunicavit et obstinatos seculari potestati tradidit[9]. Nec unquam penitebit generale concilium futurum praemisse sententie iustissime prolate. Sint anathema.

Fr. Severinus Franciscanus observantinus, lector theologie inmeritus, hanc assertionem sacrosancto generali concilio Tridentino offert examinandam, approbandam aut reprobandam. Spiritus sancti presentiam et sententiam firmiter credo et tenebo. 1551.

11 b.

Anonymi cuiusdam theologi Germani Theses Tridentinae[1]

[Tridenti, inter 3.—16. Septembris 1551]

Wirceburgi, Arch. rei publ., *Miscell. 3169 I*, 93r–96v *(copia coaeva)*

Obiter signata ad positiones Tridentinas Misc. 3169 I 93r

An corpus et sanguis Christi vere et realiter sub speciebus panis et vini consecratis contineatur?

Respondeo cum catholicis, quod sic. — Opponit Zvinglius[2] Capharnaita: Gratia est in aliis sacramentis ut in signis; ergo et in hoc. Item[3] Ioh. 6 [64]: *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam. Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Augustinus super Ioannem sic ait: „Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis nec bibituri sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, quod spiritualiter intellectum vivificabit vos“[4]. Zvinglius arguit ex his verba Christi esse figuraliter intelligenda[5]. Respondet Magister[6] ⌜in 4. Sent. dist. 10⌝[b]: Christi et Augustini verba hoc sonant: Christus in hoc sacramento non continetur ut caro cruenta vel ut Iudaei mactaverunt. Unde idem Augustinus: *Ipsum quidem et non ipsum corpus manducaturi* estis; *ipsum* quidem *invisibiliter*, sed *non ipsum visibiliter*[7].

Dico igitur ad primum: Eucharistiae sacramentum differt ab aliis sacramentis; nam realiter continet quod signat, alia vero non; signant enim alia sacramenta gratiam accidentalem, sed eucharistia subsistentem. Colligo ex his, quod hoc est sacramentum in esse permanenti et perfecto; alia autem consistunt in usu. | Item excipio ad regulam Augustini, qua abutuntur 93v

[a] *cod. sic* [b] *in marg. add.*

[8] Conc. Constantiense, sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis;* cf. supra p. 97[7]. Conc. Basiliense, sess. XXX, decr. *Ut lucidius;* cf. supra p. 97[8].

[9] E. gr. conc. Constantiense Iohannem Hus.

[1] Hae „Theses“ omni indicatione auctoris et diei, quo prolatae vel scriptae sint, carent. Cum vero in eodem codice exstent, in quo *Assertio de eucharistia* Severini Dani (n. 11a) invenitur, coniciendum esse videtur eundem eas secum Tridento deportavisse. In incerto tamen relinquam, utrum Severinus ipse an Georgius Flach, suffraganeus Herbipolensis, an alius quidam theologus Germanus eas composuerit. Auctor ad articulos de eucharistia theologis die 2. Septembris 1551 propositos respondet; cf. Conc. Trid. VII, I 111–114.

[2] De vera et falsa religione comment., art. 18: „Christo, qui proprio sanguine aeternum testamentum consecravit, initiamur aquae perfusione ... Estque ad hunc modum baptismus nostra circumcisio, eucharistia nostrum pascha, hoc est redemptionis commemoratio“, Corp. Ref. XC 803, 18ss. Cf. Ußlegen und gründ der schlußreden, art. 18, ibid. LXXXIX 125, 10ss.

[3] Cf. *U. Zwingli*, De vera et falsa relig., art. 18, l. c. 784, 5ss. 12ss.; 792, 8s.; 798, 8ss.

[4] *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 98, c. 9 (CChr. XXXIX 1386, 57–61). Eadem leguntur in c. 44 *Prima* et c. 45 *Non hoc corpus* de consecr. dist. 2 (*Friedberg* I 1330s.) et apud *Petrum Lombardum*, Sent. IV, dist. 10, c. 1, n. 97 (Ad Cl. Aquas ^{2}1916, II 797).

[5] *Zwingli* ibid.: „Quam dilucidum est hoc, quod Augustinus hic loquitur: Figuram corporis et sanguinis sui tradidisse discipulis perhibet“, l. c. 809, 30s.

[6] *Petrus Lombardus* ibid. n. 99 (l. c. 798).

[7] Haec leguntur in dicto c. 45 *Non hoc corpus* (l. c. 1331) sub rubr.: *Augustinus in epist. ad Ireneum* et apud *Petrum Lombardum* ibid. n. 99 (l. c. 798). Similia inveniuntur apud *Augustinum*, In Ioannis evang. tract. 26, c. 11 et tract. 27, c. 6 (CChr. XXXVI 265, 16ss.; 273, 27s.) et Enarrat. in Ps. 98, c. 9 (l. c. 1386, 61s.).

Digitized by Google

haeretici: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum*[8]. Et dico: Verum est in aliis sacramentis, ubi sacramentum constat verbo et elemento tanquam partibus essentialibus sacramenti, exempli gratia: *Baptizo te* etc. Elementum requiritur et verbum; in eucharistia non. Sed consecratio praecedit, sumptio sequitur sacramentum, et neutrum est de essentia sacramenti existendi. Nam verba consecrationis transeunt et verbum aeternum caro factum ibi continetur. Consecratio igitur sacramentum non est, sed via ad sacramentum; sumptio similiter non sacramentum, sed usus sacramenti. Et sic consecratio et sumptio possunt dici sacramentalia necessario requisita ad id, quod conficiatur eucharistia et ad praeceptum Domini sumatur.

Responsio decisiva: *Hoc est corpus meum* realiter et secundum substantiam intelligi debet; nam Christus dicit ⌜Luc. 22 [19s.]⌝[a]: *Hoc est corpus meum* et subdit: *quod pro vobis tradetur*[9]*;* item: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur*[10]. Fidelis homo dicit secum: Ecce veritas non mentiri potest. Oportet igitur intellectum captivare in obsequium fidei. *Non est mirum* (ait quidam, ⌜Hugo[11], De sacramentis lib. 2⌝[a]), *si mirabilis mirabilia operatur. Cogita, quis*
94r *faciat, et non miraberis, quid fiat.* | Si opponis: Veritas dicit: *Ego sum vitis vera* etc.[12], intelligitur figurative dictum; ergo et illud: *Hoc est corpus meum*, dico: Non est simile. Ratio autem diversitatis sumitur ex addito. Cum ad discipulos ait in sensu continuo: *et vos palmites*[12], manifestum est apostolos non fuisse realiter arbores, sed homines. Relativa urgent: *quod pro vobis tradetur*[9], *qui effundetur* etc.[10]

Sententiae patrum videantur in locis communibus. Unicus Irenaeus huc accedat ⌜lib. 5⌝[a] dicens: „Quando et mixtus calix et panis factus percepit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi“[13]. Idem: Si est, ut heretici dicunt, „nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque *calix* eucharistiae *communicatio sanguinis* eius, neque *panis, quem frangimus*, communicatio *corporis [Domini] est*[14]. Sanguis enim non est nisi a venis et carnibus et a reliqua, quae est secundum hominem, substantia, qua vere factum verbum Dei sanguine suo redemit nos“[15]. Citat[16] Paulum ⌜Eph. 1 [7]⌝[a]: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.*

Secundus articulus declaratur et reprobatur

Spiritualis manducatio continet duo: masticationem, sed et incorporationem. Masticatio fit per rememorationem dati corporis dominici pro mundi salute in mortem. Incorporatio succedit, dum amoris vis sentitur et ad reamandum mens accenditur. Unde probe Basilius: *Puto,*
94v inquit, aliquem tali cogitatione *ad* | *divinum amorem posse provocari*[17].

Ad articulum: Christus dixit: *Caro mea vere est cibus*[18] et: *Accipite et manducate*[19]. Constat autem, quod cruentam carnem non sumimus; ergo sacramentalis sumptio praecepta est.

Tertius articulus de transsubstantiatione

Pro Luthero: Credere Christum presentem sub specie consecrata sufficit. Neque est necesse modum decernere, quomodo substantia panis vel abeat vel evaneat, maxime cum scriptura hoc non dicat nec ecclesia diffinivit[20].

Contra: Veritas catholica est, quod in eucharistia consecrata non manet panis nec fit nihil nec resolvitur nec corrumpitur, sed vertitur in corpus Christi. Nec est verum, quod Lutherus dicit; nam ita legimus ⌜Extra de summa trinitate et fide catholica [c. 1] *Firmiter* lib. I Decretalium [tit. 1]⌝[a]: „Una est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse sacerdos est et sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina, ut ad perficiendum misterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro“[21]. Hec ibi. Et patet responsio, quid ecclesia sentiat

a *in marg. add.*

8 *Augustinus*, In Ioannis evang. tract. 80, c. 3 (l. c. 529, 5s.).
9 1 Cor. 11, 24.
10 Matth. 26, 28; Marc. 14, 24.
11 *Hugo de S. Victore*, De sacramentis christ. fidei II, pars 8, c. 11 (*Migne*, PL CLXXVI 469 C–D).
12 Io. 15, 5. Cf. *Zwingli* ibid. (l. c. 797, 36s.).
13 *Irenaeus*, Adv. haereses V, c. 2, 2 (ed. *Harvey* II 319s.).
14 1 Cor. 10, 16.
15 *Irenaeus* ibid. V, c. 2, 1 (l. c. 318).
16 Ibid. (l. c. 319); cf. ibid. V, c. 14, 3 (l. c. 362).
17 *Basilius*, Regula ad monachos (ex versione *Rufini*), interrogatio 134 (*L. Holstenius*, Codex regularum monast. I, Graz 1957, 97) allegata in c. 25 *Timorem*, § 1 de consecr. dist. 2 (*Friedberg* I 1322).
18 Io. 6, 56.
19 Matth. 26, 26.
20 *M. Luther*, De captivitate Babylonica ecclesiae: „verum oportet intelligi panem verumque vinum, sicut verum calicem ... transsubstantiationem vero potestate divina factam, cum non sit necesse poni, pro figmento humanae opinionis haberi, quia nulla scriptura, nulla ratione nititur“ (WA VI 509, 17–21; cf. ibid. 511s.). Cf. infra adn. 21a.
21 § 3 (*Friedberg* II 5).

Digitized by Google

de transsubstantiatione. Dico igitur accidentia, ut albedo, sapor, rotunditas, que necessaria sunt, ut indicent sacramentum, vere | praesto esse. Non tamen panis vivifici omnipotens virtus 95r ullo indiget fulcimento, cum dicatur ⌜Hebr. 1 [3]⌝[a], quod ipse *portet omnia verbo virtutis suae.* Sequitur: Si ad mentem Lutheri de consecrata hostia dixeris: *Hic panis est corpus Christi*[21a], est haereticum.

De quarto

Eucharistia instituta est non *ob solam remissionem peccatorum*, sed tam in recordationem mortis dominicae quam in evangelicam oblationem, ubi verus *secundum ordinem Melchizedeck sacerdos*[22] illam hostiam obtulit et offerri iussit: *Hoc facite* etc.[23]. Item propter incorporationem: *in me manet et ego in eo*[24]. Augustinus, tractatus 26 super Ioannem: „Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de spiritu Christi? In corpore isto Christi. Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est, quod exponens apostolus Paulus nobis hunc panem: *Unus panis*, inquit, et *unum corpus multi sumus*[25]. O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, [non sit putre membrum], quod resecari mereatur. Non sit distortum, de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum. Haereat corpori, vivat Deo de Deo"[26]. Haec ibi. Patet ergo usus huius sacramenti. Nec inscite dicitur: Sanguis Christi *in remissionem peccatorum* funditur[27], non bibitur in remissionem peccatorum; sentio de mortalibus. ⌜1 Cor. 11 [29]⌝[a]: *Qui enim indigne* etc.

De quinto 95v

An *Christus in eucharistia* sit *adorandus?*

Dico: Deus et homo unus est Christus. Et Christus adoratus est mortalis, praesertim a magis[28], et bene. Ergo et in sacramento adoretur, nisi dicas Christum in sacramento non esse Christum et Dei filium.

De processionibus corporis Christi videantur scripta doctorum Ambrosii[29] et Eusebii[30] etc. Novimus manna servatum[31] et alia, quae prolixum est referre.

De sexto

Non esse servandam eucharistiam. Oppono praxim ecclesiae, et quod frater Ambrosii gestavit eucharistiam *in collo* et servatus est in mari[32].

Non licere, ut homo *se ipsum communicet.* Hoc est contra institutum Christi, qui et ipsemet in coena participavit cum discipulis iuxta illud ⌜Hebr. 2 [14]⌝[a]: *Quia ergo pueri* (apostoli) *communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.*

De septimo: Nihil *remanere* etc.

Hoc reprobatur ex praecedentibus. Quero: Ubi vis est et efficacia simboli Lutherici, si *verbum* non *manet in aeternum*[33]? Non dico in aeternum, sed quamdiu accidentia et species sacramentum testantia manent.

[a] *in marg. add.*

[21a] *M. Luther*, De captivitate Babylonica: „credo firmiter non modo corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi". Ibid.: „Non est necesse panem et vinum transsubstantiari, ... sed utroque simul manente, vere dicitur: hic panis est corpus meum" (l. c. 511s.).

[22] Cf. Ps. 109, 4; Hebr. 5, 6.

[23] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24s.

[24] Io. 6, 57 et 15, 5.

[25] 1 Cor. 10, 17.

[26] *Augustinus*, In Ioannis evang. tract. 26, c. 13 (l. c. 266, 20–32).

[27] Matth. 26, 28.

[28] Matth. 2, 11.

[29] Nescio an intelligenda sint, quae *Ambrosius* rettulit in libro I, c. 44 De excessu Satyri fratris, qui *ex undis servatus statim Dei ecclesiam requisivit, ut ageret gratias et mysteria aeterna cognosceret* (CSEL LXXIII 233, 8s.). Cf. Conc. Trid. V 874, 16s.

[30] *Eusebius Caesariensis*, Hist. eccl. V, c. 24, 15 ex epistula quadam Irenaei Lugdunensis ad Victorem, episcopum Romanum, data haec (secundum *Rufini* versionem) allegat: „omnes presbyteri, qui fuerunt ante te, omnibus semper ... presbyteris ecclesiarum eucharistiam sollemniter transmittebant" (GrChrSchr. Eusebius II, I 497, 7–9). *Eusebius* ibid. VI, c. 44, 4 ex epistula quadam Dionysii Alexandrini tradidit presbyterum quendam ad Serapionem graviter aegrotantem *parum eucharistiae* perferri iussisse (l. c. II, II 625, 11–16). Cf. Conc. Trid. V 874, 13s.

[31] Exod. 16, 33s.; Hebr. 9, 4.

[32] *Ambrosius*, De excessu fratris Satyri I, c. 43s. (l. c. 233, 9ss. 4s.).

[33] 1 Petr. 1, 25.

Digitized by Google

De octavo de utraque specie

Quantum ad *parvulos* dico uno verbo: *Non diiudicans corpus Domini*[34], quod nequeunt infantes per aetatem.

96r De *utraque specie* et de nono articulo

Dico primo: Fructus huius sacramenti non est in signo, sed in signato.

Secundo: Mensa haec animarum est, non corporum. Et ideo, ut corporali cibo anima non cibatur, sic nec spirituali corpus nutritur. Si in mensa corporali proponitur tibi spiritus, illudi te dicis. Sic illudimur, si verus Christus non datur. Si Christus datur, quid rixamur de signis? Addo: Si lignum vitae in paradiso[35] potuit praestare aeternitatem viventibus, quid non potest autor vitae? Si Christus est *panis vivus, qui de celo descendit*[36] quique *dat vitam mundo*[37], quid amplius requirimus?

Decimo de *praeparatione*

Dico breviter: *Sumunt boni, sumunt mali*[38]; testis est Iudas, qui *bonum malus male sumpsit*[39]. Et propterea: *inter vos multi infirmi*, ⌜1 Cor. 11 [30]⌝[a], ut videlicet imbecillitas presentis vitae testetur futurum iudicium, ubi Christus ultionem sumet de indigne communicantibus. Item Hebr. 10 [29]: *Qui sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum duxerit.* Item Augustinus: „Fratres, innocentiam ad altare portate!"[40] Item Christus ante communionem lavit pedes discipulorum et ait Petro: *Si non lavero te*[41]; *te* dixit, cum saltem pedes laverit. Lavare pedes est deflere delicta; unde glosa super illud ⌜Cant. 5 [3]⌝[a]: *Lavi pedes meos* ait: „*Lavi pedes* id est cogitationes, quibus aliquando terram contingere solebam, secretis fletibus compunctionis
96v ablui"[42]. Item ⌜1 Cor. 5 [8]⌝[a]: *Epulemur non in fermento veteri* etc. | Lutherus facile fidem mortuam, quam praedicat[43], mihi persuadebit omnipotentem.

Haec ut vera aestimo, ita et propere signata sunt. Si pridem quispiam serio dixisset mihi: Hoc fac, iam diu corrasissem gnomologiam prolixissimam usque ad fastidium.

12.

Pauli [de Gregoriancz] episcopi Zagrabiensis Ungari Ad articulos de sacramento eucharistiae in sacra synodo propositos responsio[1]

Tridenti, die 21. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14*, 81r–84v *(autogr.)*

Conc. 14 81r Articulus primus: *In eucharistia non esse re vera corpus et sanguinem...*

Responsio ad articulum. Hunc articulum tanquam veritati evangelicae plane contrarium prorsusque haereticum et impium censeo damnandum et anathematizandum, ex quo multae aliae haereses habent ortum et progressum apud impios.

Articulus secundus: *Exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter...*

Responsio ad eundem. Is quoque articulus haeresim continet proptereaque damnandus est. Nec ipsum uti superfluum omittendum iudico, tum quia non evidenter in primo continetur, quum ille de substantia, hic de usu eucharistiae loquatur, tum vero, quia non desunt inter haere-

[a] *in marg. add.*

[34] 1 Cor. 11, 29.
[35] Cf. Gen. 2, 16s.; 3, 1ss.
[36] Io. 6, 41. 51.
[37] Io. 6, 33.
[38] Missale Rom., Sequentia in festo Corp. Christi.
[39] *Augustinus*, In Ioannis evang. tract. 26, c. 11 (l. c. 265, 25); cf. Matth. 26, 23. 25; Io. 13, 26s. 30.
[40] *Augustinus* ibid. (l. c. 265, 26s.).
[41] Io. 13, 8.
[42] Glossa interlin. in Cant. 5, 3 (Biblia cum glossa ordin., Basilee 1498, pars III, ff 4v).
[43] De captivitate Babylonica (WA VI 520, 5s. 24ss.). Cf. Conc. Trid. VII, I 114, 4s.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 145, 8–146, 10. De auctore cf. ibid. 97, 26 cum adn. 3. Articulos de eucharistia vide ibid. 111–114.

Digitized by Google

ticos, qui dicunt Christum dumtaxat spiritualiter, non autem sacramentaliter sumi in sacramento[2].

Tertius articulus: *In eucharistia esse quidem corpus et sanguinem...*

Responsio ad eundem. Pariter hereticum esse et impium ideoque damnandum assero. |

Quartus articulus: *Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum.* 81v

Responsio ad eundem. Quia articulus iste cum dictione *solam* non videtur esse per haereticos assertus, hinc sine ea censetur catholicus. Licet enim multas ob causas hoc sanctissimum sacramentum sit institutum, nempe ut suggeratur nobis memoria D. N. Ihesu Christi et eius ineffabilis erga nos dilectionis, et deinde, ut per hoc sacramentum incorporemur *Christo, capiti*[3] nostro, et augmentum gratiae recipiamus etc., tamen per ipsum sacramentum habemus etiam *remissionem peccatorum*, non simpliciter et proprie, sed cooperante prima remissionis causa, quae fit merito dominicae passionis, cuius hic agitur memoria. Stante tamen dictione *solam* articulus esset damnandus. Suaderem tamen illum omittendum.

Quintus articulus: *Christum in eucharistia non esse adorandum...*

Responsio ad eundem. Articulus iste, qui ex primo videtur ducere originem, est perniciosus, scandalosus et haereticus, proinde damnandus atque anathematizandus.

Sextus articulus: *Non esse reservandam eucharistiam...*

Responsio. In prima et secunda sui parte est haereticus et propterea damnandus. Tertiam partem, quatenus laicos | tangit, non esse damnandam arbitror, quum utique laicus nec in 82r
necessitate se ipsum communicare possit nec debeat, quoniam eius non sit officii. Quatenus vero sacerdotes tangit, qua in parte illam adversarii videntur intelligere, reiciendam censeo, quoniam sacerdos, dum celebrat, se ipsum communicare creditur, quamquam potius sacrificare ipsum dicerem, quum ipse in altari Christum repraesentet[4].

Septimus articulus: *In hostiis sive particulis consecratis...*

Responsio. Hunc articulum nullo modo tenendum, sed ut haereticum damnandum esse et reiciendum censeo.

Octavus articulus: *De iure divino esse sub utraque spetie...*

Responsio. Istum articulum propter concilii Constantiensis[5] et Basiliensis[6] decretum esse damnandum puto, sed circa ipsum tamen esse magnopere considerandum suadeo, num hisce novissimis et plane ubique tumultuosis temporibus propter bonum pacis piaeque tranquillitatis (quum nunc in Bohemia, Germania, Ungaria et fortassis in Italia quoque ob hunc articulum usque ad sanguinolentas partialitates omnia turbentur) magis conduceret hoc ipsum abrogari decretum quam diutius sustineri. Quatenus tamen articulus iste parvulos velit esse communicandos, plane damnandum censeo. In adultis tamen capacibus et valentibus citra omnem divinae legis offensam, immo cum magno ecclesiae Dei unitatisque profectu | sacrosancta haec oecumenica 82v
synodus in manu habet articulum non damnare, sed in prima, ut dixi, sui parte approbare. Licet enim sacrosancta illa concilia pro temporis illius exigentia iustas et legitimas habuerint causas communionem sacrosanctae eucharistiae sub una tantum specie laicis permittere, eadem tamen nunc sancta Christi ecclesia ad utilitatem suorum fidelium, et *ut plures lucrifaciat*[7], potestatem procul dubio habet a spiritu sancto variandi usum, ritus et quadamtenus ea, quae attinent ad sacramenta, ubi praesertim videt scismata suorum subditorum non aliter componi posse quam tali aliquo adhibito temperamento. Et haec semper fuit una ex praecipuis causis, cur turbante statu ecclesiae concilia oecumenica convocari consueverunt.

Quae quidem res eo facilius fieri potest, quod nullum, ut dixi, evangelio Christi exinde inferri videatur scandalum, quum certe (ut eloquar libere, quod sentio, subiciendo me semper determinationi sacrosanctae Dei ecclesiae et concilii, cui semper adhaesi, adhaereo et adhaerebo, steti, sto et stabo) communio utriusque speciei iuris esse divini et praecepta a Christo, Dei maximi filio, omnibus tam laicis quam sacerdotibus plus quam evidenter videatur et ex

[2] E. gr. *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 18 (Corp. Ref. XC 787, 6ss.). Cf. Conc. Trid. VII, I 152 adn. 6. [3] Eph. 4, 15.

[4] *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 82, art. 2 ad 2.

[5] Sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis* (*Mansi* XXVII 727 E); cf. Conc. Trid. VII, I 145 adn. 12, et supra p. 97, 6s. cum adn. 7.

[6] Sess. XXX, decr. *Ut lucidius*; cf. ibid. adn. 13 et supra p. 97, 7 cum adn. 8.

[7] 1 Cor. 9, 19.

Digitized by Google

sacris litteris recte et citra verborum retorsionem intellectis et receptis comprobetur. Nonne omnes causae institutionis huius sacramenti non minus in laicis quam sacerdotibus locum habent? Neque enim negari potest, quin Christus pretiosum suum sanguinem, cuius fit memoria in hoc sacramento, pro omnibus aeque profuderit et corpus pro omnibus tradiderit et omnes aeque memores et gratos esse debere et cum ipso uniri vitamque aeternam habere voluerit.

Item, nonne ipse Dominus aperte praecepit, ut hoc ipsum sacramentum sui veri corporis et sanguinis tam sub specie vini quam panis omnes sumerent? *Bibite*, inquit, *ex eo omnes. Hic* 83r *est enim sanguis* | *meus novi testamenti etc.*[8] Etsi iuxta vulgatum verbum divi Augustini: Dum clara est littera, non debent quaeri aliqui mistici aut abstrusi sensus[9], facile profecto pius istorum verborum auditor dissolvet id, quod ab aliquibus dici solet, verba haec dumtaxat ad duodecim illos discipulos, cum quibus solum cenavit, esse retorquenda, quum discipuli illi universam tunc ecclesiam repraesentabant, ad quos dixit, ut, quod ipse fecisset, et illi suo loco deinceps facerent[10]. Quid ipse fecit? Nempe consecravit. Quid amplius? *Accipiens calicem dedit eis*[11]. Atque ut non saltem pro sacerdotibus hoc dictum intelligatur, adest iustissimus huius traditionis Christi interpres, divus Paulus scribens non solum sacerdotibus, sed toti Corinthiorum ecclesiae se *a Domino accepisse*, *quod* eis *tradidisset*[12]. Sed quid a Domino recepit? Nempe doctrinam communionis utriusque speciei. Quid tradidit eis? Id, plus quam clarum est ex verbis eius, est sacramentum eucharistiae sub utraque specie. Quae verba quomodo debeant in alium, quam sonant, sensum aut modum torqueri, quilibet spiritum sanctum habens conscientiose iudicet. Non volentibus enim et non credentibus numquam deerunt verba sophisticae depravationis. Veritas tamen clara est, quum idipsum idem D. N. Ihesus Christus clarissime praeceperit Io. 6 [54]: *Nisi manducaveritis et biberitis etc.* Quod utique non duodecim apostolis saltem, sed toti illi turbae quinque millium hominum[13], immo et Capharnaitis locutus est cum interminatione mortis aeternae. Et audent aliqui in re tam tremenda peregrinos contra planum litterae contextum sensus summis speculationibus usque ad vertiginem capitis disquirere, quum haec ipsa Christi institutio et apostolica traditio in nascente ecclesia et deinde semper apud plerosque omnes permansit, non modo Graecos sed et Latinos. Dicebat enim divus Ambrosius Theodosio excommunicato: „Qua", inquit, „temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies?"[14] Hunc usum utriusque speciei laicos habuisse duo illa maxima concilia Constantiense et Basiliense expresse testantur; ita enim ibi sessione 13, similiter et 30, *ordinationi* postea *ecclesiae* relinquendo, *quomodo* hoc sacramentum laicis *ministretur*, *prout reverentiae* 83v *sacramenti et saluti fidelium videbitur* | *expedire*[15]. Manifeste tamen ibi attestatur sacrosanctum concilium *in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum sub utraque specie recipi* solitum[16]. Id quod olim non saltem *figura* de pane et vino per Melchisedech oblato[17] (quam oblationem divus Thomas cum multis aliis, fere omnibus, ad eucharistiae sacramentum utriusque speciei pertinere censet[18]), sed etiam manna et potus ille e petra fluens, de quo omnis populus in propria aquae specie bibit[19], praefiguravit. Nec obstat (ut quidam[20] opinantur), quod Christus duos discipulos ad Emaus euntes sub una tantum specie communicavit[21]. Nam illic non probatur dixisse corpus suum esse, sine quorum verborum prolatione corpus Christi esse nequit, sed illic *fregit* eis *panem* ea fractione, qua semper usus fuerat, benedictioque illa non consecrationis, sed gratiarum actionis fuit, prout et illa circa principium capitis 6 [11] Iohannis, dum turbam satiasset. Et alioquin sacramentalis consecratio non in publicis diversoriis aut privatis domibus (iuxta doctrinam apostoli[22]) fiebat. Sic et in Actis apost., dum apostoli *circa domos fregerunt panem*[23], de vulgari pane intelligitur. Immo etiam ubi de sacramentali sumptione agitur, de specie panis solum, non autem vini mentio fieri solet, eo quod in rebus claris non semper opus est repetitione nec sermonis consuetudo habet, ut appellatione cibi sumendi excludatur potus.

Haec dicta sint, non quod ego vel damnem vel (quod a me longe absit) ut impiam esse censeam definitionem Constantiensis concilii[24] hactenus servatam a tempore promulgationis

[8] Matth. 26, 27s.

[9] De vera religione XVII 33: „mysteriorum expositio ad ea dirigitur, quae apertissime dicta sunt, et si ea tantum essent, quae facillime intelleguntur, nec studiose quaereretur nec suaviter inveniretur veritas" (CChr. XXXII 207, 5–8). Cf. De doctrina christ. IV, c. 8, 22 (ibid. 131, 1ss.).

[10] Cf. Luc. 22, 19.

[11] Matth. 26, 27.

[12] 1 Cor. 11, 23.

[13] Cf. Io. 6, 10.

[14] *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripartita IX, c. 30, 8 (CSEL LXXI 542, 40).

[15] Conc. Basileense, decr. *Ut lucidius* (*Mansi* XXIX 158 D).

[16] Conc. Constantiense, sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis* (*Mansi* XXVII 727 E. *Denzinger* l. c. n. 1199).

[17] Gen. 14, 18.

[18] *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 73, art. 6; qu. 74, art. 6 ad 1.

[19] Exod. 16, 14ss.; 17, 6; Num. 20, 8ss.

[20] E. gr. Alf. Salmeron, Conc. Trid. VII, I 119, 11s.

[21] Luc. 24, 30.

[22] Cf. 1 Cor. 11, 22.

[23] Act. 2, 46.

[24] Vide supra adn. 5.

Digitized by Google

illius, sed eo nimirum, ut sacrosanctam hanc synodum Tridentinam supplex pioque zelo admoneam, ut ipsa de re tam ardua animae et corporis salutem et perditionem tranquillitatemque ecclesiae Dei et liberationem a tot malis et dissensionibus regnorum concernente magna piaque deliberatione expendere dignetur, num fortasse conducat hoc tempore rursus utramque speciem laicis concedere. Potest enim, quia universalem repraesentat ecclesiam et habet arduissimas id faciendi rationes nichilque contra Dei praeceptum, sed iuxta potius diffiniet, prout et illa duo maxima concilia manifeste | arguunt[25]. Id quod, prout in confesso est omnibus, tot 84r
millia hominum non modo scismaticorum sed et catholicorum summis votis et precibus sibi concedi iam diu expetunt et a vestra, Patres amplissimi, deliberatione pendent ad vestram vel concessionem vel denegationem aut quieturi in unionemque nostram venturi aut certe novis iterum modis tumultuaturi. Expedire certe arbitror, ut relictis ad tempus *nonaginta novem* ovis perdita ad ovile reducatur[26] et *linum* adhuc *fumigans non extinguatur*[27], sed reaccendatur vulneratique illius *semivivi infuso oleo et vino* cura habeatur[28].

Cavebitur autem facile, ne causis contrariae olim definitionis locus fiat, dum concionatores et alii presbyteri in docendo populo riteque et reverenter administrando et gestando hoc utriusque speciei sacramento officium suum rite exercuerint. Senserunt certe duo illa maxima concilia, prout illorum verba denotant[29], futurum aliquando tempus, quo cessantibus illis prioribus causis aliae deinde in illarum locum successurae sint aliam suasurae definitionem. Quam si sancta haec synodus misericordia mota facere dignabitur, constanter michi persuadeo plerosque omnes, qui hactenus haereseos rei sunt existimati, caeteris erroneis articulis magna ex parte valedicturos et nobiscum sub *uno pastore* in unitate sacrosanctae Romanae ecclesiae in *uno ovili* mansuros[30] et non solum contra Thurcos, sed contra omnes inimicos opem suam laturos dulcique et diu *optata pace fruituros*[31].

Nonus articulus: *Non contineri sub altera spetie, quantum continetur sub utraque...*

Responsio. Assero verum quidem esse sub qualibet specie totum cum corpore et sanguine necnon divinitate per concomitantiam Christum contineri perque eandem concomitantiam laicos sub una specie tantum sumere, quantum est sub utraque, sed non specialiter et sacramentaliter nec significative. Nempe quum D. N. Ihesus Christus illud sanctissimum sacramentum sub duabus | speciebus rationabiliter accipiendum instituerit et non contentus, quod per illam concomi- 84v
tantiam tantum foret sub una quantum sub utraque specie, voluerit adesse in sumptione speciem vini, videtur non integrum sacramentum ab ipsis accipi, qui careant sacramentali specie vini, nec habere illos illud quasi obiectum quoddam, quod moveat fortius et efficacius sensus accipientis ad recordationem effusi sanguinis Christi, id quod non vulgaris est momenti, ut iugiter omnes recordemur nos iuxta verba divi Petri *redemptos non auro vel argento, sed pretioso agni sanguine etc.*[32] Et hoc est, quod queruntur sibi ademptum contra Christi institutum nec posse se habere tantam devotionem cum una specie quantam cum utraque.

Decimus articulus: *Solam fidem esse sufficientem praeparationem...*

Responsio. Iudico articulum damnandum uti perniciosum, scandalosum et mali exempli in ecclesia Dei sapientemque haeresim. Et optarem definiri nullo casu sumendam eucharistiam, antequam *se ipsum probet*[33] iudicio ecclesiae, qui sumpturus est.

Omnia haec sub censura sacrosanctae synodi, a cuius determinatione nunquam recedere volo.

Subscripsit idem Zagrabiensis manu sua.

[25] Cf. conc. Constantiense, decr. *Cum in nonnullis:* „licet Christus ... discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum" (l. c. 727 E. *Denzinger* l. c. n. 1198).
[26] Cf. Luc. 15, 4ss.
[27] Isai. 42, 3; Matth. 12, 20.
[28] Luc. 10, 30ss.
[29] Non vero expressis verbis.
[30] Cf. Io. 10, 16.
[31] Cf. Esth. 13, 2.
[32] 1 Petr. 1, 18s.
[33] 1 Cor. 11, 28.

Digitized by Google

13.

Fridericus Nausea, episcopus Viennensis Ad interrogata super sequentibus de sacrosancto eucharistiae sacramento articulis

in oecumenico concilio Tridentino responsio[1]

Die 21. Septembris 1551

Schaffhusiae, Biblioth. civitatis, cod. *gener. 40*, 131^{r}–148^{v} *(copia coaeva)* et 262^{r-v} (forma A [= *N*], *manus Nauseae propria*). — Monachii, Biblioth. rei publ., *Clm. 11053*, 23^{v}–45^{v} *(copia saec. XVI)*. — Ibid., Arch. ordin. archiepiscop., cod. *B 563*, 27^{r}–28^{r} (forma A, *copia coaeva* [= *M*]). — Arch. Vat., *Conc. 106*, 168–203 *(copia saec. XVIII)*

Schaffhusiae 131^{r} Ad R^{mos} et amplissimos Dominos, DD. sacrosanctae sedis apostolicae adeoque S^{mi} D. N. papae Iulii III pont. max. ad oecumenicam Tridentinam synodum legatos, commissarios et praesidentes anno salutis humanae 1551.

[1] Cf. quae excerpta Massarellus ex hac sententia Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 146, 11–16. De auctore cf. *J. Metzner*, Friedrich Nausea aus Waischenfeld, Bischof von Wien, Regensburg 1884. *H. Gollob*, Bischof Friedrich Nausea (1496–1552), Nieuwkoop 1967. *Fr. J. Kötter*, Die Eucharistielehre in den kath. Katechismen des 16. Jahrh. [RST 98], Münster 1969, 61–65. *J. Beumer*, Friedrich Nausea und seine Wirksamkeit zu Frankfurt, auf den Colloquien zu Hagenau und Worms und auf dem Trienter Konzil, in: Zeitschr. f. kath. Theologie XCIV (1972) 39ss.

De hac sententia Nausea ipse litteris Tridenti die 7. Oct. 1551 datis Ferdinandum regem Romanorum certiorem fecit:

„Salutem et omne bonum a Deo opt. max. cum humillima et devotissima mei commendatione. — Etsi, invictissime Caesar, rex et Domine clementissime, R^{mus} D. Paulus, episcopus Zagrabiensis, collega meus charissimus, et ego, ambo devotissimi Sacr^{mae} Regiae M^{tatis} V. sacellani, ad eandem M^{tatem} V. de rebus, quae hic sunt praecedentibus diebus in hac ipsa Tridentina synodo peractae et brevi peragendae, coniunctim post proxime futuram sessionem, quae Deo dante erit 11. huius mensis, conscribere decreverimus, pro singulariore tamen magisque debita mea in Sacr^{mam} M^{tatem} V. observantia diuturnioreque mea, quam pluribus, uti puto, quam collega meus huc usque annis pro virili mea fideliter et diligenter eidem M^{tati} V. praestiti, servitute, tum, quia Viennae sedes mihi sit episcopalis, pluribus apud eandem M^{tatem} V. tam propter publicas quam privatas res insinuationibus et querelis multoties indigens, videor sane nil peccare mihi, quod aliquoties solus et citius eidem Sacr^{mae} M^{tati} V. de rebus tam publicis quam privatis paulo quidem liberius, confidentius et copiosius scribo. Id quod et nunc supplex facio, nihil scribendo repetens, quae ab hac Tridentina synodo tractata sunt, quum dudum, quae scribenda fuere, fortassis ad nauseam usque perscripserim, modo Sacr^{mae} Regiae M^{tati} V. pro meliore omnium antea scriptorum informatione hisce cum litteris transmitto, quid ego inter alios huius concilii praelatos uti Saul inter prophetas super discussis et tanto tempore disputatis articulis pro voto suffragioque meo de verbo ad verbum dixerim perindeque interloquutus fuerim, plurimum optans Sacr^{mae} M^{tati} V. placiturum, quidquid bona fide puraque conscientia interloquutus sum.

Quod vero super articulo de communione utriusque speciei praeter alios omnes paulo longior et in dicendo sententiam meam paulo liberior fuerim, in causa tum certe fuit inevitabilis necessitas, qua vel in hoc usque tempus non Germania tantum sed et Boemia et Hungaria fortasseque aliae nationes miserabiliter praemuntur, vexantur et affliguntur, tum quia, quod ego tanquam caeteris tumultuosae passim super hoc de utraque specie articulo controversiae, sicuti schismaticis et Protestantibus loci distantia propinquior, ita et certior et expertior hoc propemodum facere coactus fuerim, quum alioquin plerique fere omnes et theologi et praelati sicco pede eum ipsum de communione utriusque speciei articulum quasi parvi, quum sit profecto apud omnes et schismaticos et catholicos maximi momenti, transivissent, quos tamen hac ipsa pia mea interlocutione sic permovi et devotione quadam inflammavi, ut plerosque omnes ferme episcopos doctiores et prudentiores, qui post me dixerunt (soleo enim inter primos statimque post electores vota praebere et suffragari, id quod mihi certe non minus est periculosum quam difficile, praesertim quum Caesarei oratores nec vota dare nec quicquam dicere soleant, utpote ab omni labore liberi), ita in meam sententiam traxerim, ut canon super eo articulo (fortassis, uti dicitur, ad Sacr^{mae} Caes. M^{tatis} instantiam) et meo quidem iudicio prudentissime, dilatus et suspensus sit usque ad diem s. Pauli conversionis, quae dies est 25. Ianuarii, ad quem quidem diem ad eiusdem S. Caes. M^{tatis} mandatum venturos huc confidimus Protestantium procuratores, nescio quid vel boni vel mali acturos, quibus ob id haec sancta synodus Tridentina salvum accessus et discessus conductum promittit. Quorum gratia tam diu differtur terminus, usque videlicet ad diem 25. Ianuarii, quum interim nulla plane futura sit sessio, quam quae proxima erit Deo favente, die scilicet huius mensis undecima, quemadmodum pridem Sacr^{mae} M^{tati} V. significavi humillime. Deus opt. max. eorum introitum et exitum custodiat", Gottingae, Bibl. Universit., cod. *theol. 176, I*, 212^{r}–213^{r} (litterae exped., quas Frid. Nausea manu propria subscripsit). Schaffhusiae, Bibl. civit., cod. *gener. 40*, 45^{v}–46^{v} (copia coaeva) et 305^{r}–306^{r} (copia coaeva). Arch. Vat., cod. *Conc. 106*, 72–73 (copia saec. XVIII), quam copiam secutus hanc epistolam partim edidit *W. Friedensburg*, Beiträge zum Briefwechsel der kath. Gelehrten Deutschlands im Reformationszeitalter, in: Zeitschr. f. Kirchengesch. XXI (1901) 574s. — De Nauseae sententia cf. *H. Jedin*, Geschichte des Konzils v. Trient III 275s. 500s., adn. 16–18.

Digitized by Google

Praefatio

Quandoquidem, R^{mi} Patres, amplissimi principes ac Domini observandissimi, ego nunc annis viginti septem Deo opt. max. sic disponente divini verbi praeco, praedicator et ecclesiastes quantumvis indignus fuerim[2] et hosce idque genus similes articulos, quos R^{mae} et amplissimae D^{tiones} VV. prudenter admodum doctissimis theologis doctoribus coram sacrosancta hac Tridentina synodo discutiendos et examinandos tradiderunt[3], in manibus meis plerunque semper habuerim et ea, qua potui, cura et diligentia discusserim multotiesque illos pro concione, quo ad locum et tempus exigere videbantur, fundamentis scripturarum, rationum patrum, consuetudinum, exemplorum naturalium, conciliorum adeoque catholicae ecclesiae, totius *veritatis columnae et firmamenti*[4], coram multis hominum et eorum quidem[a] aliquot regum, cardinalium, episcoporum et principum tam ecclesiasticorum quam laicorum millibus, ita quasi plane schismaticos, haereticos, erroneos et scandalosos reprobaverim, refellerim et confutaverim, ut hactenus neminem nec viderim nec audiverim, qui mea fundamenta veluti minus consentanea et efficacia reiecisset, audiverim quoque hisce diebus clarissimos illos et doctissimos viros, qui non exiguo numero fuere, doctores, inquam, praecellentissimos coram hoc sacro Tridentino concilio disputantes eadem ea fundamenta, quae passim in libris meis pro | sacrosancta fide nostra et religione a me conscriptis et 131v
editis est invenire, non modo non improbasse, sed et constanter, pie, docte diserteque confirmasse, verum etiam insuper plerosque omnes a parte mea stetisse, non est, cur a veritate, quam semel confessus et tutatus sum, quoquo modo sim discessurus aut defecturus, et quidem maxime, quod veritas numquam sit desitura, sed in aeternum mansura[5]. Iam vero, licet absque catholicae ecclesiae iudicio et censura, cui semper steti, sto staboque perpetuo (corroborante me spiritu sancto), ab eo, quod semel damnandum et damnatum esse docui, nisi catholica ecclesia, quam synodus oecumenica in spiritu sancto legitime congregata repraesentat, posthac secus statuerit, discedere nolim, cum venia tamen et pace R^{marum} et amplissimarum D^{tionum} VV. circa articulos nonnullos nonnihil admonendum, considerandum deliberandumque operae pretium esse duxerim. |

[A. Sententia in ipsa congregatione prolata[6]] 262r

Ego **Fridericus**[b], episcopus **Viennensis** indignus, dico et assero:

Primum articulum esse prorsus hereticum et impium, ideoque plane damnandum et anathematizandum.

Secundum articulum quoque, sicut omnino hereticum esse, propterea damnandum, nec ipsum uti superfluum esse obmittendum[7], tum quia non evidenter in primo articulo intelligatur, tum quia non desint inter haereticos, qui dicunt Christum in sacramento duntaxat spiritualiter, non autem corporaliter sumi[8]. Nec censeo verba huius articuli mutanda, sed ut iacent anathematizanda, quum spiritualitas circa sacramentum versans non exhibentem, sed accipientem concernit.

Tertium articulum pariter haereticum esse et impium, igitur damnandum.

Quartum articulum esse declarandum, prout sub octavo articulo facio, quamvis[c] is mihi articulus propter futuram cavillationem rectius obmitti posse videatur.

Quintum articulum prorsus esse perniciosum, scandalosum et haereticum, proinde damnandum.

[a] *om. Clm* [b] *M add.* Nausea [c] *M* quam

[2] Nausea iam anno 1525 ad parochiam ecclesiae collegiatae S. Bartholomaei Francofurtensis vocatus erat. Cum autem senatus civitatis ei interdixisset, ne munere praedicandi fungeretur, Moguntiam se contulerat, ubi die 16. Martii 1526 ad praebendam *oder vicarei mit der anhangenden predicatur im thumb* promotus est, *Metzner* l. c. 29ss. 105. *Fr. Herrmann*, Die evang. Bewegung zu Mainz im Reformationszeitalter, Mainz 1907, 192. *Idem*, Die Protokolle des Mainzer Domkapitels III, Paderborn 1932, 299.

[3] Videlicet die 2. Sept. 1551, Conc. Trid. VII, I 111, 8ss. [4] 1 Tim. 3, 15.

[5] Cf. Isai. 40, 8; 1 Petr. 1, 23. 25.

[6] Loco sententiae pluribus verbis antea conscriptae (quam vide infra sub litt. B) auctorem in ipsa patrum congregatione hanc breviorem formam protulisse e Massarelli Actis l. c. apparet, quam sententiae formam etiam exhibet cod. *B 563* Arch. ordin. archiep. Monachii. Ibid. Wolfg. Sedelius OSB. in marg. haec adn.: „Licet plures pro more sententias suas dixerint, quas iucundissimum esset legere, quia tamen iste unus a Germanis prae omnibus desideratus est, eius sententiam etiam inter acta concilii transscribere volui".

[7] Vide vota archiep. Maguntini et episc. Zagrabiensis, Conc. Trid. VII, I 144, 27; 145, 11s.

[8] Cf. *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 18: „Cogunt ergo dicta Christi verba [Io. 6, 63] ..., ut iam ista: *Hoc est corpus meum* nulla ratione vel possis vel debeas de corporea carne aut sensibili corpore intelligere" (Corp. Ref. XC 792, 8–11).

Digitized by Google

Sextum articulum ⌜tam in prima quam in secunda sui parte⌝[a] hereticum esse, damnandum, quum nec laicus ⌜in necessitate etiam⌝[b] se ipsum communicare possit nec debeat, quoniam eius haud sit officii, nec sacerdos, nisi quum celebrat, quanquam tunc sacrificare potius quam se communicare dicitur et creditur, quum repraesentet ipse Christum in altari sacrum faciens.

Septimum articulum nullo modo tenendum, sed ut scandalosum et haereticum procul reiciendum et damnandum.

Octavum articulum propter concilii Constantiensis et Basiliensis decretum[9] oportere damnari, summeque tamen esse considerandum et cogitandum, num ⌜iisce novissimis et tumultuosis ubique temporibus⌝[c] propter bonum pacis, quae nunc in Boemia praesertim et Hungaria et Germania et fortassis Italia quoque et cetera ob hunc articulum usque ad sanguinolentas factiones, partialitates et seditiones horrendas maxime perturbatur, magis conduceret hoc ipsum abrogari decretum quam diutius sustineri. Suppliciter me propterea petere, ut Rmi et Illmi Domini dignentur piam meam planeque coactam monitionem[d] super hoc articulo patienter audire deindeque desuper artissime deliberare, quum maximi sit ponderis hoc tempore. ⌜Quatenus autem articulus ille velit parvulos esse communicandos, hereticum censeo, quapropter damnandum iuxta rationes, quas una[d] cum clarissimis doctoribus adduco⌝[c].

Nonum articulum non simpliciter esse damnandum, sed discutiendum potius per meam declarationem et distinctionem, quam desuper facio, quam proinde patienter audiri humillime[d] rogo. |

262v Decimum articulum esse damnandum uti haereticum, perniciosum et scandalosum, si modo communicaturus confessoris copiam habere queat[e]; cuius autem si copiam habere non valet, ut ⌜ex animo conterens⌝[c] firmum propositum et votum[f] confessionis tempore quoque primo faciendae habeat.

[B. Sententia antea conscripta, in congregatione vero non dicta, sed die 28. Septembris praesidentibus concilii transmissa[10]]

320r Rmis Patribus, Illmis et amplissimis principibus ac DD., DD. sacrosanctae sedis apostolicae adeoque Smi D. N. papae Iulii III pontificis maximi in sacrosancta Tridentina synodo legato, presidentibus et adsidentibus dignissimis et gravissimis, DD. meis observandissimis, Fridericus Nausea, episcopus Viennensis indignus, salutem et omne bonum a Deo opt. max. cum humillima et devotissima sui commendatione precatur et optat.

Rmi Patres, amplissimi principes ac DD. colendissimi.

Quoniam Rdus idemque praestantissimus D. Tridentinae huius sacrosanctae oecumenicae synodi secretarius nudius quintus [die 24. Sept.] iusserit, ut meam super omnibus hactenus disputatis super arduo sacrosanctae eucharistiae sacramenti negotio articulis sententiam scripto offerrem, ideo hanc ego meam collegi desuper sententiam prius a collega meo in ipso synodo pro utriusque nostrum voto ex libello lectam, quam hic Rmis et amplissimis Dtionibus VV. humillime transmitto et offero supplex orans et obsecrans, ut quicquid huius e meae in eosdem articulos sententiae, in qua solum Deum (ipso Deo teste) et eius gloriam suaeque ecclesiae miserabiliter hoc novissimo tempore afflictae reparationem, conservationem et tam temporariam quam sempiternam pacem et tranquillitatem prae oculis habui nec absque quantumvis exiguo iudicio collegi, Rmae et amplissimae Dtiones VV. sibi patienter legi sinant atque patienter audire dignentur nec ullam sibi nauseam moveri patiantur ob aliqualem prolixitatem (quam posthac semper vitabo) declarationis octavi et noni articulorum, qui profecto tali prolixitate magnopere indigent.

Poterunt autem Rmae et amplmae Dtiones VV. ex eis tamquam ex paleis aliquot pauca grana et ex zizaneis optima frumenta colligere, si ipsae suis exactissimis iuditiis omnia ponderare dignabuntur, prout haud dubito, quin pro sua admiranda prudentia et doctrina dignabuntur Rmae et amplmae Dtiones VV., quarum adeoque sacrosanctae synodi aequissimae censurae me meaque scripta omnia humiliter subiicio. Quae proinde dignentur pro sua singulari

320v et incompara|bili benignitate et mansuetudine aequi bonique consulere.

[a] *N in marg. add.; M* Hic articulus tum in prima quum [b] *N supra lin. add., om. M*
[c] *N in marg. add.* [d] *om. M* [e] *N* nequeat *loco del.* possit [f] *N* voluntatem

[9] Conc. Constantiense, sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis.* Conc. Basiliense, sess. XXX, decr. *Ut lucidius;* vide supra p. 97, 6s. cum adn. 7 et 8.

[10] Hanc uberiorem sententiam auctor ob temporis angustias in ipsa patrum congregatione legere non potuit. Massarelli secretarii iussu eam postea praesidentibus concilii transmisit una cum epistola ad eos die 28. Sept. data (Schaffhusiae, Bibl. civit., cod. *gener. 40*, 320r–320v, copia coaeva), quam sententiae praemisimus.

Digitized by Google

Quas equidem in Deo opt. max. pro votis suis felicissime valere precor et opto.
Ex hospiciolo meo Tridenti 28. Septembris anno salutis 1551.

Earundem R^marum^ et ampl^marum^ D^tionum^ VV. [servitor].

I. *In eucharistia non esse re vera corpus et sanguinem* ...[11] 132r

Hunc articulum prorsus esse haereticum et impium ideoque plane damnandum et anathematizandum censeo, quum nec sanctarum scripturarum collatio nec naturae instigatio nec sibi bene constans ratio nec patrum interpretatio nec ulla similitudo nec exemplorum paritas nec denique catholicae ecclesiae authoritas contra Christi verbum: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*[12]. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis profundetur et multis etc.*[13] (cuius veritas *manet in aeternum*[14]) ullum eo in loco admittit typum, tropum, figuram, signum nec ullum rhetoricum vel grammaticum colorem, *quia lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta*[15], qui *nova fecit omnia*[16], quodque promisit, abunde reddidit et praestitit.

II. *Exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum* ...[17]

Hunc articulum omnino esse haereticum proptereaque damnandum, nec ipsum uti superfluum esse obmittendum iudico[18], tum quia non evidenter in primo articulo iste intelligatur, tum quia non desint[a] inter haereticos, qui dicunt Christum in sacramento dumtaxat spiritualiter, non autem sacramentaliter sumi[19], nec puto verba huius articuli mutanda, sed, ut iacent, anathematizanda, cum spiritualitas circa sacramentum versans non exhibentem, sed | accipientem concernat, prout evidenter colligi potest ex 6. cap. Ioannis[20], utramque communionem[b], tam videlicet sacramentalem quam spiritualem, cui refragatur hic titulus pertinaciter. 132v

III. *In eucharistia esse quidem corpus et sanguinem* ...[21]

Hunc articulum pariter haereticum esse et impium, igitur damnandum assero, quandoquidem perperam neget transsubstantiationem panis et vini cum Berengario, Wicleffio et aliis id genus haereticis contra nimirum definitionem oecumenici concilii Lateranensis sub Innocentio III celebrati[22], quo vix a nascente ecclesia fuit generalius et universalius ullum, utpote quod in ipso tres patriarchae, Romanus scilicet, Constantinopolitanus et Antiochenus, et MCCCC episcopi tam orientalis quam occidentalis ecclesiae[23]. Cui profecto concilio plerique sancti patres omnes adstipulantur panem et vinum transsubstantiari non obscure testantes dubio procul ex ordine verborum Christi dicentis, quum accepit panem, *Hoc est corpus meum etc.*[12]

IV. *Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum*[24].

Hunc articulum esse declarandum existimo, prout sub octavo articulo fa|cio, quamvis is mihi articulus propter futuram cavillationem rectius obmitti posse videatur. Et hic admonendum puto me videlicet et Lutheranos et alios istius similes adversarios hoc scripsisse non recordari[25]. Qui vero si sic scripsissent et sensissent, dubio procul errassent, peccassent veritatique (quod haereticis est peculiare) pepercissent, siquidem multas ob causas hoc sanctissimum eucharistiae sacramentum sit institutum. — Prima earum est, ut per ipsum habeamus remissionem peccatorum, non quidem simpliciter et proprie, sed cooperante prima remissionis causa, quae fit merito dominicae passionis Iesu Christi per effusionem eiusdem sanguinis innocentissimi. — Secunda causa est institutionis huius sacramenti, ut suggeratur nobis memoria Domini nostri Iesu Christi et eius ineffabilis erga nos dilectionis, quia se nobis prae nimio amore in novissima illa sua coena non solum in edulium et cibum sed et pro nobis in ara crucis in mortem longe ignominiosissimam et acerbissimam dederit, dicente ipsomet Domino apud Lucam [22, 19]: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem*, quam quidem causam repetit Paulus scribens ad Corinthios: Christus suum corpus tradens discipulis ait: *Sumite*[26]. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemo-* 133r

[a] *Clm* desinit [b] *Clm* communicationem

[11] Cf. Conc. Trid. VII, I 111, 10s.
[12] 1 Cor. 11, 24.
[13] Matth. 26, 28; Luc. 22, 20.
[14] Isai. 40, 8; 1 Petr. 1, 25.
[15] Io. 1, 17.
[16] Apoc. 21, 5.
[17] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 1s.
[18] Vide supra adn. 7.
[19] Vide supra adn. 8. [20] Cf. Io. 6, 54ss.
[21] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.
[22] Conc. Lateranense IV, c. 1 de fide cath. (*Mansi* XXII 981/82. *Hefele-Leclercq* V, II 1325).
[23] Potius 412 episcopi et 800 abbates et priores monasteriorum, *Hefele-Leclercq* l. c. 1318.
[24] Conc. Trid. VII, I 112, 20.
[25] Vide ibid. adn. 5 et votum A. Pelargi, ibid. 132, 15. Cf. supra p. 137, 38; 138, 3s.; 144, 12; 151, 6s.
[26] Marc. 14, 22.

Digitized by Google

rationem[27]. Et subiungit Paulus hortando dicens: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*[28]. — Tertia causa, ut per hoc sacramentum nos uti vera sponsa prorsus uniamur et incorporemur Christo, sponso nostro, et nos mutuo in uno corpore sub Christo capite coniungamur ipso Christo testante, cum ait: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*[29]. Cui merito Paulus subscribit inquiens: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus sanguis et unum corpus multi sumus, omnes, qui*[a] 133v *de uno pane* et uno calice *participa|mus*[30]. Hinc hoc sacramentum vocari solet *sacramentum pietatis, signum unitatis* et *vinculum charitatis*[31], quae universa membra Christi corporis unit capiti et sibi ipsis. — Quarta causa, ut per hoc ipsum sacramentum eucharistiae vitam habeamus aeternam Domino testante, quando dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*[32]. Et: *Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[33]. — Transeo brevitatis gratia alias omnino causas, quas et antiqui et recentiores haud improbatae fidei doctores adsciscunt.

Nec est, quod Lutherus[34] una cum suis complicibus neget Christum apud Ioannem loqui de venerabili sacramento eucharistiae, quandoquidem multae sint causae, quae nos cogunt, ut illum eo in capite loqui de venerabili sacramento eucharistiae credamus. Prima est, tametsi Christus hoc ipsum sacramentum tunc sacramentaliter, utpote sub specie panis et vini, non tradiderit, promisit tamen se postea certo taliter daturum, nempe in novissima sua cena, dicens: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*[35]. Quam sane promissionem servavit, quando in novissima cena suis dedit discipulis sacramentaliter corpus suum sub specie panis et sanguinem sub specie vini, dicens ad eos: *Accipite et manducate. Hoc est corpus meum etc.*[36] — Secunda causa: Nisi Christus locutus esset etiam in eodem capite de suo sacramentali corpore, non haberemus, unde probaremus, quod laici deberent de hoc venerabili sacramento eucharistiae communicare, cum sint qui contendant verba Christi dicentis in novissima coena: *Accipite et manducate. Hoc est corpus meum* et: *Hic est sanguis meus*[37] ad solos apostolos et sacerdotes, eorum successores, non autem ad laicos referenda esse. Quod si sic esset et caput Ioannis 6 non diceret de sacramentali manducatione, profecto non haberemus certum in tota scriptura locum quenquam alium (quod equidem sciam), quo probare possemus ipsos laicos vel sub una vel sub utraque specie communicare oportere et debere, id quod 134r non absurdum modo | foret sed et impium, quando Christus aeque dilexit ac diligat laicos atque sacerdotes, quum tam pro illis quam pro his natus, passus et mortuus sit, quos et aeque vult salvatum iri. — Tertia causa, quod Dominus ipse satis evidenter testetur se loqui tam de sacramentali manducatione et bibitione quam de spirituali manducatione et bibitione, quando non dumtaxat de carne sua vera, sed de pane quoque, sub cuius specie daturus sit carnem suam, scilicet in novissima coena, mentionem faciat inquiens: *Ego sum panis vitae*[38] *et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*[35]. *Panis enim* verus *est, qui de coelo descendit et dat vitam mundo*[39]. — Quarta est causa, quoniam Theophilactus[40], Cirillus[41], Chrisostomus[42], Augustinus[43], Thomas Aquinas[44] et plerique id genus omnes in ecclesia receptiores, tam veteriores quam recentiores doctores theologi concorditer adseverent Christum in eo capite tam de sacramentali quam spirituali manducatione et bibitione loqui, ut est legere apud illos. — Quinta, quoniam universalis ecclesia sic teneat et credat, quae in historia de sacramento eucharistiae sacratissimo, quam divus Thomas ad iussionem Urbani IV pont. max. pientissime doctissimeque conscripsisse fertur[45], quicquid eius est, quod Christus in

[a] *Clm Vat.* quidem

[27] 1 Cor. 11, 24.
[28] 1 Cor. 11, 26.
[29] Io. 6, 57.
[30] 1 Cor. 10, 16–17.
[31] *Augustinus*, In Ioannis evang. tract. XXVI, c. 13 (CChr. XXXVI 266, 26s.).
[32] Io. 6, 55.
[33] Io. 6, 54.
[34] De captivitate Babylonica: „C. VI Iohannis in totum est seponendum, ut quod nec syllaba quidem de sacramento loquitur, non modo quod sacramentum nondum esset institutum, sed multo magis, quod ipsa sermonis et sententiarum consequentia de fide ... incarnati verbi Christum loqui clare ostendunt" (WA VI 502, 7–10).
[35] Io. 6, 52.
[36] Matth. 26, 26; Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.
[37] Matth. 26, 28; Marc. 14, 24.
[38] Io. 6, 48.
[39] Io. 6, 33.
[40] Enarratio in Io. 6, 48–52 (*Migne*, PG CXXIII 1307/08 C).
[41] *Cyrillus Alexandr.*, In Ioannis evang. IV, c. 2, in Io. 6, 51s. 56 (*Migne*, PG LXXIII 563/64 B–C; 581/82 C–D).
[42] In Ioannem 6, 41ss. hom. 46, c. 2 (*Migne*, PG LIX 259).
[43] In Ioannis evang. tract. XXVI, c. 15 (l. c. 267, 34ss.).
[44] Catena aurea in evang. Io. c. 6, 51ss. Summa th. III, qu. 75, art. 1.
[45] Officium de festo corporis Christi ad mandatum

Digitized by Google

capite Ioann. 6 de carne sua deque sanguine suo loquitur, in omnibus suis officiis ad tam sensum spiritualem quam sacramentalem referat. Quis igitur ecclesiae catholicae iudicio refragabitur iure, cum sit ipsa *columna veritatis et firmamentum*[46]? — Postrema est causa, quod, si caput ipsum Ioannis 6 ad spiritualem dumtaxat manducationem et bibitionem referemus, certe staremus cum Luthero, qui solum (sicubi sibi placet) ad spiritualem, non autem ad corporalem et eam quidem sacramentalem manducationem et bibitionem caput Ioannis 6 referendum dicit[34], quod et Zuingliani faciunt[47], ut impias suas haereses in summam christianae religionis et fidei perniciem simplicioribus facilius praetexere, obtrudere, *sub melle venenum* propinare[48] suamque blasphemiam planeque impiam denegando vero Christi corpore sub sacramento esse | diabolica 134v fraude fidem adstruere valeant. Concludendum igitur profuerit servatorem nostrum Christum in capite Ioannis 6 tam de sacramentali quam spirituali manducatione et bibitione loqui, nec obstare, quod ipse sacramentales species nominatim non exprimat, utpote dicendo: Caro, quam vobis dabo sub specie panis, *est* vera *caro mea pro mundi vita*, cum nec illud in huius sacramenti[a] institutione fecerit in novissima sua coena. — Haec hactenus circa quartum articulum admonere visa sunt mihi.

V. *Christum in eucharistia non esse adorandum* ...[49].

Hunc articulum prorsus esse perniciosum, scandalosum et haereticum, proinde damnandum iudico. Siquidem Christus, uti christiana credit omnino pietas, in hoc sacramento, *manna* scilicet illud *absconditum*[50], lateat, Deus utpote et homo, merito certe adorandus est iuxta scripturam dicentem: *Dominum Deum tuum* solum *adorabis*[51]. Nec hoc sit sacramentum eucharistiae minus, sed longe maius quam figura ipsius, quae fuit manna[52], et hoc ipsum summa fuit reverentia in processionibus circumlatum festisque cum iubilo veneratum[53], certe multo magis[b] ipsa veritas, quae hoc sanctissimum est sacramentum, processionibus circumgestandum est et modis omnibus venerandum et ad infirmos deferendum merito, quando sunt illi, quibus est opus medico[54], qui sanet eos a morteque praeservet, qualis utique medicus est Christus in hoc sanctissimo eucharistiae sacramento latens, qui quum salus sit et *vita*[55], dubio procul infirmos non solum corporaliter et spiritualiter sanare sed et ad aeternam vitam vivificare potest. Quod enim inquit scriptura: *Neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem etc.*[56] Mentitur igitur hac quidem parte sicut et alias *iniquitas sibi*[57], cum dicit eos *esse veros ydolatras*, qui *Christum in eucharistia adorant et festis venerantur et in processionibus circumgestant et ad infirmos deferunt*[58], cum nil aliud faciant ipsi, quam quod Christo Deo et salvatori suo tribuunt, quod eius est. |

VI. *Non esse reservandam eucharistiam in sacrario* ...[59]. 135r

Hunc articulum tam in prima quam in secunda sui parte haereticum esse et ob id damnandum, tertiam vero partem, quatenus ipsa laicos tangit, non esse damnandam arbitror, cum utique laicus nec in necessitate etiam seipsum communicare possit nec debeat, quoniam eius non sit officii. Quatenus vero sacerdotes tangit, eam autumo reiciendam esse, quoniam sacerdos seipsum communicare creditur, si missam celebrat, quamquam ego ipsum potius sacrificare quam seipsum communicare dicerem, cum ipse sacrum faciens in altari Christum repraesentet[59a].

VII. *In hostiis seu particulis consecratis post communionem* ...[60].

Hunc articulum nullo quidem modo tenendum, sed ut scandalosum et haereticum procul reiciendum et damnandum reputo. Quum enim hostiae semel virtute verbi consecratae sint et in eis panis et vinum transmutati sint in verum Iesu Christi corpus et sanguinem in cibum et

[a] *Clm* sacramentali [b] *Clm* maius

Urbani IV (*Thomae Aqu.* Opera tom. XV, Parmae 1864, 233–238 = opusc. LVII edit. Rom.); cf. Missale Rom.; in missa huius festi legitur evang. Io. 6, 56–59. Breviarium Rom., officium festi; lectiones 7–9 sumptae sunt ex Augustini tract. XXVI in Io. evang. c. 17–19 in Io. 6, 56–58.

[46] 1 Tim. 3, 15.

[47] *H. Zwingli* l. c. art. 18, c. 2: „Est ergo haec secunda nota, quod Christus hoc capite per *panem* et *edere* nihil aliud quam *evangelium* et *credere* intelligit" (l. c. 779, 22–24).

[48] Cf. *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 218, n. 1085.

[49] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 22ss.

[50] Apoc. 2, 17.

[51] Matth. 4, 10.

[52] Cf. Io. 6, 31. 49. 59.

[53] Cf. Exod. 16, 33; Hebr. 9, 4.

[54] Cf. Matth. 9, 12; Luc. 5, 31.

[55] Io. 14, 6.

[56] Sap. 16, 12s. [57] Ps. 26, 12.

[58] Art. 5, Conc. Trid. l. c.; cf. supra adn. 49.

[59] Conc. Trid. ibid. 113, 3ss.

[59a] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 82, art. 2, ad 2.

[60] Conc. Trid. ibid. 113, 7s.

Digitized by Google

potum, non posset profecto non manere, usque dum suo satis fecerint officio, id est, donec cibaverint et potaverint sumpturos, in quem quidem usum sunt a Domino sub speciebus panis et vini[a] instituta. Quamdiu proin manent exteriores istius sacramenti species, tamdiu manent sub eis corpus et sanguis, prout figura de manna mirabiliter arguit[60a].

VIII. *De iure divino esse sub utraque specie etiam populum* ...[61].

Hunc articulum propter concilii Constantiensis et Basiliensis decretum[62] esse damnandum 135v puto. Sed circa ipsum tamen magnopere esse consi|derandum et cogitandum suadeo, num hisce novissimis et plane tumultuosis ubique temporibus propter bonum pacis piaeque tranquillitatis (quae nunc in Boemia praesertim et Hungaria et Germania et fortassis in Italia quoque etc. ob hunc articulum usque ad sanguinolentas partialitates, factiones et seditiones horrendas maxime perturbatur) magis conduceret hoc ipsum abrogari decretum quam diutius sustineri. Ad huius autem rei maiorem declarationem, intelligentiam et deliberationem necessario desuper habendam compellor paulo longior hac in parte esse. Atque propterea suppliciter oro et obsecro, quatenus R^mae^ et amplissimae D^tiones^ VV. piam meam planeque coactam super hoc articulo declarationem et monitionem ex scripto patienter audire deindeque desuper cum iudicio deliberare non dedignentur.

Quoniam magni sit hoc tempore ponderis, dico igitur videri multis communionem utriusque speciei iuris esse divini praeceptumque a Christo, Dei maximi filio, praeceptivis et imperativis verbis in illius sacramenti institutione: *Accipite* scilicet *et manducate. Hoc est corpus meum etc.*[63] utente, omnibus tam laicis quam sacerdotibus eius sumendae percipiendaeque capacibus, valentibus et potentibus. Hocque probari plus quam evidenter primo, quod omnes causae huius sacramenti institutionis non minus in laicis quam sacerdotibus locum habeant et aeque pro utrisque militent. Neque enim negari potest, quin Christus pretiosum suum sanguinem, cuius fit memoria in hoc sacramento, pro omnibus aeque profuderit et corpus suum pro omnibus aeque in ara crucis tradiderit ipseque Christus aeque sibi omnes per hoc sacramentum eucharistiae unitum et omnes denique aeque salvatum iri vitamque aeque omnes aeternam habituros esse voluerit, propterea que circa hoc sacramentum suae dilectionis ineffabilis, quam erga omnes exhibuit, et in hoc sacramento suae passionis, quam in ara crucis pro omnibus sustinuit, aeque memores et gratos esse debere omnes et cum ipso uniri secumque vitam aeternam habere omnes voluerit. |

136r Secundo, quod ipse Dominus aperte praeceperit, ut hoc sacramentum eucharistiae sui veri corporis et sanguinis tam sub specie vini quam panis omnes sumerent, dicens ad discipulos de pane consecrato, quem in manibus habuit: *Accipite et comedite. Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et multis effundetur in remissionem peccatorum*[64]. Ecce utitur verbis praeceptivis: *Accipite et manducate* et: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim etc., qui pro vobis*, scilicet non tantum duodecim apostolis, sed *et pro multis*. En ait *pro multis;* en neminem secludit *omnes* inquiens. Nec potuit haec, quae sunt salutis aeternae, non ad omnes, apostolorum quoque successores, discipulos scilicet alios[b] et Christianos reliquos dixisse, qui non diu ante dixit apostolis: *Quod vobis dico, omnibus dico*[65].

Nec obstat, quod ab aliquibus dici solet[66] Christum haec verba dumtaxat ad duodecim discipulos quasi primos sacerdotes dixisse, cum quibus solam coenam manducavit. Respondeo verum quidem videri, sed non omnibus, quum non defuerint, qui rationibus haud aspernandis tradunt novissimae coenae interfuisse sacratissimam Deiparam virginem Mariam[66a] et alios, ipsum Dominum praefata verba ad duodecim discipulos, cum quibus coenatus est, dixisse, sed ad universam ecclesiam, quam tunc apostoli ceterique discipuli repraesentabant, ita distinctim intellexisse, ut ipse quod fecisset (utpote quod sua benedictione et consecratione ex pane naturali suum corpus naturale et ex naturali vino naturalem suum sanguinem[c] confecisset et eis ad sumendum dedisset), ita et ipsi deinceps loco suo tanquam post eum primi sui sacerdotes benedicerent et conficerent et aliis deinde discipulis universis ad sumendum traderent suo exemplo, quod eis ob id dedisset, ut, sicut ipse fecisset, ita et ipsi facerent.

[a] *Scb.* vinum [b] *om. Vat.; Clm* sed alios [c] *Scb.* corpus

[60a] Cf. Exod. 16, 20s.
[61] Conc. Trid. ibid. 113, 11s.
[62] Vide supra p. 156, 7s. cum adn. 9.
[63] Matth. 26, 26; 1 Cor. 11, 24.
[64] Matth. 26, 26–28; Marc. 14, 22–24; loco *pro multis* in evangelio Lucae 22, 20 legitur: *pro vobis.* Cf. Missale Rom., ubi in canone missae legitur: *pro vobis et pro multis.*
[65] Marc. 13, 37.
[66] Vide vota Alfonsi Salmeronis, Francisci de Toro et Petri Frago, Conc. Trid. VII, I 121, 4; 130, 19; 135, 29.
[66a] Cf. ibid. p. 158, 22, et 543 (add. ad 158).

Digitized by Google

Nec est dubium, quin idipsum communionis utriusque speciei exemplum Christi et praeceptum ipsius deinde apostoli et eorum in nascente ecclesia plerique omnes successores sequuti sint, ut ex Paulo ad Corinthios scribente[67] haud obscure animadver|timus, id quod etiam[a] 136v innuitur, quando quinque millia hominum quinque panibus cibare voluerit. Matthaeus enim ait, quod tum Christus acceperit panes, *benedixit et fregit et dedit discipulis suis panes, discipuli autem* dederunt *turbis*[68]. Ecce dicit ipsos turbis dedisse, quamvis eis non iusserit. Ad hunc sane modum verisimile est, quod post Christum duodecim apostoli dederint ceteris omnibus discipulis sacramentum eucharistiae sub utraque specie, sicut ipsis dederat Christus.

Tertio, quod et idem Dominus Iesus Christus, unigenitus Dei filius, in 6. Ioannis capite evidenter eam ipsam utriusque speciei communionem omnibus praecepit sub hisce verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis*[69], maxime quia praemittit iuramentum suum dicens duplicando: *Amen, amen, dico vobis*[69]. Quo in loco certe non tantum duodecim apostolis sed toti etiam turbae, quam quinque paulo ante panibus hordeaceis et duobus piscibus cibaverat et saturaverat[70], immo et Capharnaitis, ad quos venerat, loquutus est inquiens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis etc.* Videmus igitur a communione utriusque speciei laicos a Domino non modo non seclusos esse, sed ipsum etiam Dominum cum comminatione mortis aeternae cunctis eandem utriusque speciei communionem tam laicis videlicet quam sacerdotibus praecepisse. Nec est, quod quidam[71] dixit Christum dumtaxat dixisse discipulis: *Amen, amen etc.* et postea laicis dixisse: *Hic est panis de coelo etc.*[72] Ideo dicit, quando loquitur Christus de pane et sanguine suo, tunc loquitur apostolis, quando solum de pane loquitur, tunc loquatur ad solos laicos. Quid autem magis esse posset risione dignum? Hoc est multa cum dedecore asseri et nihil plane probare.

Quarto. Communionem utriusque speciei tam laicis quam sacerdotibus institutam esse et praeceptam a Christo patet ex divo Paulo satis abunde. Ipse enim de communione huius venerabilis sacramenti eucharistiae ad Corinthios scribens et Christi praeceptum sequens non utique sacerdotibus tantum sed multo magis etiam laicis, quorum dubio procul longe plures Corinthii| quam sacerdotes fuerunt, scribit. Quid scribit? Nimirum, quod *a Domino acceperit, quod* eis 137r *tradiderit*[73]. Sed quid a Domino recepit? Certe doctrinam communionis utriusque speciei. Quid tradidit eis generatim? Profecto tradidit eis sacramentum eucharistiae sub utraque specie, prout universa eius illic verba[67] simul cum re ipsa clarius, quam explicari possit aut debeat, contestantur.

Quinto. Quod communio eucharistiae sub utraque specie tam ad laicos quam ad sacerdotes pertineat, praefiguravit sine controversia figura de pane et vino, quae *Melchisedech, summi Dei sacerdos*, obtulit[74]. Quam quidem oblationem divus Thomas[75] una cum ceteris doctoribus ecclesia subscribente ad eucharistiae sacramentum utriusque speciei pertinere censet. Et ipse quoque David propheta, cui subscribit Paulus, dudum praecinuit inquiens ad Christum: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[76]. Praefiguravit pariformiter communionem utriusque speciei figura, quam adducit Paulus de *esca spirituali* utpote manna, quam patres in deserto quondam *manducarunt*[77], et de *potu spirituali* utpote aqua e *petra*, quae Christum significabat[78], mirabiliter fluente, quam patres iidem in deserto biberunt[79]. Videmus ergo, quam concinne res ipsa, nempe communio sacramenti utriusque speciei, nunc in novo testamento respondeat figurae, quae aperte ostendit omnes in deserto Iudeos nullo dempto et manducasse de pane spirituali et de potu spirituali bibisse. Cur ergo nolumus, ut vel nostro tempore re ipsa figurae satisfiat?

Sexto probat aperta praesumptio et quidem legitima communionem utriusque speciei tam ad laicos quam ad sacerdotes pertinere, quod non modo Graeci quondam sed et (ut opinor) sine discrimine sub utraque specie Latini ipsi communicarunt, ut accipimus ex Tripartita historia, quae refert divum Ambrosius Theodosio excommunicato dixisse: „Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies?"[80] Quae quidem verba satis aperte testantur laicos etiam multo post nascentem ecclesiam sub utraque specie communicasse. Adde, quod tempore Cypriani *dia|conus* puellae *sacramentum calicis infudit*, Cyprianus libro De lapsis[81]. Scribit etiam 137v

[a] *om. Clm*

[67] 1 Cor. 11, 27ss.
[68] Matth. 14, 19.
[69] Io. 6, 54.
[70] Matth. 14, 20s.
[71] Quis haec dixerit, ex Actis non apparet.
[72] Io. 6, 59. [73] 1 Cor. 11, 23.
[74] Gen. 14, 18; Hebr. 7, 1.
[75] Summa th. III, qu. 73, art. 6.
[76] Ps. 109, 4; Hebr. 5, 6; 7, 17.
[77] 1 Cor. 10, 3; cf. Exod. 16, 15ss.
[78] 1 Cor. 10, 4.
[79] Exod. 17, 6; Num. 20, 10s.
[80] *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripartita IX, c. 30, 8 (CSEL LXXI 542, 40). Cf. Conc. Trid. VI, III 32, 17ss.
[81] De lapsis c. 25 (CChr. III 235, 492s.).

Digitized by Google

Volaterranus septentrionales, qui semper communicarunt sub utraque, ab Innocentio III papa, quod ipsis concederet[a], ut sub una quoque specie communicare possent[82]. Sileo multa id genus alia exempla, quibus maxima fit praesumptio laicos non solum in nascente ecclesia sub utraque specie [communicasse] sed et multo post nascentem ecclesiam. Sed quid multis opus est adtestationibus hoc semper in more fuisse quondam iuxta Christi nostri servatoris institutionem laicos aeque sub specie tam panis quam vini sumpsisse corporis et sanguinis Domini sacramentum atque sacerdotes ipsos, quum testentur haec duo vel maxima concilia, Constantiense videlicet[b] et Basiliense, quae utraque in haec verba dicunt: „Et sicut haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri"[83].

Nec interim obstat dicere, quod Christus in novissima sua coena corpus et sanguinem suum suis dumtaxat duodecim apostolis sub specie panis et vini, non autem ceteris dederit, quandoquidem antea dixerim[83a], quomodo sit ipsum intelligendum quomodoque sequeretur ex eo absurditas quaedam, si Christus ita dumtaxat sacerdotibus sacramentum sui corporis et sanguinis sub specie panis et vini dandum esse voluisset, quod antea cunctis hominibus credentibus promisisset, sicut Io. 6 promisit, qui, quum sit ipsa veritas[84], dubio procul servavit. Ubi servavit? In novissima coena sua[c]. Nec etiam obstat, quod Christus semel (ut quidam[85] opinari solent) duos discipulos ad Emautem proficiscentes sub una solum specie communicaverit, quia legatur apud Lucam[86] Christum dumtaxat *fregisse panem* et nullam fieri mentionem
138r de vino, deindeque legatur in Actis | quoque apostolicis apud eundem Lucam, quod discipuli sub una tantum specie hoc eucharistiae sacramentum tradiderint, cum de pane solum, non autem de vino fiat inibi mentio[87], quandoquidem r e s p o n d e o, quod Christus duobus discipulis Emautem euntibus panem *fregerit illisque porrexerit* ac ipsum isti ex ea fractione *cognoverint*[88], non sufficienter probare, quod eis sacramentum sui tunc corporis sub specie panis ipse dederit. Quandoquidem non defuerint hactenus, qui dixerunt eam fractionem panis intelligi de fractione, qua Christus semper usus fuerit quaque panem longe planius et perfectius fregit, quam quisque alius scindere potuerit cultello, quo Christus nunquam usus fuisse creditur, utpote qui more suo peculiari panem fregit, unde discipuli illum ex solita eius fractione cognoverant[d]. Nec obstat cap. in Actis 20 [7. 11], ubi prima sabbati fregerunt panes Paulo non multo post discessuro, quum ea fractio, quid aliud velit, quam quia dominica die discipuli simul communicaverint quasi pro valedictione Pauli, quia statim Paulus discessurus erat ab eis, id quod in more solum fuit apud eos, qui in veteri fuere testamento, sed et in novo testamento huc usque in more est. Quod autem fractio panis inter apostolos tantum manducare notet, aperte accipimus ex 27. cap. Act. circa finem[89]. Nam quomodo potuerunt illi duo discipuli Dominum cognoscere ex fractione sacramentali, quum in ultima coena non fuerint nec viderint Dominum fregisse panem sacramentaliter unquam, quia Christus semel tantum suos discipulos communicasse scribitur. Addo etiam, quod Christus non dixit eis: *Comedite* nec adfirmavit id, quod fregit, corpus esse suum, id quod certe necessarium fuerat, cum sine eorum verborum prolatione verum Christi corpus fieri nequeat. Nec est, quod Lucas ait, quia Dominus illic *panem acceperit et benedixerit*[86], quia respondeo *benedicere* eo in loco non esse *consecrare et conficere*, sed

[a] *Vat.* concederetur [b] *Clm* verum [c] *om. Clm*
[d] *Clm in marg. legitur haec adn.:* Sed audi, Nausea optime: Quemadmodum baptizandi ritus etiam in veteri testamento ad instar lotionis cuiusdam seu purificationis extitit, ita et fractionis quoque panis usus celebris, non tamen vulgaris inter convivas fuit, quorum utrunque ex institutione Christi gratiam specialem consequutum fuit, unde et Christi a resurrectione sua fractio panis et apostolorum circa eandem fractionem consuetudo non ad vulgarem vescendi modum referri debet.

[82] *Raphael [Maffeus] Volaterranus*, Commentariorum urbanorum l. VII: „Norvegiae Innocentii VIII pont. concessione permissum sine vino calicem sacrificare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat, cuius rei gratia legatio missa" ([Parisiis] 1603, 248 G). Non ergo Innocentius III, sed Innocentius VIII illam concessionem dedisse dicitur. Cf. vero quae de hac re *I. Birkner* adnotavit Conc. Trid. VII, I 120 adn. 13.

[83] Conc. Constantiense, sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis* (*Mansi* XXVII 727 E). Conc. Basileense, sess. XXX, decr. *Ut lucidius:* „Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub una specie ab ecclesia et sanctis patribus rationabiliter introducta et hactenus diutissime observata ... pro lege habenda est nec alicui licitum est eam reprobare aut sine autoritate ecclesiae ipsam immutare" (*Mansi* XXIX 158 E). [83a] Cf. supra p. 160, 40ss.

[84] Io. 14, 6.

[85] Cf. vota Alf. Salmeronis et Petri Frago, Conc. Trid. VII, I 121, 7; 135, 29s. et supra p. 106, 16ss.

[86] Luc. 24, 30.

[87] Act. 2, 42. 46; 20, 7. 11.

[88] Luc. 24, 31. [89] Act. 27, 35s.

Digitized by Google

gratias agere, quas ipse Dominus nobis in exemplum manducaturus aut aliquid magni momenti facturus suo patri semper egit[90]. Hinc est apud evangelistas, quod, quum ipse quinque | millia 138v hominum *quinque panibus hordeaceis duobusque piscibus* cibare vellet[91], *aspiciens in coelum accepit panes, fregit et dedit discipulis, discipuli autem* dederunt *turbis*[92]. Quod autem evangelistae illic *benedicere* dicunt, alibi *hymnum dicere* nominant, id quod in Actis apostolorum discipulos observasse manifeste innuitur[93] simulque ostenditur *frangere panem* non intelligi de fractione panis sacramentalis, sed panis communis, sicut ferme ea fractione ubique utitur scriptura[89]. Sed quid moror ostendendo Christum apud Lucam in Emaute duos discipulos nec sacramento corporis nec sanguinis sui communicasse, sed more suo panem sine cultello fregisse, cum verisimile non sit Christum corpus suum divinissimum sub specie panis in publico diversorio dedisse discipulis adhuc fatuis et incredulis et per omnia indispositis, non aegrotis corporaliter. Nec Christus unquam praedixit eis, quod eos post suam resurrectionem esset iterum cibaturus corpore et sanguine suo. Nec ullus evangelistarum scribat hoc ipsum unquam post eius resurrectionem fecisse. Bene praesignificavit eis, quod cum eis *in regno* suo novo bibiturus esset vinum et manducaturus[94], id quod illum aliquoties in quadraginta diebus fecisse testantur evangelistae[95], cum illi sine fide hoc sacramentum ad damnationem recepissent. Ad hunc etiam propterea modum non obstat, quod et in alio loco scriptum est, quia fregerint *circa domos panem* discipuli[93], siquidem de vulgari quoque fractione panis intelligi plerisque soleat, ut est apud Esaiam: *Frange esurienti panem tuum*[96], quod et discipuli fecerunt misericorditer *in communi omnia habentes* et simul *panem frangentes*[97], id est manducantes, non autem de fractione panis sacramentalis, quem Paulus in templo[98], panes vero communes et cibos in domibus privatis manducari voluit dicens: *Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?*[99]

Ideoque non obstat dicere, quod plerisque in locis, ubi etiam de sacramento eucharistiae agitur, de specie solum panis[100], non autem vini mentio fiat, quandoquidem | respondeatur in rebus 139r evidenter claris non opus esse, ut utraque species semper repetatur, cum utraque species prius expressa fuerit, et quidem maxime, quod manducare panem vel in prandio vel in coena potum excludere non videatur nec sermonis consuetudo habeat, ut appellatione panis manducandi excludatur vinum aut alius potus. Alioqui, si locum haberet hic ordo, sequeretur fidem tantum ad salutem esse necessariam, non autem baptismum. Christus enim ad discipulos ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui autem*[a] *non crediderit, condemnabitur*[101]. Ecce non repetit baptismi verbum, id quod non refert, quia prius dixit: *et baptizatus fuerit.* Ita licet Christus Ioann. 6 non semper repetiit verbum sanguinis, ob id non sequitur, quod voluerit speciem vini non esse necessariam in sacramento laicis, quum antea iterum atque iterum retulerit[102].

Sed quorsum isthaec paulo fortasse prolixiora? Utique non eo, quod ego vel damnem vel (quod a me longe absit), ut impiam censeam definitionem hactenus servatam[b], qua concilium Constantiense definivit[103] a tempore promulgatae suae definitionis subinde laicos sub una dumtaxat specie, panis videlicet, communicare debere, sed eo nimirum, ut sacrosanctam hanc Tridentinam synodum in spiritu sancto congregatam supplex admonendam non ulla contentione, sed pio nimirum zelo duxerim, ut ipsa secum serio diligenterque de re tam ardua tam animae quam corporis salutem et perditionem concernente cogitare et magna piaque deliberatione expendere dignetur, num fortasse magis conducat hac dubia nimirum tempestate ad firmiorem ecclesiae pacem et tranquillitatem laicis, et quidem nobilibus et ignobilibus utriusque sexus hominibus (scio, quid expertus dico) usque adeo per universam Germaniam et Bohemiam (atque utinam id non esse per ceteras nationes credi possit) propter hunc unicum articulum utriusque speciei communionis, supra quam vel dici vel scribi potest, tumultuantibus ob eundemque quasi solum a sancta Romana ecclesia | adeoque a sacrosancta sede apostolica 139v semper ac in dies magis ac magis deficientibus et forte magis posthac non per Germaniam utramque dumtaxat sed per universam quoque Italiam Romam usque tumultuaturis et defecturis, nisi sui sint voti paulo maturius compotes, et alteram, vini scilicet, et ita communionis utranque speciem rursus concedere quam negare. Id quod utrumque hanc sanctam oecumenicam synodum Tridentinam salvis singulorum conscientiis dispensatione quadam a Deo tradita facere posse debereque putaverim.

a *Clm* vero　b *Clm* observatam

90 Cf. Matth. 15, 36; Marc. 3, 6; Io. 6, 11. 23.
91 Io. 6, 9ss.
92 Matth. 14, 19; Io. 6, 11.
93 Act. 2, 46.
94 Matth. 26, 29; Marc. 14, 25.
95 Luc. 24, 41. 43.
96 Isai. 58, 7.
97 Act. 2, 44. 46.
98 1 Cor. 11, 18. 26ss.
99 1 Cor. 11, 22.
100 Io. 6, 48ss. 59.
101 Marc. 16, 16.
102 Io. 6, 54–57.
103 Cf. supra adn. 83.

Digitized by Google

Quod autem ipsa synodus haec Tridentina laicis alteram communionis eucharistiae speciem, scilicet vini, et sic utranque denuo speciem concedere possit, rationes in promptu sunt omnino praegnantes. Prima, quod ipsa ecclesia, quam dubio procul synodus oecumenica repraesentat, non minoris, sed longe maioris est authoritatis et facultatis, quam synagoga quondam fuit. Sed olim synagoga per Mosen dispensavit contra etiam divinum praeceptum, quando Iudaeis *repudii libellum* concessit[104], quod tamen erat contra primam Dei institutionem, qua cautum fuerat a Deo, ut vir *adhaereret uxori suae*[105] et quod *homo non separaret, quos Deus coniunxisset*[106]. Ergo. — Secunda. Dominus Iesus praecepit apostolis, qui tunc cum ceteris discipulis ipsa erant ecclesia, ut baptizarent in nomine trinitatis, ad eos dicens: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti*[107]. Apostoli vero post eius ascensionem dispensantes aliquanto tempore contra Christi, Dei et hominis, praeceptum baptizarunt dumtaxat *in nomine Domini Iesu*, sicuti patet in Actibus apostolorum[108]. Igitur. Item Deus praecepit sabbatum sanctificari feriarique[109], contra tamen hoc praeceptum ecclesia sabbatum, quod est dies septimus hebdomadae, abrogavit et pro eo feriandum voluit diem octavum, quam nos diem dominicam vocamus. Item Christus voluit, ut sine discrimine plerisque cibis omnibus vesce-
140r remur, dicens: *In eadem autem domo* | *manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt, et manducate, quae apponuntur vobis*[110], ipsa tamen ecclesia hoc Christi mandatum mutavit in concilio apostolico, ut credentes *abstinerent ab immolatis simulachrorum et sanguine [et] suffocato*[111]. — Tertia, quod ecclesia, quam repraesentat concilium, dispensare potest contra id, quod prius statuit et definivit. Quod enim ipsa statuit in concilio, quod Christiani *abstinerent ab immolatis simulachrorum et sanguine et suffocato*, illa deinde propria auctoritate mutavit, quia sanguine et suffocato deinceps usque nunc est usa et adhuc utitur. Id quod et Paulus luculenter insinuat inquiens: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*[112]. Ergo. — Ex his igitur et multis aliis scripturis perspicuum evadit hanc Tridentinam synodum, quando sit oecumenica, sua authoritate dispensationis instar concedere[a] non modo contra id, quod alia concilia prius statuerunt, sed et adversus id, quod a Deo scriptum est, pro loco et tempore, subsistentibus causis statuere definireque posse. Poterit ergo suo iure multoque iustius haec ipsa synodus statuere, ut et laici deinde sub utraque specie communicent.

Immo non potest hoc synodus oecumenica non solum facere et statuere, sed et ex animo facere debet ob magnas quidem maximeque praegnantes et urgentes causas. Prima earum est, quod in hoc casu synodus ipsa nihil definiet contra Dei praeceptum, quando non sit contra evangelicam constitutionem, sed sit cum et pro ea eucharistiam sub utraque specie laicis etiam porrigere, id quod illa duo maxima concilia, Constantiense scilicet et Basiliense concilium[113], manifeste arguunt et contendunt[b]. — Secunda. Ne a laicis ipsis ecclesiae praelatis et clericis semper obiciatur se ab eisdem praelatis et clericis tamquam crudelissimis tyrannis impie cogi ad magis credendum constitutionibus[c] humanis quam divinis praeceptis contra divinam scripturam dicentem *Deo magis quam hominibus obedire oportere*[114]. Id quod et Deum patrem voluisse
140v dicunt | laici, quando de Christo, filio suo unigenito, dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hunc audite*[115]. Addunt isti quoque genus propterea humanum per personam protoplastae aeternae maledictioni factum fuisse obnoxium, quod homo, scilicet Adam, magis obedierit homini, scilicet Evae, quam ipsi Deo[116]. — Tertia. Ne, si synodus negaverit ulterius alteram, scilicet vini speciem, isti schismatici et haeretici fortasseque catholici saltem intra se perpetuo sint dicturi suas ab illa sibi conscientias gravari contra Pauli consilium et praeceptum[117], quo cavetur nullius conscientiam ad offendiculum et scandalum[118] cogi deberi, cum nec possit quidem illa, quando in illo[d] sit ipsa testis, cogi. Profuerit igitur (sic confido), ut synodus ipsa sublevet eorum per concessionem communionis utriusque speciei conscientiam. — Quarta. Ne eadem synodus videatur istis (quod ipsi toties huc usque conqueruntur) laqueum inicere, quem arbitrantur isti inicere sibi, cum coguntur, quod factu[e] sibi impossibile videtur, facere, et ad aliquod malum occasionem praebere videatur, quemadmodum existimant sibi contra conscientiam facere, prorsus impossibile, propterea mori malint quam contra conscientiam

[a] *Scb.* posse [b] *Clm Vat.* intendunt [c] *Clm* institutionibus [d] *Scb.* mille [e] *Clm* factum

[104] Deut. 24, 1–4; cf. Matth. 5, 31; 19, 7s.; Marc. 10, 4.
[105] Gen. 2, 24; Matth. 19, 5.
[106] Gen. 1, 27; 2, 22; Matth. 19, 6; Marc. 10, 9.
[107] Matth. 28, 19.
[108] Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48; 19, 5.
[109] Exod. 20, 8–11.
[110] Luc. 10, 7s. [111] Act. 15, 29.
[112] 1 Cor. 10, 25.
[113] Conc. Constantiense, decr. *Cum in nonnullis.* Conc. Basileense, decr. *Ut lucidius;* vide supra p. 162, 7ss. cum adn. 83.
[114] Act. 5, 29.
[115] Matth. 3, 17; 17, 5; Marc. 1, 11; 9, 6; Luc. 3, 22; 9, 35.
[116] Cf. Gen. 3, 6.
[117] 1 Cor. 10, 28.
[118] Act. 24, 16; Rom. 14, 13. 20; 1 Cor. 8, 9; 9, 12.

Digitized by Google

facere quicquam. Id quod certe malle deberent, si eorum conscientia non esset cauteriata, prava et conficta. — Quinta. Ne sacrosancta synodus paulo diutius concessionem utriusque speciei denegatura occasionem dare credatur, ut ex sacramento pacis, unitatis et charitatis augmentum fiat inimicitiae perpetuae, discordiae, dissensionis et rebellionis, immo seditionis, unde deinceps nascitura et progressura sint bella et proelia plus quam cruenta, fiatque tandem locus proverbio, quo dici solet: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem, et qui provocat iras, producit discordias*[119]. Id quod cum Boemis et tumultuantibus in Germania rusticis non sine deploranda christianae apud illos religionis et unitatis ecclesiasticae iactura, ne synodus haec sacrosancta, quod facere rationabiliter et inculpabiliter sua propria auctoritate potest, paulo di|utius 141r sit denegatura, sua contra Paulum[120] a Deo tradita potestate non *in aedificationem*, sed *destructionem* potius ecclesiarum abuti censeri possit.

Cum proinde, R^mi^ Patres, amplissimi principes ac Domini observandissimi, plena penes vos auctoritas sit et potestas concedendi, quod tot millia hominum, ne quidem modo schismaticorum et haereticorum sed et catholicorum, summis certe votis et precibus, profusis etiam lachrymis et passis ad coelum manibus, et quidem supplices sibi concedi utpote utriusque speciei communionem desiderant, optant et humiliter obsecrant, et hoc ipsum, quod petunt, Christi filii Dei sit praeceptum nec contra ipsum; dixit enim ille: *Accipite et manducate*[121]. *Bibite ex hoc omnes*[122]. Quodque idipsum iure dumtaxat positivo sit abrogatum vicissimque iure positivo vobis auctoribus (cum eius sit abrogare, cuius est statuere, possitque qui eripuit reddere) restitui rursum possit et restitutum nulli noceat, sed omnibus sanae piaeque mentis hominibus prosit, et restitui negatum multis utique modis, vobis praesertim et plerisque praelatis omnibus et clericis, qui ubique ferme sunt gentium et locorum, maxime tamen in utraque Germania, Boemia et Hungaria et in earundem confinibus, ubi haec haeresis invaluit, nociturum sit. Et sint praeterea tot tantaeque rationes et causae, quas hoc loco recensere et repetere longum fortassisque molestum et ⌜*cramben bis*⌝[a] *ponere*[123] foret, tam pie monentes tamque[b] constanter urgentes, ut iam tandem, quod tamdiu multumque desideratum est ac in dies et in horas impendio desideratur, nempe utriusque speciei sacramenti eucharistiae communio, quid aliud superesse possit, quam ut, o sacrosancta Tridentina synode, relictis *nonaginta [novem] in deserto* ovibus non unam errantem dumtaxat et perire coeptam oviculam, sed aliquot centena millia pereuntium ovium clementer et misericorditer *super* | *humeris* tuis *ponas* et cum gaudio in ovile 141v reducas[124], ut *unum* denique *fiat ovile et pastor* quidem *unus fiat*[125]. Cuius equidem rei gratia omnes in hunc nos locum et conventum venisse nequaquam addubitaverim, nihil diffidens, quin, quod hactenus diversis ex causis obque varias infirmitates et aegritudines semimortuum fuit, ipsa[c], o tu sancta synode, non totum mortificatura, sed revivificatura nec *calamum quassatum* omnino *contritura*, sed erectura nec *linum fumigans* prorsus *extinctura*[126], sed ipsum potius reaccensura sis, nimirum misericordem illum Samaritanum sequutura, qui *misericordia motus* ad hominem *ab Hierusalem in Hiericho descendentem*, *in latrones incidentem*, ab istis laethaliter vulneratum, *plagis inpositis relictum* accedere, eius *vulnera alligare*, *oleum et vinum infundere*, *super iumentum suum imponere*, *in stabulum ducere*, *eius curam habere*, *duos denarios proferre*, *stabulario dare*, illi sauciatum commendare, et si quid ille *supererogaret*, *cum redierit* ipse, ei *redditurum* se promittere[127] non dedignatus est. Qui deinceps ad quoscumque peccato laborantes uti totius misericordiae pater acclamavit dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est et onus meum leve*[128]. Siquidem ipse *non venerit*, ut *iustos*, *sed* ut *peccatores ad paenitentiam vocaret*[129], sed venerit, inquam, *quaerere et salvum facere*, *quod perierat*[130]. Inquiens alibi: *Nolo mortem peccatoris, sed* magis, *ut convertatur et vivat*[131], volo. Illum, qui non haec dixit solum, sed praestitit etiam, sequere (precor), o sacratissima synode, et pleni|tudine tuae potesta- 142r tis reduc schismaticos et haereticos prae nimia tandem fame languentes, esurientes et sitientes corpus et sanguinem Iesu Christi, *agni immaculati*[132], da, ut ipsi sacramento panis et vini iuxta nostri servatoris institutum cibentur et potentur, id quod ipsi summopere contendunt.

[a] *om. Vat., ubi patet lacuna*   [b] *Clm* tanquam   [c] *Clm* eia

[119] Prov. 30, 33.
[120] 2 Cor. 10, 8; 13, 10.
[121] Matth. 26, 26; 1 Cor. 11, 24.
[122] Matth. 26, 27.
[123] *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 5, prov. 38 (Opera II 197 A). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 96, n. 454.
[124] Luc. 15, 4–6.
[125] Io. 10, 16.
[126] Isai. 42, 3.
[127] Luc. 10, 30–35.
[128] Matth. 11, 28–30.
[129] Matth. 9, 13; Luc. 5, 33.
[130] Luc. 19, 10.
[131] Ezech. 18, 32; 33, 11.
[132] 1 Petr. 1, 19.

Digitized by Google

Sed inquis[a], o sancta synode, quod fuerint olim et hactenus tam multae quam magnae causae, propter quas ipsos laicos utraque sacramenti parte et specie pascere nec licuit nec convenit. Cui ego: Causae nunc sunt multo plures et maiores, ob quas non licet modo, sed expedit etiam reficere illos sacramento utriusque partis vel speciei, panis scilicet et vini, et quidem maxime, quod causae, quae tempore contrariae constitutionis pro contraria parte militare visae sunt, nunc et posthac militare et locum habere non facile possint, quando divini verbi praecones suo rite (quod utique debebunt) apud plebem conversam officio functi fuerint, ubi videlicet in suis ad populum concionibus continuo serioque monuerint communicantes, ut ipsi perquam reverentissime ad sanctissimum eucharistiae sacramentum accedant modisque omnibus caveant, ne praesertim sacramento sanguinis sub specie vini vel effusione vel alio modo ullam irreverentiam irrogent, et idem sacerdotes, cum id ipsum sanguinis sacramentum ad aegrotos portaverint, ne vel lapsu vel quovis alio modo effundant, summopere caveant et, ne idem sub specie vini sacramentum acescat, accurate diligenterque curent, doceantque interim frequenter idem et tantum esse sub specie vini, quod et quantum est sub specie panis, quippe totum corpus cum sanguine toto Iesu Christi, et id quidem per utriusque concomitantiam, prout ego circa subsequentem n o n u m articulum in ordine fusius et clarius dicam. Nec est, quod formidetur, ne forte isti dicerent, si nos nunc demus eis facultatem communicandi sub utraque: Videte, iam istimet fatentur se nobis iniuste prohibuisse utramque speciem, quam eis tanquam 142v possessores iniqui | coacti fuissemus restituere. Siquidem respondeo: propterea nos, quae sunt *ad pacem*[133] Hierusalem[b], obmittere non debere maxime, quum hanc cavillationem et huius similes per verba decreti rite cavere possimus[c]. Ceterum, quid immoremur in earum rerum causis paulo curiosius, quarum utique Dominus noster Iesus Christus, omnium futurorum praescius, cui etiam *cordium cogitationes*[134] plus quam notae et cui occultissima quaeque multo apertissima sunt, fuerunt et erunt, omnia praescivit, quae poterant ac possent circa tam sanctum sui corporis et sanguinis mysterium bene vel male contingere, nec ignorare quidem potuit. Nec ille tamen, quod salutis erat aeternae, intermittere ac obmittere voluit, quamquam praesciret futuros, qui vel priore vel posteriore specie abusuri essent, et recte nimirum, quando bonum propter malum obmittendum non sit. Multo igitur magis urgent nunc causae paulo ante recensitae ad laicis concedendam alteram eucharistiae sacramenti speciem, utpote vini, quamquam illam olim laicis eisdem negandam et adimendam esse suaserunt, id quod utraque tam Constantiense quam Basiliense concilia non omnino resciverunt, nempe quae minus obscure praesagiverunt[d] fore tempus, in quo causis, quas ipsa pro se tamen haberent, cessantibus et aliis deinde causis in earundem locum succedentibus lex ipsa de una dumtaxat specie communionis authoritate ecclesiae, quam repraesentaret concilium, abrogari et prior illa veteriorque de sub utriusque speciei communione lex non immerito restitui posset. Id quod eorundem conciliorum verba satis aperte subindicant in hunc modum habentia: „Unde cum huiusmodi consuetudo", communicandi scilicet laicos sub una tantum specie, „ab ecclesia et sanctis patribus rationabiliter introducta et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare aut sine ecclesiae authoritate pro libito mutare"[135]. Iam vero demum superesse aliud 143r non video, quam ut, o sancta Tridentina synode, mise|ricordia erga tot misericorditer in tuam et in omnium tuorum utilitatem et salutem supplicantes movearis, gratiam communionis utriusque speciei a laicis etiam percipiendae concedas tuoque decreto numquam violando conscribi et toto terrarum orbi promulgari ad optatam multorum hominum laetitiam facias.

Quod ubi facere perrexeris et hoc in casu condescendere non graveris (uti non addubitatur), futurum confido, immo confidenter persuadeo mihi, ut plerique omnes, qui hactenus haereseos rei sunt existimati, ceteris agitatarum hucusque controversiarum nostrae religionis articulis magna nimirum ex parte sint valedicturi, denique nobiscum sub uno Iesu Christo, summo et primo pastore[136], et eius vicario papa, secundo post illum pastore, in uno ovili mansuri et summa deinde bonitate et iucunditate tanquam *fratres in unum* habitaturi[137], quos posthac uterque pastor non in *virga furoris* sui correcturus[138], sed cum *baculo* consolationis[139], *lenitatis et clementiae gubernaturus* sit et *magnitudine* suae *potentiae*[140] non solum contra Turcas sed adversus etiam omnes inimicos, quibus nunc orbis christianus in nullo non loco misere circumdatur et premitur, defensurus et propugnaturus, fietque deinceps, ut plerique omnes sub tanto pastore

[a] *Clm* inquiens [b] *Clm* arma [c] *Sch. Clm Vat.* possint [d] *Clm* praesaginaverunt

[133] Luc. 19, 42.
[134] Matth. 12, 25; Luc. 5, 22; 9, 47; 11, 17.
[135] Conc. Constantiense, decr. *Cum in nonnullis* (l. c. 727 E). Cf. conc. Basileense, decr. *Ut lucidius*, supra adn. 83.
[136] Cf. 1 Petr. 5, 4.
[137] Cf. Ps. 132, 1.
[138] Cf. Prov. 29, 15; Isai. 10, 5.
[139] Cf. Ps. 22, 4.
[140] Esth. 13, 2.

Digitized by Google

et rectore *in medio* etiam *luporum*[141] *absque ullo terrore vitam* simus *silentio transituri* dulcique et perpetua diu multumque *optata cunctis mortalibus pace fruituri*[140].

Appendix illius antescriptae sententiae

Quanquam nihil hactenus decisum sit, utrum communio utriusque speciei iuris sit divini an humani utpote positivi, sed *lis sub iudice* pendeat[142], tamen non desunt, qui velint eam divini iuris non esse propptereaque unicuique liberum relinqui, ut possit vel sub una vel sub altera specie communicare, et hoc ideo, quoniam Christus salvator noster et scriptura sacra indifferenter meminit modo unius speciei modo duarum, et ex hoc non multum referre sub una vel | sub duabus speciebus sanctissimum eucharistiae sacramentum suscipere. Loca autem, 143v quae unam tantum speciem aut commendarunt aut praeceperunt, sunt haec: Io. 6 [50]: *Hic est panis, qui de caelo descendit, ut, si quis manducaverit ex eo, non moriatur.* Item: *Panis* verus, *qui de caelo descendit et dat vitam mundo*[143]. Et ex post: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi*[144]. Deinde: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*[145]. In oratione dominica solum *panem supersubstantialem* petimus[146]. Dominus Iesus discipulos euntes in Emaus solo pane communicavit[147]. Innuit enim illa panis traditio post benedictionem et fractionem sacrae[a] eucharistiae exhibitioni ex sententia Augustini lib. 3 De consensu evangelistarum[148]. Ex eo, quod habetur Act. 2 [42]: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus*, colligitur etiam tempore apostolorum Hierosolimis sumptam a christiano populo eucharistiam sub una tantum specie. Item figurae huius sacramenti, ut totius populi communioni accommodatur, fuerunt in veteri testamento figuratae in solida materia [ad] esum deputata ut in agno paschali Exod. 12 [3ss.], in manna Exod. 16 [15ss.], in panibus propositionis Levit. 24 [5ss.], in pane subcinericio 3 Reg. 17 [13]. Sacrificia vero libaminum in liquida materia[149] solum in usum cedebant sacerdotum[150] et fundendi sanguinem hostiarum immolatarum officium habebant solum *filii Aaron* sacerdotes[151] et eorum in officio successores. Decretum Aurelianensis concilii, quod habetur c. [94] *Qui bene* de consecr. dist. 2[152], de custodia corporis Christi nulla facta mentione[b] de sanguine aut vini specie demonstrat eo tempore communionem laicis sub una specie panis tantum exhiberi consuevisse, cum nulla de conservatione sacramenti calicis [mentio] habeatur. Ex Remensi etiam concilio, quo decernitur, ne sacrum Domini corpus detur laicis deferendum infirmis, ut habetur in c. [29] *Pervenit* de consecr. dist. 2[153], colligitur eo tempore mos fuisse communicandi sub una tantum specie.

Nec communicare populum sub una tantum specie est contra largitatem et munificentiam 144r liberalitatis divinae, quae huius caelestis sacri munus sub duplici specie condonavit, quum immensitas ipsa liberalitatis est penes rem ipsam contentam, quae aeque bene et plene continetur sub una specie sicut duabus. Et ea ratione dici potest aequalem gratiam recipere communicantem sub una specie cum eo, qui recipit utranque, quantum eius patitur capacitas et quantum ad eum pertineat.

Quod autem dixit Archiepiscopus[c] ex sententia Petri de Tarantasia in c. [93] *Presbyter*[154] de consecr. dist. 2 non propterea sacerdotem in vanum consecrare calicem, quum actus, qui ordinatur ad sanguinem, alius est ex vi verborum ab eo, qui est panis, cum fiat, ut expresse significetur, quod Christi sanguis per effusionem fuit separatus a corpore, et eam significationem ad sacerdotes spectare, non ad laicos[155], denotat maiorem gratiam quoad hoc consequi sacerdotes. Et huius ratio est, quin[d] significatio ad sacerdotes spectat, cum ad sapientiam pertineat, quae ab omnibus non exquiritur, sicut nec scientia iuxta illud: *Labia sacerdotis custodiunt*

[a] *Sch.* sacri [b] *Clm* mentio est [c] *Clm* Archid[iaconus] [d] *Clm* quoniam

[141] Matth. 10, 16.
[142] *Horatius*, De arte poetica 78.
[143] Io. 6, 33. [144] Io. 6, 51.
[145] Io. 6, 52.
[146] Matth. 6, 11.
[147] Luc. 24, 30.
[148] De consensu evangelist. III, c. 25, 72 (CSEL XLIII 372, 6s.).
[149] Cf. Exod. 25, 29; Deut. 32, 38.
[150] Cf. Num. 18, 11s.; Deut. 18, 4.
[151] Cf. Lev. 3, 2. 8. 13; 7, 14; 17, 6 etc.
[152] Sub rubr.: *ex conc. Aurelianensi* (*Friedberg* I 1352), cap. incertum.
[153] Sub rubr.: *ex conc. Remensi* (l. c. 1323); cf. concilium Parisiense (a. 829) c. 45 (MG Conc. II 639, 20ss.) et conc. Rotomagense (a. 650?), c. 2 (*Bruns* II 268). Cf. supra p. 125, 1 cum adn. 147.
[154] Sub rubr.: *ex conc. Wormaciensi* (*Friedberg* I 1351), potius Capitula eccl. (810–813?), c. 16 (MG Capit. I 179, 9s.). Cf. supra p. 125, 1 cum adn. 148.
[155] Potius *Guido de Baysio*, archidiaconus Bononiensis, Rosarium decretorum, in c. 12 *Comperimus* de cons. dist. 2: „dic ad huius declarationem, quod in sacramento est ratio signi et ratio cause. Significatio pertinet ad sapientiam, sed causalitas ad gratiam. Quia ergo gratia communiter omnibus necessaria est, sed non sic sapientia, efficacia vero est equalis sub utraque specie, sed non significatio, ideo omnibus traditur sub altera specie, in qua potest tradi cum reverentia et cautela maiori, a maioribus vero, id est presbyteris et ministris, sumitur sub utraque specie. Et licet Greci bene faciant sumendo sub utraque specie, tamen Latini melius faciunt ratione praedicta secundum Petrum“ (Venetiis 1481, qq 4r).

Digitized by Google

scientiam[156]. Ideo quoad hoc sacerdotes dici possunt maiorem consequi gratiam, de qua tamen conqueri non possunt laici, quod eis non tribuatur, quemadmodum nec quod non consequantur officium consecrandi et conficiendi corpus Domini nostri Iesu Christi.

Sequuntur loca pro utriusque speciei communione facientia.

Loca autem de utraque specie sunt [in] eodem cap. 6 Ioannis, cum dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam* aeternam[157]. Apostolus [1] ad Cor.
144v c. 10 [17]: *Unus panis et unum corpus multi sumus, qui de uno* calice et uno *pa|ne participamus.* Cap. 11 [26]: *Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Item: *Quicumque manducaverit panem hunc et calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat*[158].

Quod autem olim et per multa saecula fuerit usus communicandi sub utraque specie, ex pluribus comprobatur. Soter enim, qui fuit XIII pontifex a Petro, inquit: „In coena Domini a quibusdam perceptio eucharistiae negligitur, quae quoniam eadem die ab omnibus fidelibus exceptis his, quibus pro gravissimis criminibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam poenitentes eadem die ad percipienda corporis et sanguinis sacramenta reconcilientur", et habetur [c. 17] *In coena* de consecr. dist. 2[159]. — Cyprianus uno saeculo posterior in sermone De lapsis, dum loquitur de illa puella a daemone obsessa ad ipsum divina celebrantem deducta, inquit: „Ubi vero solemnibus impletis[a] diaconus calicem offerre coepit et praesentibus et accipientibus ceteris locus eius advenit, faciem suam parvula instinctu divinae maiestatis avertere, os[b] labiis obdurantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus et reluctanti de sacramento calicis infudit"[160]. Augustinus in libro Sententiarum Prosperi inquit: „Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis immolatio eiusque sanguinis de latere effusio designatur", et habetur in c. [37] *Cum frangitur* de consecr. dist. 2[161].

Sextae synodi c. 28 habetur: „Didicimus, quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio coniungant uvas, quae in altari offeruntur, et sic utraque populo dispensent. Praecipimus igitur, ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat"[162]. His verbis refertur in c. [6] *Didicimus* de consecr.
145r dist. 2. | — Ex sermone Ambrosii ad Theodosium imperatorem, cum illum ob caedem Tessalonicensem ecclesia exclusit, constat aetate sua laycos sub utraque specie communicasse, cum inquit: „Istasne adhuc stillantes iniustae caedis manus extendens et ex his sanctissimum Domini corpus prehendens vel tam pretiosum illum sanguinem admovebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinem dictato furentis animi", et habetur in c. 14 lib. 6 Ecclesiasticae historiae Theodoreti episcopi[163]. — Idem colligitur observatum usque ad aetatem s. Thomae ex eo, quod dixit III parte Summae qu. 80 art. 12 esse multarum ecclesiarum usum[164], in quibus populo communicanti detur corpus Christi sumendum, non autem sanguis[c], quod si *multarum*[d], non ergo omnium. Et qu. 82, dum dicit, quod dispensatio sanguinis convenit diaconibus[165]. — In Missali quodam Veteris imperialis Capellae Ratisbonae non admodum antiquo, sed ut par est ex antiquo aliquo descripto[166], haec, quae sequitur, habetur rubrica de cena Domini et ex his, quae ibi habentur, colligitur tunc fuisse usum communionis sub utraque specie: „Praefatio: *Qui salutem humani etc.*[167]. *Communicantes etc. Hanc igitur oblationem etc. Qui pridie etc.* et sic per ordinem usque *per omnia saecula saeculorum etc.* Fractis etc. communicant presbyteri primi, deinde diaconi et ceteri omnes in suo ordine, et sumat sacerdos de ipsis oblatis integris ad servandum usque ad parascheven, sanguis vero eadem die omnino consumatur. Et chorus dicit: *Agnus Dei* absque osculo pacis. Sequitur communio *Dominus Iesus etc.* et accipiens diaconus calicem non sumat sanguinem statim, sed ponat eum sinistro latere altaris et cooperiat corporali et ita expectet, donec finiatur communio. Deinde accipiens calicem convertat se ad chorum et intonet

[a] *Scb. Clm Vat.* impetis [b] *Clm* ac, *Vat.* et [c] *Scb. Vat.* sanguinem [d] *Clm Vat.* simultatis

[156] Malach. 2, 7.
[157] Io. 6, 54.
[158] 1 Cor. 11, 27–28.
[159] Sub rubr.: *Item Sother papa* (*Friedberg* I 1319s.), potius conc. Cabillonense (a. 813), c. 47 (MG Conc. II 283, 16ss.). *Jaffé*, Reg. + 65.
[160] De lapsis c. 25 (CChr. III 235, 488–493).
[161] Sub rubr.: *in lib. Sentent. Prosperi* (*Friedberg* I 1327), potius *Lanfrancus*, De corpore et sanguine Domini adv. Berengarium c. 13 (*Migne*, PL CL 423 A).
[162] Synodus quinisexta Trullana (a. 692), c. 28 (*Bruns* I 45).
[163] *Theodoretus*, Hist. eccl. V, c. 18, 4 (GrChrSchr. 44 [19], 309, 13–16). Cf. *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripartita IX, c. 30, 8 (CSEL LXXI 542, 39–42).
[164] Summa th. III, qu. 80, art. 12: „in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur".
[165] Ibid. qu. 82, art. 3 ad 1.
[166] Liber missalis secundum chorum Ratisponensem (saec. XV). Cf. *J. Schmid*, Die Handschriften und Inkunabeln der Bibliothek des Kollegiatstiftes U. L. Frau zur Alten Kapelle in Regensburg, Regensburg 1907, 30, n. 1990.
[167] Praefatio de cruce; cf. Missale Rom., feria V in cena Domini.

Digitized by Google

antiphonam: | *Calicem salutaris etc.*[168] et chorus Psalmum [115]: *Credidi, propter quod.* Tunc 145v diaconus sumat sanguinem et ceteri omnes postea. Interim compleantur vesperae". Ex his cum colligatur, nisi adesset prohibitio ecclesiae, et [ante] huiusmodi prohibitionem potuisse et in praesentiarum possent laici communicare de calice, ex consequenti neutrum fore iuris divini.

Quin etiam dixit Albertus Magnus in tractatu De missa, quod ecclesia posset etiam cum sacerdotibus dispensare, ut in illis partibus, in quibus non potest vinum de facili reperiri, conficerent sub una specie[169]. — S. Thomas in III parte qu. 89 dixit, quod, si cui gravis est et nocivus gustus vini etiam in parva quantitate, *non est necesse, quod omnes accipientes corpus Christi et sanguinem accipiant*[170], ex quo colligitur aetate s. Thomae etiam laicis datam utramque speciem.

De communione parvulorum

Quum autem hic articulus ipse octavus in secunda sui parte velit necessario parvulos esse communicandos et in prima eiusdem octavi articuli parte parvulorum communionem non attigerim, videor mihi facturus opere pretium, si, quid ego et hac in parte sentiam, perbreviter expressero. Atque dico hanc articuli partem, quae vult parvulos et infantes vel sub specie panis vel vini communicandos esse, prorsus erroneam et haereticam esse, nec eos sub una nec sub altera communicari nec posse nec debere. Siquidem Christus Dominus et Deus noster, huius institutor sacramenti, nequaquam praeceperit impossibilia tamquam ea, quorum nulla sit obligatio, dicens alibi: *Qui potest capere capiat*[171]. Sed impossibile est parvulos eosdemque infantes facere ea, quae communicantem facere oportet, utpote sumere, manducare, bibere, se probare, num de tanto eucharistiae sacramento digne communicare circaque idipsum sacramentum dominicae passionis et sanguinis Christi effusionis, eius summae | dilectionis memoriam agere 146r mortemque Domini annuntiare possit? Ait enim Christus: *Accipite et manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem*[172]. *Et accepto calice gratias agens dedit eis*[173] *dicens: Bibite ex hoc omnes*[174]. *Et biberunt ex illo omnes*[173]. Sed nihil eorum, quae Christus illic ait, parvuli praestare possunt, quum nec soli manducare nec bibere nec eorum memoriam agere queant, immo nec illud, quod Paulus ait, exhibere valent: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat*[175]. Nec illud praestare possunt, quod illic ait etiam: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*[176]. Siquidem parvuli nec comedere nec bibere nec annuntiare nec meminisse nec iudicare possunt, quum ratione, memoria usuque earum[a] careant. Quoties autem Christus aut apostoli praeceperunt aliquid adservandum, illud eos dumtaxat obligatos voluerunt, qui quod praeceptum est servare, adimplere et exsequi possunt et valent. Addo insuper, quoniam sacramenti eucharistiae manducatio sine spirituali manducatione non prosit et parvuli nec Christi corpus nec sanguinem spiritualiter, scilicet per fidem et charitatem, sumere possunt, cum nec fidem nec charitatem habere possunt. Non debent igitur communicari parvuli, sed suffecerit eis, ut in aliis communicentur et alentur, qui per alios edendo utpote per protoplastos peccarunt[177], in voto ecclesiae atque eius ore tanquam materno.

IX. *Non contineri sub altera specie quantum sub utraque* ...[178]. 146v

Circa hunc articulum sacrosanctae eucharistiae ego adsero: Verum quidem esse Christum sub qualibet specie totum cum corpore et sanguine suo, per concomitantiam scilicet, contineri perque eandem concomitantiam laicos tantum sumere utpote corpus et sanguinem Christi sub-

[a] *Clm* earundem

[168] Ps. 115, 13.

[169] Vide quae St. Ehses (Conc. Trid. VIII 567[1]) allegavit ex *Io. de Turrecremata* Commentario super Decreto (Lugduni 1520, tom. I 29v), in c. 12 *Comperimus* de consecr. dist. 2: „Quae ratio [defectus vini] ita urgens videtur Alberto Magno, ut dicat in tractatu corporis Christi de terris, ubi vinum haberi non potest, quod in tali casu debeat recurri ad sedem apost.; et dicit, quod videtur sibi cum talibus esse dispensandum, ut corpus Christi sine calice haberent et conficerent sacramentum, ex quo corpus Christi non est sine sanguine et divinitate". Talis sententia in genuinis Alberti M. operibus non invenitur. Quibusdam, qui dixerant hoc sacramentum debere *materiam habere, quae in toto terrarum orbe possit inveniri, in terris aquilonaribus* vero *glaciali frigiditate constrictis nec triticum nasci neque vinum et sic illam partem ecclesiae frequenter tanto sacramento privari*, potius *Albertus M.* respondit in libro De sacramento eucharistiae dist. 6, tract. 2, c. 1 n. 4: „Si alicubi [triticum et vinum] non invenirentur aliquando et ... articulus necessitatis hoc efficeret, dicimus cum Augustino, quod ideo Deus sacramentis suis gratiam non alligavit, quin gratiam suam sacramentalem et sine sacramentis in habentibus fidem ... operetur. Et haec vocatur spiritualis perceptio sacramenti" (Opera XXXVIII, Parisiis 1899, 367).

[170] Summa th. III qu. 84, art. 1 ad 3; cf. qu. 80 art. 12.

[171] Matth. 19, 12.

[172] 1 Cor. 11, 24.

[173] Marc. 14, 23.

[174] Matth. 26, 27.

[175] 1 Cor. 11, 28.

[176] 1 Cor. 11, 26.

[177] Cf. Gen. 3, 6.

[178] Cf. Conc. Trid. VII, I 113, 208.

Digitized by Google

stantialiter sub una specie quantum sub utraque, sed non specialiter et sacramentaliter nec significative. Nam licet laici ipsi sub specie panis sumant sanguinem, cum sine eo corpus esse nequeat, non tamen sub specie sua propria, vini scilicet specie, sed sub alia, scilicet panis, sumunt. Iam vero, quum Christus, Dominus et redemptor noster, sacramentum illud eucharistiae sanctissimum rationabiliter sub duabus speciebus, utpote panis et vini (quod negari non potest), accipiendum instituit, ut videlicet quaelibet species quod suum esset significaret, nempe species panis eius corpus pro nobis in ara crucis traditum et species vini sanguinem eius pro nobis inibi in remissionem peccatorum effusum significaret, ipsique sumentes apud utramque speciem signantem sive significantem memoriam utriusque sui signati in gratiarum actionem facerent, utpote ut ipsi circa speciem panis singulariter recordarentur sui corporis, quod pro ipsis traditum, captum, ligatum, ductum, tractum, colaphis et arundine percussum, virgis caesum, coronatum, crucifixum, de cruce depositum et sepultum etc. esset, per speciem
147r vero vini | recordarentur eius preciosi sanguinis, qui pro ipsis eorumque peccatis in coronatione, flagellatione, crucifixione et in apertione per lanceam lateris etc.[179] abunde profusus esset, deincepsque per utramque speciem recordarentur ineffabilis ipsius erga nos dilectionis per suam passionem demonstratae, quippe qui tantum eos dilexisset, ut etiam suum proprium pro eis corpus in mortem tradidisset suumque sanguinem pro eorum redemptione multifariam profudisset. Et hoc est, quod ipse non ad apostolos solum sed et ad omnes in novissima sua coena (accepto pane, quem fregit, et eis porrigens) dicit: *Accipite et comedite. Hoc est corpus meum*[180], *quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem*[181]. Qui *et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et multis effundetur in remissionem peccatorum*[182]. Quod vel totum Paulus ipse quasi Christi verba declarans exprimit dicens: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in ea, qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*[183].

Hinc sane videri posset Christum quidem quoad substantiam, quae est eius verum et reale corpus et verus sanguis, in sacramento sub utraque specie, panis scilicet et vini, totum et integrum contineri, ab ipsis tamen[a] laicis corpus et sanguinem sub una quidem specie, scilicet
147v panis, totum et | integrum quoad substantiam sumi, sed non quoad species sacramentales, sub quibus ipse Dominus noster non frustra suum corpus et sanguinem suum dari voluit, cum speciem sacramentalem vini, quae sanguinem Christi significat et forinsecus repraesentat, non videant[b], ideoque non integrum sacramentum ab ipsis accipi, quia carent sacramentali specie vini signante sanguinem Christi, siquidem omnia sacramenta sint instituta in signa, quae sunt ipsae species visibiles, quae sua natura illa, quae sub ipsis visibiliter latent, quae signata vocamus, signant et repraesentant. Atque proin servator noster et corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini pro omnibus instituit in necessitatem et utilitatem, quam species ipsae sacramentales intuentibus eas praebent. Significant enim illae, erudiunt, exercent et attestantur subesse gratiam invisibilem, quibus vel singulis non minus opus est laicis quam sacerdotibus. Quod si res ita habet, consequi subinde videtur, quod is, qui Christi corpus et sanguinem sub utraque specie (sicut institutum est hoc venerabile sacramentum) sumit, facilius possit ac devotius dominicae passionis et effusionis sanguinis dominici et summae propterea Iesu Christi erga nos dilectionis recordari memoriamque agere, cum utraque species quasi obiectum quoddam moveat fortius et efficacius sensus accipientis, quam qui sub una tantum specie corpus et sanguinem Iesu Christi sumunt, quando sic sub una dumtaxat specie sumentes nullam videant vini speciem, quae tanquam obiectum possit sumentes facile et devote movere ad recordandum et memoriam agendum passionis dominicae, *pretiosi* praesertim *sanguinis*[184] Iesu Christi effusionis et summae erga nos dilectionis. Id quod non vulgaris est momenti, utpote devota sanguinis
148r Iesu Christi effusionis | memoria, quum Petrus singulariter admoneat, ut *sciamus* et recordemur nos non esse vel *argento vel auro* vel aliis *corruptibilibus* rebus, *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati redemptos*[184].

Ex quibus itaque dictis et intellectis sequi pariformiter videri solet eum, qui sub utraque specie corpus et sanguinem Christi sumit, plus et fructus et gratiae sumere, quam qui sub una

[a] *Clm* tum [b] *Sch. Clm Vat.* videatur

[179] Io. 19, 34.
[180] Matth. 26, 26.
[181] 1 Cor. 11, 24.
[182] Matth. 26, 27s.; cf Luc. 22, 20.
[183] 1 Cor. 11, 23–26.
[184] 1 Petr. 1, 18s.

Digitized by Google

tantum sumit specie, tam quidem ex opere operante quam ex opere operato, quamvis in hoc sacramento gratia non virtute signi et speciei, sed virtute signati, id est corporis et sanguinis sub eis contentorum, conferatur. Siquidem non illae species panis et vini, quae foris adparent, tales sunt, quae animam vivificent, sed caro et sanguis propter inhabitantem in eis vitam et spiritum, quippe divinitatem vivificare censetur. Atque hinc est, quod layci conqueruntur sibi fieri fraudem et magnam iniuriam, quod ipsis aufertur altera per violentiam sacramenti species et gratia sub ea specie contenta violenter eripiatur contra praeceptum Christi, filii Dei, qui illam ipsis aeque in animae potum sicut sacerdotibus gratuito donavit, qui certe, sicut corpus pro omnibus hominibus tradiderit et sanguinem pro omnibus fuderit, ita ipsum quoque sacramentum utriusque speciei pro omnibus hominibus instituerit eoque utriusque speciei sacramento tam laicis quam sacerdotibus opus esse censuerit, cum tam laici quam sacerdotes circa utramque speciem tam corporis quam sanguinis sui memoriam agere mortemque suam annuntiare debeant.

X. *Solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam eucharistiam* ...[185]. 148v

Hunc articulum iudico esse damnandum uti haereticum, perniciosum, scandalosum, christianae consuetudinis, omnis virtutis, disciplinae reverentiaeque sacramenti destructorem. Atque ideo censeo, quod, si communicaturus alicuius sibi peccati conscius copiam confessoris habere potest, omnino confiteatur, cuius autem si copiam habere nequit, saltem ex animo conterens firmum propositum et votum confessionis tempore quoque primo faciendae habeat.

14.

Salvator Salapusius, archiepiscopus Turritanus
Sententia de articulis super sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 21. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, f. 5r–6v *(autogr.)*

Praemitto dicendis, quod ea omnia synodali censurae submitto. Ordo articulorum[2] non placet, quia generat obscuritatem et est impertinens. Nam articuli, ex quibus tamquam a radice una alii quasi rami oriuntur, praemitti debebant, quem ordinem sentio servari debere in formatione canonum. Nam et sexto articulo subiungi debebat communio paschalis populi, de qua habetur in decimo. Item quintus articulus debebat postponi et praeponi illi septimus, qui habet de praesentia Christi ad usum sumendi tantum, quasi usus esset communis huic sacramento cum aliis, essetque forma et perfectio eius et non potius consecratio materiae. Ex asserta enim absentia corporis Christi in sacramento consequitur non esse adorandum et cetera, licet alii quidam non propterea negent adorandum, sed quia non in hoc institutum est, ut adoretur, sed ut sumatur. De adoratione autem quinisexta synodus in Trullo 101 canone ita habet: „Si quis voluerit synaxis tempore communicare, manus in formam crucis figurans sic adeat“[3]. Conc. 14 5r

Item nonus et decimus placeret magis, quod sub uno articulo ponerentur propter connexitatem. Nam nec decimus articulus videtur ex mente hereticorum recitatus et conceptus. Nam ipsi loquuntur de solitaria illa sua et *speciali fide*, ⌜de qua in Confessione Augustana[4]⌝[b], quae est eis causa multorum errorum, qua quis credit et confidit se in eucharistiae sacramento

[a] *Massarellus f. 5r in marg. superiore haec adn.:* Archiepiscopi Turritani super articulis de eucharistia die 21. Septembris 1551　[b] *supra lin. add.*

[185] Cf. Conc. Trid. VII, I 114, 1ss.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 146, 17–39. De auctore *(Don Salvador de Alepús)* cf. ibid. VI, I 30 adn. 2. *G. Alberigo*, I vescovi italiani al concilio di Trento, Firenze 1959, 205. 218s. 238s. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 1014–1021.

[2] Quos vide Conc. Trid. VII, I 111–114.

[3] Synodus quinisexta Trullana (a. 692), can. 101 (*Bruns* I 64. *Lauchert* 138, 17ss.).

[4] Confessio Aug., art. IV, n. 2; XXIV, n. 28 (Die Bekenntnisschriften 55, 14ss.; 94, 9ss.). Apologia Conf. Aug., art. IV, n. 45: „Haec igitur fides specialis, qua credit unusquisque sibi remitti peccata propter Christum“ (l. c. 168, 54ss.); ibid. art. XII, n. 60: „Nos praeter illam fidem requirimus, ut credat sibi quisque remitti peccata. De hac fide speciali litigamus“ (l. c. 263, 32ss.).

Digitized by Google

gratiam consequuturum, hominem sufficienter disponi et praeparari ad communionem[5]. Et nihil loquuntur de confessione doctorum vel ydiotarum, immo simpliciter derident et damnant. Et ideo casus adnotatus per Caietanum[6] impertinenter inseritur hic, quia non est in sensu hereticorum nec hereticus, sed opinabilis, licet periculosus, et ideo cum haereticis non venit numerandus, presertim cum ipse securius consilium praeferat. Et quo casu de hoc esset agendum, videretur differenda tractatio ad sacramentum penitentiae, vel cum agetur de abusibus ministrorum huius sacramenti; nam proprie abusus est ministrorum. Desiderarim etiam, quando in sermonem hunc incidimus, ut considerarent patres ideo nos convenisse, ut haereses tantum damnemus, et non, ut scholasticorum orthodoxorum disputationes omnes terminemus. — Et haec de articulis in universum et generatim dicta sunt.

Speciatim autem veniam ad discussionem eorum, in quibus desiderata fuit a theologis aliqualis declaratio. Et primo quoad secundum articulum non videtur superfluere, quia docet de usu sacramenti et statuit duplicem manducationem. Primum vero de perfectione sacramenti loquitur, quae proprie in materiae consecratione consistit et reali praesentia Christi.

Rursus hic secundus articulus est considerandus; nam isti haeretici quoniam vident, ut primum deprehenduntur facile a veritate condemnari, ex industria involvunt obscuris verbis sensum suum. Quare opinor, quod iste articulus eo etiam pertineat, quod alibi ipsi asserunt *simul* haec duo *stare non posse*, quod in sacramento eucharistiae sit verum Christi corpus et quod spiritualiter manducetur, quoniam dicere corporalem carnem spiritualiter manducari perinde est, ac si dicamus spiritum esse corpus et e converso[7]. Sed nihilominus est impertinens illatio, quia digreditur a re ad modum rei, quia corpus Christi habet ibi modum essendi spiritualem non occupando locum, nec ibi habet esse per modum corporis sicut in coelo, sed spirituali modo non comprehenso ab intellectu humano, sicut incomprehensibilis est modus, quo unus Deus est trinus in personis. Credimus enim, quamvis non cognoscamus, manducari verum Christi corpus in sacramento spiritualiter, sed non corporaliter, id est quod manducatio non masticat Christi corpus, quamvis conterat sacramentales species corporis. Sed spiritualis manducatio, quae fit per animam, pertingit ad Christi carnem in sacramento existentem. Fundamentum autem assertionis huius illud est eis, quod omnia spiritualiter intelligant et in virtute sicut in reliquis sacramentis, quae in usu consistunt et non in consecratione materiae perficiuntur seorsum ab usu, quod est speciale in hoc sacramento. Innituntur autem verbis illis Christi: *Caro non prodest quidquam*[8], quod non dixit de sua, tum quia, sicut dum Nicodemum alloqueretur de regeneratione spirituali, posteaquam dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu* 5v *sancto etc.*[9], statim subiunxit ad excludendam generationem carnalem: | *Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est*[10], ita Iudaeis quaerentibus de modo, quo posset ipse *carnem suam dare ad manducandum*[11], respondit protinus: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam*[8], quod ita tamen intelligitur, quasi diceret: Viva mea caro spiritualiter vobis offeretur in cibum. Nam discipuli intellexerant Christi carnem carnaliter comedendam ac per hoc morte intercedente; non enim vescimur carnibus nisi mortuis. Utrumque igitur Dominus abstulit errorem dicendo, quod *spiritus et vita sunt*[8], vita contra mortem, spiritus contra carnalem modum. Est igitur articulus condemnandus, quia, licet sacramentalis sumptio ab haereticis non negetur, illud est secundum virtutem, non autem secundum veritatem corporis Christi, quae est statuenda. Illa etiam positio Oecolampadii[12] damnanda venit et habet diversum sensum a prima, si recte excutiatur; nam prima illa tollit sacramentum quoad omnes, secunda haec tollit quoad peccatores tantum, et ita non esset nisi unus modus manducandi et nusquam *indigne* posset sumi sacramentum. Frustra igitur admonuisset Paulus[13].

[5] Confessio Aug., art. XXIV, n. 30: „missa instituta est, ut fides in his, qui utuntur sacramento, recordetur, quae beneficia accipiat per Christum" (l. c. 94, 21ss.). Apologia Conf. Aug., art. XXIV, n. 72 (l. c. 370, 11ss.).

[6] *Thomas de Vio* card. *Caietanus*, Summula de peccatis, s. v. *communio;* vide supra p. 140, adn. 106.

[7] *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 18: „Nec eos audiendos esse putamus, qui ... sic decernunt: Edimus quidem veram corporeamque Christi carnem, sed spiritaliter. Nondum enim vident simul stare non posse *corpus esse* et *spiritaliter edi*. Sic enim diversa sunt corpus et spiritus, ut utrumcumque accipias, non possit alterum esse. Si spiritus est, quod in quaestionem venit, iam certa relatione contrariorum sequitur corpus non esse; si corpus, iam certus est, qui audit, spiritum non esse" (Corp. Ref. XC 787, 3–11).

[8] Io. 6, 64. Cf. *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 18 (l. c. 785, 36ss.; 791, 9ss. 31ss.).

[9] Io. 3, 5. [10] Io. 3, 6. [11] Io. 6, 53.

[12] *Io. Oecolampadius*, De genuina verborum Domini ... expositione: „quia non manducatur corporaliter, neque accipitur neque adest corporaliter. Sed adest sacramentum corporis, quod dominicum corpus vocatur" (l. c. f. D 5v). Ibid.: „Nihilominus sanctissimus eucharistiae usus est, et propterea non supervacaneus ritus ille a Domino commendatus, ut corpus eius sub sacramento panis edamus. Nam ut interim de foedere charitatis et fidei externa protestatione taceam, mirifica spiritus sanctus fidem exercens in credentium pectoribus operatur trahens eos ad maiorem vitae sanctimoniam" (l. c. f. F 6r).

[13] 1 Cor. 11, 27. 29.

Digitized by Google

De quarto. Sensus istius articuli quarti est subobscurus et eo pertinet, quod isti adversarii nullam divinam gratiam intelligunt nisi unam remissionem peccatorum contra apostolum, qui docet praeter iustificationis gratiam multiformem *gratiarum divisionem* divini in nos spiritus[14]. Nec isti verum ullum sacramentum confitentur, quod non habeat *promissionem gratiae*[15]. Et ideo sacramentum ad sanguinem calicis contrahunt, ubi videtur illis promitti gratia, id est *remissio peccatorum*, suscipienti[16], quasi, si verborum illorum recte excutiatur sententia, remissio peccatorum propter sumptionem sit et consequatur et non magis propter ipsius sanguinis effusionem. Nec satis eis constat secundum sua ipsorum principia verior de usu sacramenti sanguinis institutio, cum nullus evangelistarum praeter Ioannem id explicet: *Nisi manducaveritis*[17]. At verba Christi apud Ioannem adversariis huc non pertinent; alioquin dilucide viderent veritatem sacramenti et triplicem illam promissionem, scilicet vitae et vitae aeternae et manendi in Christo, factam manducantibus panem hunc, id est species, quae carnem suam continent. Et nihil ibi de calice vel sanguine, qui sub vini specie traditur, qui quidem sanguis a carne nusquam separatur.

Quod autem attinet ad eucharistiae institutionis causam, illa est, ut scilicet *gratia augeatur* in nobis et Christo uniamur realiter et tandem, secundum ecclesiae catholicae doctrinam in concilio Florentino repetitam[18], ut *operaretur* in nobis in quantum *cibus* animi spiritualis, quidquid operatur cibus corporalis. Sed advertendum est quoque, quod alia quaedam positio Lutheri in libello De coena dominica contraria est huic. Habet enim illa: Falsa est fides sacramentum hoc delere peccata, quia sola mors Christi delet peccata[19]. Huius positionis licet secunda pars sit vera, tamen prima est falsa, quia non consequitur: Ergo applicatio mortis Christi ad nos non delet peccata, praesertim cum hoc sit sacramentum mortis Christi et Christus per se ipsum hic operetur per quandam aproximationem specierum ut alimenti ad alitum. Dico igitur redeundo ad censuram theologorum, quod iste articulus sic conceptus, ut *eucharistia sit instituta ob remissionem peccatorum*, absque eo, quod apponeretur verbum *solam* sive *praecipue*[20], quod adhuc esset falsus, quia, licet remittat peccata venialia, non propterea principaliter institutum est, sed ut gratiam augeat et Christo nos uniat. Nam solum *unum babtismum confitemur in remissionem peccatorum* secundum symbolum Nicaeni concilii[21]. Utrum autem *silentio* sit *praetereundus* articulus[22], iudicet sancta synodus.

Quoad sextum articulum ratio asserendi videtur sumpta a similitudine baptismi, ut, sicut nemo se ipsum baptizat, nemo quoque *se ipsum communicet*. Sed est diversa ratio, quia illud est sacramentum per modum generationis, cui nemo genitus cooperatur; hoc vero est per modum cibi, quem nemo per se ipsum non sumit et comedit. Videtur igitur damnandus sub hac forma: *Nulli licere, etiam sacerdoti celebranti, communicare se ipsum*[23]. Et omitterentur alii casus dubii.

Nonus articulus. Quoad primam partem sentio cum illis, qui iudicarunt damnandam. Quantum enim ad efficaciam sacramenti certe nihil amplius sub utraque specie continetur quam sub altera tantum; totus enim Christus cum anima, sanguine, corpore et deitate non minus sub | vini quam sub panis specie cuique sive laico sive sacerdoti confertur. Verum quantum ad significantiam spectat, aliud est. Sic enim eucharisticum hoc sacramentum repraesentat sacrificium, quod pro nobis in cruce Christus obtulit, cum videlicet a corpore sanguis 6r
erat separatus, quod ministerium magis ad consecrantem quam ad suscipientem pertinet, quamvis etiam ipse sacerdos in persona omnium sanguinem sumat et offerat. Nec faciunt pro laicis verba illa: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis etc.*[17], quoniam ibi nihil de speciebus sacramentalibus, sub quibus traditur Christi corpus, et quia etiam qui sub specie panis Christum

[14] 1 Cor. 12, 4s.

[15] Apologia Conf. Aug., art. XXIV, n. 69 (l. c. 369, 27ss.).

[16] Ibid. art. XXIV, n. 70 (l. c. 369, 36ss.).

[17] Io. 6, 54.

[18] Decr. pro Armenis (e bulla *Exultate Deo*), c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 D. *Denzinger*, Enchiridion[34] n. 1322).

[19] Vom Abendmahl Christi Bekenntnis: „Das er [Oecolampadius] aber sagt: Wenn man leret, das Christus leib leiblich essen vergebe die sunde etc., das sey widder den glauben, antwort ich: Das halt ich warlich auch" (WA XXVI 292, 32–34). Ibid.: „Christus hat ein mal der sunden vergebung am creutz verdienet und uns erworben. Aber die selbigen teylet er aus, wo er ist ... Darumb sagen wir, ym abendmal sey vergebung der sunden nicht des essens halben, odder das Christus daselbs der sunden vergebunge verdiene odder erwerbe, sondern des worts halben, dadurch er ... spricht: *Das ist mein leib* ... Hie hörestu, das wir den leib als fur uns gegeben essen und solchs hören und gleuben ym essen, drumb wird vergebunge der sunden da ausgeteilet, die am creutz doch erlanget ist" (l. c. 294, 25s. 30–36).

[20] Vide vota Martini Olavei (Conc. Trid. VII, I 131, 14) et Francisci de Toro (supra p. 104, 54ss.) et *iudicium theologorum min.*, Conc. Trid. l. c. 142, 28s.

[21] Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, *Hefele-Leclercq* II, I 15 cum adn. 2.

[22] Cf. votum Ambrosii Pelargi (Conc. Trid. VII, I 132, 16) et *iudicium theologorum min.* (ibid. 142, 27).

[23] Cf. infra p. 176, 18.

Digitized by Google

sumit, is et carnem eius manducat et sanguinem bibit, qui nusquam ab hac specie panis separatur.

Quoad secundam partem forsan expediret, ut sancta synodus nihil dubitaret declarare, quod communiter non est utilius populo communicare sub utraque quam sub una, vel ita, quod sumens laicus sub una specie nullum inde sustinet *detrimentum*, quae sunt verba b. Thomae[24]. Ex quibus satis infertur, quod non perdit uberiorem gratiam. Alioquin non video, quomodo dici posset, quod nullum sustineat detrimentum et quod maior gratia vel minor respondeat vel maiori vel minori praeparationi, et videamus, quod pleraque pars populi vix se praeparet tota quadragesima ad dignam sumptionem in paschate. Non video, cur non possit hoc asseri intrepide, praesertim cum non videamus communicantes sub utraque meliores esse communicantibus sub altera. Quod si haec declaratio fieret, forsan mitigaretur invidia, quae inde excitata est adversus pontifices et clerum, quod, quasi invidentes populis maiorem gratiam, abstulissent eis communionem utriusque speciei, licet non ignorem, quod iste tumultus excitatus est, quia multi non credunt tantumdem contineri sub una specie quam sub altera.

Quod si hoc non placet patribus, sentio nihil esse statuendum de uberiori gratia, sed aut declarandum articulum aut expungendam integram secundam partem, quia videtur repetere et declarare primam. Nec interim tacebo aliam causam erroris, quae eos impulit ad communicandum sub utraque, quia dicunt habere pro se illa verba Christi: *Bibite ex eo omnes*[25]. Asserunt autem, quod, cum nihil interesse putent inter sacerdotem et plebem, quod omnibus dictum sit: *Bibite*. Conantur autem errorem tueri ex illo loco Petri perverse intellecto, ubi Christianos vocat *regale sacerdotium*[26], quod non de consecratione, sed de gratia unionis ad Christum, qui rex et sacerdos est[27], intelligitur, et quatenus *spirituales hostias* se ipsos *offerunt Deo*[28]. Sed istos non pudet asserere feminas etiam consecrare posse[29], quas Paulus vel loqui in ecclesia prohibet[30]. Sed de hoc erit proprius locus, cum de sacramento ordinis agetur.

De decimo [articulo] quoad secundam eius partem iam dixi sententiam meam, cum scilicet de ordine articulorum agens decimum pertractarem[31]. Dico etiam desiderare me, quod de hoc sacramento, prout est sacrificium, simul actum fuisset et decretum, ne videremur dividere unitatem sacramenti et continentiam, et de eodem etiam, prout consideratur sicut viaticum, praesertim cum de eo agamus ibi, cum dicitur esse asservandum pro infirmis.

Ceterum quoad articulos 1, 3, 5, 6, 7, 8 subscribo illorum DD. theologorum sententiae, qui censuerunt eos omnes uno anathematis mucrone feriendos[32] tanquam adversantes sanae doctrinae catholicae et antiquae ecclesiae auctoritati, unitati, traditioni, probatis conciliis et sanctorum patrum, qui nos praecesserunt, consentioni et haereticos, schismaticos, blasphemos et impios, quibus assertores conantur nobis tollere Dominum nostrum Iesum Christum eiusque realem praesentiam in sacramento. ⌜Eorum autem articulorum discussionem omisi causa brevitatis, quam iniunxerat R^mus D. legatus[33], licet postea viderim neminem ei studuisse⌝[a]. |

6v [b]Articuli ultra propositos, qui videntur damnandi

Oecolampadius. In coena novissima non tradidit Christus corpus suum discipulis, sed panem consecratum[34].

Colonienses. Eucharistiam non dandam infirmis, sed panis benedictus[35].

[a] *postea add.* [b] *Sequentia manu auctoris propria postea add.*

[24] Summa th. III, qu. 80, art. 12 ad 3: „potest a populo corpus sine sanguine sumi; nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit".

[25] Matth. 26, 27.

[26] 1 Petr. 2, 9.

[27] Cf. Ps. 109, 4.

[28] 1 Petr. 2, 5; 1 Tim. 6, 15.

[29] *M. Luther*, Ein Sermon von dem neuen Testament, d. i. von d. hl. Messe: „darumb seyn all Christen man pfaffen, alle weyber pfeffyn" (WA VI 370, 25s.).

[30] 1 Cor. 14, 34.

[31] Vide supra p. 171, 32ss.

[32] Vide *iudicium theologorum min.*, Conc. Trid. VII, I 142, 3ss.

[33] Modus praefixus theologis: „Utantur brevitate" (ibid. 114, 11).

[34] De genuina verborum Domini expositione: „hoc ignorabat Christus, qui tam vinum quam panem consecravit ritumque illum instituit" (l. c. f. D 8v). Ibid.: „Non est enim consecrare unam rem in aliam vertere vel includere, sed commendare ut rem ulterius non communem et prophanam, sancto autem usui, hoc est in hoc loco memoriae passionis et foederi charitatis dedicare et accommodare" (l. c. C 8r).

[35] Von Gottes genaden unser Hermans ertzbischoffs zu Cöln u. churfürsten etc. einfaltigs bedencken, warauff ein christl. ... Reformation ... anzurichten seye: Von communion der bilger und krancken: „Wo aber die kranckheit deren, die der communion begeren, so groß sein wurdt, das sie nitt zur kirchen kommen mögen, da sollen die pastoren zu ihnen gohn und das hl. abendtmal bey ihnen halten ... auff folgende weiß, die für die krancken geordnet ist" ([Bonn] [2]1544, 111v). Ibid.: „Auff das spreche der pastor das *Vatter unser*, wünsche den frieden und lese dan für mit klarer

Extra missam et sacrificium confici sacramentum[36].

Sacramentum non vere confici nisi coram tota communitate[37].

Lutherus. Licet recitatio verborum Christi in coena sit necessaria ad veram et realem sumptionem corporis Christi, illa tamen verba non efficiunt eiusdem sacratissimi corporis praesentiam, sed fides sumentis[38].

15.

Petrus Tagliavia, archiepiscopus Panormitanus Sententia super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 21. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 9r–10r *(autogr.)*

Super assignatis articulis de coena et mensa Domini, quam praeparavit Christus *in conspectu* Conc. 14 9r *nostro adversus* omnes, *qui tribulant* nos[2], mea sententia est omnes illos esse falsos, blasphemos et haereticos, cum aperte contradicant eloquiis divinis, evangelicis et apostolicis, nec non etiam conciliis universalibus determinationibusque summorum pontificum et sanctorum patrum, demum consuetudini ecclesiasticae a principio legis evangelicae ad haec usque tempora, quemadmodum ex discussionibus theologorum satis abunde accepimus. Verum quia theologi in duobus praesertim, nono et decimo, non satis fuerunt concordes, iccirco et de his dicam sententiam meam.

Et primum circa nonum articulum, super quo theologi contenderunt, nunquid uberior gratia daretur communicanti sub utraque specie quam sub una tantum, et diversi diversa senserunt, meum tamen iudicium est tantundem sumi sub altera tantum specie quantum sub utraque. Siquidem usus alterius speciei tantum in nullius cedit detrimentum, eo quod ibi totus est Christus usque adeo, ut nihilo plus sacerdos sumat sub panis ac vini speciebus quam simplex laicus sub altera tantum, quod quidem ad Christum pertinet, nisi quod sacerdos eundem Christum etiam sub specie vini suscipit. Species autem nihil virtutis aut efficaciae addit sacramento, quia tantum est signum, nec quicquam operatur in animam hominis, sed ipse Christus, qui aeque est sub una tantum | specie ac sub utraque. Quantum vero utilitatis et fructus laycis 9v sumptio calicis attulerit, experientia et rei eventus nos edocuit. Corpus pariter et sanguinem Christi amiserunt necnon fidem in illum et gratiam et misericordiam atque adeo regnum coelo-

[a] *Massarellus in marg. superiore haec not.:* Sententia R. D. archiepiscopi Panormitani super articulis de sacramento eucharistiae recitata in congregatione generali die 21. Sept. 1551

stimme die wort der einsatzung des hl. abentmals nemlich: *Inn der nacht etc.* mit dem gebet *Vatter unser etc.* ... Und darauff solle dem krancken das gantze sacrament gereicht werden" (l. c. 113r). Cf. Antididagma seu christ. et cath. religionis per ... canonicos metropolitanae ecclesiae Coloniensis propugnatio, de sacramento altaris: „Reformationis liber vult, ut pastor visitans infirmos in domibus extra missam verba tantum institutionis huius sacramenti, nempe: *In qua nocte Dominus tradebatur etc.* una cum oratione dominica super panem et vinum debeat pronunciari atque ita porrigere infirmo sacramentum" (Coloniae 1544, 44r. Venetiis 1547, 79r).

[36] Antididagma ibid.: „Atque ita facile est videre, quod liber permittat pastori etiam a prandio extra omnem missam et sacrificium et absque gratiarum actione praecedente conficere sacramentum apud infirmos in domibus eo, quo diximus, more" (Coloniae l. c. 44v. Venetiis l. c. 79v).

[37] Unser Hermans ... einfaltigs bedencken: Wen das hl. abendtmal zu halten sey: „So wöllen wir, das das h. abendtmal ... allein gehalten werde auff die sontag und fest oder so ... die gantze gemein Christi versamlet sein würdt" (l. c. 100v). Cf. Antididagma ibid.: „Immo vult, ut coena tantum dominicis aut festis diebus, aut quibus communitas orationis causa alioqui tota fuerit congregata, observetur. Sanctos item patres arbitrari sacramentum istud non vere confici aut observari, nisi coram tota fraternitate celebretur" (Coloniae l. c. 53v. Venetiis l. c. 93v).

[38] *M. Luther*, De abroganda missa privata II 2: „Promittitur traditio corporis et effusio sanguinis in remissionem peccatorum ... Ad promissionem autem requiritur fides accipientium promissionem ... Et ubi fides non fuerit, promissio nihil sit. Atque ut promissio gratuita venit ..., ita suscipitur sola fide sine operibus" (WA VIII 436, 25–32). *Idem*, Ein Sermon von dem hochw. Sakrament des hl. Leichnams Christi: „Es ist nit gnug, das man wysse, was das sacrament sey und bedeute ..., sondern du must seyn auch begeren und festiglich glauben, du habst es erlangt" (WA II 749, 32–35). *Idem*, De captivitate Babylonica: „nulla manducatio vivificat nisi fidei" (WA VI 502, 13).

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 147, 1–7. De auctore cf ibid. adn. 1; articulos de eucharistia examinandos vide ibid. 111–114.

[2] Ps. 22, 5.

Digitized by Google

rum, negantes iam Christum naturaliter et essentialiter esse in sacramento, sed tantum per figuram.

Alterum, in quo ex aequo non convenerunt theologi, an confessio sit necessaria ante sumptionem eucharistiae, quibusdam affirmantibus necessariam, aliis vero negantibus. Mea tamen opinio est accedentem ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, si copiam habere poterit sacerdotis vel confessoris, sive etiam malus fuerit, debere prius confiteri et aliqualiter *satisfacere*, ut dicitur ab Augustino lib. De ecclesiasticis dogmatibus[3], quia tenetur homo non solum *se ipsum probare*, sed etiam clavibus ecclesiae se ipsum subiicere, antequam *de pane illo edat et de calice bibat*[4]. Propter hoc enim ecclesia consuevit confessionem, ad quam singuli tenentur semel in anno[5], in quadragesima facere, ut mundi non solum apud Deum sed etiam secundum iudicium ministrorum ecclesiae ad eucharistiam fideles accedant in pascha. Qui vero copiam sacerdotis habere non potest, ei sufficit contritio ad sumptionem huius sacramenti.

Haec est mea opinio de propositis duobus praesertim articulis, quam submitto iudicio et censurae oecumenicae synodi. |

10r De secundo vero et quarto articulis, an illos asserant vel non asserant haeretici, cum eorum libros non legerim unquam, remitto me iis, qui legerunt.

Sextus vero articulus meo quidem iudicio ita occurrit formandus:

Non licere, ut quis se ipsum communicet, etiam si sacerdos fuerit sacrificans vel *sacra faciens*[6].

16.

Petrus Guerrero, archiepiscopus Granatensis Sententia super articulis de eucharistia[1]

Tridenti, die 21. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14, 7r (autogr.)*

Conc. 14 7r Sententia mea super propositos decem articulos est hec:

Articulus primus

Primum articulum in omnibus suis quatuor partibus censeo esse hereticum.

Articulus secundus

Secundum articulum, quia intelligo eum sic: Christum *exhiberi in eucharistia spiritualiter manducandum et non sacramentaliter*[2], id est realiter vel corporaliter, et sic includit primum aut includitur in eo, ideo censeo etiam esse hereticum.

Articulus tertius

Inquantum in tertio articulo negatur vera transubstantiatio et asseritur permanentia panis et vini, est etiam hereticus et pro tali habeo illum.

Articulus quartus

Quia in articulo quarto mens asserentium est *sacramenta non conferre gratiam* et ita nec eucharistiam, et non esse in nobis iustitiam formalem preter *solam iustitiam Christi*[3], et hec duo damnata sunt per hanc sanctam synodum[4], ideo damno eum et anathematizo.

[a] *Massarellus in marg. superiore haec adn.:* Super articulis de sacramento eucharistiae die 21. Septembris 1551

[3] Qui liber aliquando Augustino adscriptus re vera est *Gennadii Massiliensis;* cf. ibid. c. 23, alias 53 (*Migne*, PL XLII 1218 et LVIII 994).

[4] Cf. 1 Cor. 11, 28.

[5] C. 12 *Omnis utriusque* X de poenit. et remiss. V 38 (*Friedberg* II 887).

[6] Cf. Conc. Trid. l. c. 113, 4s.

[1] Vide excerpta e sententia Granatensis a Massarello Actis inserta (Conc. Trid. VII, I 147, 8–24), e quibus apparet archiepiscopum *longa doctaque oratione* articulos examinasse, quae vero non iam exstat. De auctore cf. ibid. adn. 2. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 946–962. *A. M. Ocete*, El arzobispo Don Pedro Guerrero y la politica conciliar española en el siglo XVI, I, Madrid 1970, 244.

[2] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 1s.

[3] Hoc loco applicentur, quae Granatensis in voto dicto e libris Melanchthonis et Brentii allegavit, l. c. 147, 13s.

[4] Sess. VI, de iustificatione can. 11 (Conc. Trid. V 798, 22). Sess. VII, de sacram. in gen. can. 6–8 (ibid. 995, 19ss.).

Digitized by Google

Articulus quintus

Quintum articulum quoad eius omnes quinque partes damno et assero esse hereticum, quia, ut ex ultima parte liquet, sensus asserentium et mens est non esse Christum vere et realiter in hoc sacramento, et ideo omnia contenta in articulo tollunt ab eucharistia.

Articulus sextus

Sextum articulum eadem ratione damno, quia due prime partes includunt primum articulum et tertia: *non licere, ut quis seipsum communicet*[5], includit quartum, scilicet *esse institutam eucharistiam ob solam remissionem peccatorum*[6].

Articulus septimus

Articulum septimum velut etiam fundatum in primo et includentem illum iudico etiam hereticum.

Articulus octavus

Octavum articulum quoad eius omnes partes dico esse hereticum, et quia ad mentem asserentium fundatur in primo et quia asserit ecclesiam errare in re omnibus necessaria ad salutem.

Articulus nonus

Articuli noni primam partem assero esse hereticam, cum secundum fidem totus Christus contineatur sub qualibet specie. Secundam vero, si sit alia a prima sic, quod asserat non tantum gratie aut fructus sacramenti conferri sub altera specie quantum sub utraque sumenti, nedum non damno, verum iudico esse probabilis veritatis cum multis doctoribus catholicis et sic omnino dimittendam absque censura aliqua vel nota. Tamen si visum fuerit sancte synodo, ut claudatur os laycis, possit definiri nullam illis fieri iniuriam ex eo, quod calice priventur, neque ex illo aliquid detrimenti pati, sed potius lucrum ex merito obedientie ecclesiae sic disponenti.

Articulus decimus

Decimum articulum quoad sui primam partem censeo hereticum, cum includat *solam fidem* sufficere ad salutem. Quoad tertiam, que est: *homines teneri ad communionem in paschate*[7], quia fundamentum habet in hoc, quod ecclesia non potest obligare sub pena peccati, etiam assero esse damnandam. Secundam vero partem, que est: *confessionem non esse necessariam ad eucharistiam sumendam*[7], non inuro nota heresys neque illam sapientis, sed censeo eam nimis noxiam saluti animarum, et que multum detrahit reverentie debite eucharistie, et necessario providendum esse per sanctam synodum sic, quod nullus audeat eam docere et omnes intelligant confessionem necessario prerequiri in omni sumpturo eucharistiam, si fuerit conscius sibi peccati mortalis.

P[etrus] archiepiscopus Granatensis.

17.

Ludovicus Chieregatus OFM de observ., archiepiscopus Antibarensis Sententia super articulis de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 21. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14,* 11r *(autogr.)*

Optarem audivisse in censura horum articulorum tot sanctissimorum patrum sententias, e quibus facilius[b] perspexissem[c], quid ab ecclesia explodendum quidve admittendum. Cum voti compos nequiverim esse, minus exactam[d] cogor dicere sententiam, quam per vestram benignitatem boni consuletis. Conc. 14 11r

Cum theologi omnes ex sacris litteris, ex sanctissimis conciliis, ex patrum placitis ut hereticos damnaveri[n]t primum, tertium, quintum, sextum, septimum, octavum articulos[2], eorum

[a] *Massarellus hunc titulum in marg. superiore adn.:* Antibarensis. Super articulis de sacramento eucharistiae, die 21. Sept. 1551 [b] *cod.* faccilius [c] *cod.* perspecissem [d] *cod.* exatam

[5] Cf. Conc. Trid. VII, I 113, 4s.
[6] Cf. ibid. 112, 20. [7] Cf. ibid. 114, 2s.
[1] De hac sententia Massarellus in Actis mentionem non fecit, quamquam ipse eam die 21. Sept. datam esse in margine adnotavit; cf. adn. a.
[2] Cf. Conc. Trid. VII, I 142, 3–17.

Digitized by Google

sententiis non possum non me subscribere. Dico igitur haereticos esse et ut haereticos ab hoc sanctissimo concilio damnandos.

De secundo articulo, cum varie senserint theologi, meum est iudicium, quod, si articulus certum aliquem habet autorem, damnandus est et meo calculo damno; sin[a] minime, quod de [eo] nulla fiat mentio. Laudo consilium eorum, qui dixerunt vice istius damnandam esse propositionem Oecolampadii: „Nulli exhibetur Christus sacramentaliter, si etiam spiritualiter non exhibeatur"[3].

De articulo quarto, quod institutum est sanctissimum hoc sacramentum *ob solam remissionem peccatorum*[4], idem sentio, quod, si ullus ex hereticis reperitur, qui illum asseruerit, damnandus est; si nullus ex ipsis eum asseruerit, superfluum arbitrarer.

De articulo sexto, quod nulli fas est *se ipsum comunicare*[5], vellem, ut damnaretur in propriis verbis nullo posito discrimine inter sacerdotes et laicos, cum ipsi simpliciter asseruerint.

De articulo nono: *tantum* quis *sumat sub una spetie quantum sub ambabus*[6], placeret, ut damnaretur nulla facta de gratia mentione, an scilicet[b] quis maiorem assequatur sub duabus et minorem sub una.

De ultimo[c] articulo quoad necessitatem confessionis[7] placeret, quod determinaretur necessariam esse saltem in voto, absolute autem nequaquam.

Hec sunt, quae ex tempore occurerunt[d], quae omnia iudicio sacrosancti concilii submito[d].

Et ego Ludovicus archyepiscopus Antibarensis manu propria me subscripsi.

18.

Caspar Ioffredus, episcopus Segobricensis
Sententia super articulis de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 22. Septembris 1551[e]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 13r *(autogr.)*

Conc. 14 13r De articulis propositis, Ill[me] Domine Vosque, Patres gravissimi, haec mea est sententia: articulos a theologis damnatos damnari omnino debere.

Quod vero ad alios attinet, in quibus aliqua est controversia, sic censeo articulum secundum, quod exhibeatur Christus spiritualiter tantum et non sacramentaliter manducandus, damnari debere, si eius aliquis autor inveniatur[2].

Idem iudico de quarto, quod scilicet *eucharistia instituta sit ob solam remissionem peccatorum*[3], si autorem habeat, damnandum esse; alioqui hos duos articulos expungi posse.

Non licere, ut aliquis seipsum communicet[4], intelligendo de sacerdote articulus est Luteri[5] et in eo sensu est damnandus. Neque oportet mentionem facere de laico, an in casu necessitatis seipsum communicare possit.

[a] *cod.* sim [b] *cod.* cilicet [c] *cod.* vultimo [d] *cod. sic*
[e] *Massarellus loco tituli in marg. superiore haec adn.:* R. D. Segobricensis super sacramento eucharistiae die 22. Sept. 1551

[3] Cf. ibid. 142, 23s. *Io. Oecolampadius*, De genuina verborum Domini *Hoc est* ... expositione liber: „Et primum in spirituali manducatione videamus, quomodo caro carnali sua praesentia nihil faciat. Spiritualia enim sunt, quae hic aguntur" (Basileae 1525, E 4r). Ibid.: „Insuper, quod ad illam sacramenti carnei continentiam facit, nihil ex sexto capite Ioannis probari potest. Idem est *manducare carnem* et venire ad Christum et credere in Christum et in fide diligere" (l. c. F 4v).
[4] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 20 cum adn. 5; 142, 25.
[5] Ibid. 113, 4s.; 142, 30.
[6] Ibid. 113, 20s.; 142, 36s.
[7] Ibid. 114, 1ss.; 143, 3ss.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 150, 5–10; de auctore cf. ibid. adn. 1. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 528s.
[2] Cf. *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 18 (Corp. Ref. XC 787, 6ss.).
[3] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 20 cum adn. 5.
[4] Cf. ibid. 113, 4s.
[5] *M. Luther*, Formula missae et communionis: „perversissimum est, si ministri publicam caenam Domini parent et ornent, ubi nulli sint hospites, qui edant et bibant, et ipsi soli ... in vacua mensa et aula comedant et bibant" (WA XII 215, 13–15). *Idem*, De captivitate Babylonica (WA VI 525, 9).

Digitized by Google

Nonus articulus etiam damnari debet intelligendo secundam partem de re sacramentali; neque enim intelligendo de gratia iudico aliquid definiri debere.

Partem de confessione[6] falsam esse iudico et damnandam hoc modo, ut sacrosancta synodus omnes moneat et hortetur, ut accessuri ad sanctum eucharistiae sacramentum diligentissime *seipsos probent*[7] non solum per peccatorum contritionem, sed per accessum etiam ad sacramentalem confessionem. Eorum vero sententiam, qui aiunt cum conscientia peccati mortalis et habita copia idonei sacerdotis posse aliquem aut celebrare aut ad hoc sacramentum suscipiendum accedere non praecedenti confessione sacramentali, periculo magno non carere et vitare potius omnes eam quam imitari debere.

Quae omnia submitto iudicio sanctae synodi.

19.

Ioannes Fonseca, episcopus Castellimaris Sententia in decem articulos sacramenti eucharistiae[a]

synodo propositos[1] per Ill^mum et R^mum D. cardinalem Marcellum, legatum a latere S^mi D. N. Iulii III, et per R^mos DD. praesidentes

Tridenti, die 22. Septembris 1551

Arch. Vat., *Conc. 14*, 123^r–137^v *(copia coaeva)*

[Articulus primus] Conc. 14 123^r

In eucharistia non esse re vera corpus et sanguinem neque divinitatem D. N. Iesu Christi, sed tantum ut in signo[2].

Iste articulus pugnat e diametro cum omnibus evangelistis, cum Math. c. 26 [26s.], cum Marc. c. 14 [22s.], cum Luca c. 22 [19s.], cum Io. c. 6 [54–59], ubi clare ostenditur a Christo illis pronominibus *hoc* et *hic* esse verum corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini. Pugnat cum Paulo 1 Cor. 11 [23s.]: *Ego enim accepi a Domino* et paucis interpositis: *Accipite et manducate etc.* et ad Hebr. 9 [22], ubi dicit *non fieri remissionem* in veteri lege *sine sanguinis effusione*[b]; a fortiori in nova lege [non] debebat fieri remissio peccatorum sine sanguinis effusione ipsius Christi, eo testante Luc. 22 [20]: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, ubi certe non dixit Christus: Hoc est signum corporis mei vel sanguinis mei.

Et sancti patres intellexerunt veritatem ex verbis Io. 6 [55]: *Qui manducat meam carnem etc.* Hilarius 8 De trinitate, et habetur de consecr. dist. 2 c. [82] *In Christo:* „In Christo", inquit, „nos vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus"[3]. — Augustinus in Ps. 33, ubi adducit illud 1 Reg. 20[4], quod David *ferebatur manibus suis*, quando portavit panes propositionis, figuram corporis Christi[5], ut testatur Hieronymus in primum caput ad Titum[6]. — Damascenus lib. 4 c. 14 ait: „*Hoc est corpus meum*, non figura corporis mei"[7]. — Theophilactus idem in 26. c. Math.[8] — Fuit error Berengarii damnatus in concilio Vercellensi[9] sub | Vittorio[c] II et in concilio Romano[10] sub Nicolao II. Et ante Berengarium fuit damnatus error iste in concilio Ephe- 123^v

[a] *Massarellus f. 123^r in marg. superiore haec adnotavit:* super articulis de sacramento eucharistiae die 22. Sept. 1551 [b] *cod. perg.:* ipsius Christi *(del.)* [c] *cod. sic*

[6] Videl. art. 10, Conc. Trid. l. c. 114, 1ss.

[7] 1 Cor. 11, 28.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 150, 20–151, 26. De auctore cf. ibid. 150 adn. 3. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 616–621. Articulos de eucharistia propositos vide Conc. Trid. l. c. 111–114.

[2] Cf. Conc. Trid. l. c. 111, 10s.

[3] De trinitate VIII, c. 13 (*Migne*, PL X 246 A s.). *Friedberg* I 1346s.

[4] Potius 1 Reg. 21, 13.

[5] Enarratio in Ps. 33, serm. 2, c. 2 (CChr. XXXVIII 283, 40ss.).

[6] Comment. in epist. ad Tit. 1, 8s. (*Migne*, PL XXVI 603 B).

[7] De fide orthodoxa IV, c. 13 (*Migne*, PG XCIV 1149/50 A).

[8] Enarratio in Matth. 26, 26 (*Migne*, PG CXXIII 443/44 C).

[9] De concilio Vercellensi, quod praesente Leone IX (non Victore II, 1054–1057) iam die 1. Sept. 1050 Berengarii doctrinam damnavit, vide supra p. 102, adn. 33.

[10] Synodus 113 episcoporum a Nicolao II Romae in basilica Lateranensi ineunte mense Apr. 1059 habita, quae Berengarium ad abiurandam haeresim coegit; cf. supra p. 102, adn. 35.

Digitized by Google

sino[11]. Fuit etiam error Ioannis Vuicleff damnatus in conciliis Florentino[12], Constantiensi[13] et Lateranensi[14].

Ultima pars huius articuli est: *non esse divinitatem D. N. Iesu Christi in eucharistia.* Haec pars impugnatur eisdem authoritatibus et sententiis patrum et conciliorum decretis, quibus impugnata est prima pars; nam bene sequitur: In eucharistia est verum Christi corpus, ergo et divinitas Christi, cum sint unita hypostatice et inseparabiliter iuxta Damasceni sententiam dicentis: Quod semel assumpsit, nunquam dimisit[15]. Et sic relinquo hunc articulum quoad utramque eius partem hereticum et ab hac sacrosancta synodo pro tali condemnandum.

[Articulus tertius]

In eucharistia esse quidem corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transubstantiatio...[16]

Hic articulus est contra Math. c. 6 [11] dicentem: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, super quibus verbis Ambrosius lib. 4 De sacramentis ait: „Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserunt, corpus Christi est"[17]. Idem sentit Augustinus de verbis Domini serm. 28[18] et Chrisostomus, qui ait: „Sicut cera presentia ignis anihilatur[a], sic substantia panis et vini verbis consecrationis accedentibus"[19].

Sed irrident haeretici verbum *transubstantiationis*, quibus respondet Hieronymus super 1. et 124r 5. cap. ad Gal.: „Novis", inquit, „rebus nova fingenda sunt nomina"[20]. | Praeterea Graeci non offenduntur verbo *transelementationis* et Latini offenduntur verbo *transubstantiationis*. Nam Theophilactus in 14. c. Marci interprete Oecolampadio (hoste coniuratissimo huius sanctissimi sacramenti) vocat *transelementationem*[21], quam nos dicimus *transubstantiationem.*

Caeterum quod dicitur in articulo: esse *unionem hypostaticam humanitatis et substantiae panis et vini*, magnam ignorantiam ostendit, quia humanitas Christi non est suppositum, sed suppositata, et ad hoc, quod unirentur hypostatice (ut isti aiunt), oporteret humanitatem Christi per se subsistere et separatam esse a Verbo, ut tenent doctores, potissimum Scotus in III Sententiarum[22]. Cum igitur hoc fieri nequeat secundum fidem, sequitur etiam impossibile esse, quod sit unio hypostatica humanitatis et substantiae panis et vini, ut in articulo continetur. Demum iste error fuit damnatus in conciliis Florentino[23], Constantiensi[24] et Lateranensi[25].

Ideo cum praedictus articulus contrarietur sacris literis, sanctorum patrum sententiis et sacris et approbatis conciliis, censeo eum falsum, scandalosum et hereticum et ex consequenti ab hac sacrosancta synodo damnandum.

[Articulus quintus]

Christum in eucharistia non esse adorandum neque festis venerandum...[26]

Iste articulus continet quinque partes, quarum quelibet est haeretica. — Contra primam et ultimam partem est Augustinus in Ps. 98 [5] super illud: *Adorate scabellum pedum eius*[27] et in Ps. 21 [30]: *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae:* „Manducaverunt", inquit,

[a] *cod. sic*

11 *Cyrilli Alexandr.* epist. 3 ad Nestorium synodica, c. 7; vide supra p. 135, 27ss. cum adn. 37 et 39.

12 Decr. pro Armenis, c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 C); cf. supra p. 97, 6 cum adn. 6.

13 Sess. VIII, errores Io. Wicleff damnati n. 1 et 3; vide supra p. 111, adn. 4.

14 Conc. Lateranense IV (a. 1215), c. 1 *Firmiter* (*Mansi* XXII 982) = c. 1 X de s. trinitate I 1, § 3.

15 *Io. Damascenus*, De fide orthodoxa III, c. 6 et c. 27 (*Migne*, PG XCIV 1005/06 B; 1097/98 B). Cf. *Io. Duns Scotus*, In III Sent. dist. 2, qu. 2, n. 1 (Opera XIV, Parisiis 1894, 127).

16 Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.

17 De sacramentis IV, c. 5, 23 (CSEL LXXIII 56, 19s.).

18 *Ps.-Augustinus*, serm. 84 in appendice (olim de verbis Domini 28), c. 3 (*Migne*, PL XXXIX 1908), qui sermo totus fere exscriptus est ex *Ambrosii* lib. De sacramentis. Cf. Conc. Trid. V 877, 3 cum adn. 3.

19 *Io. Chrysostomus*, De poenitentia hom. 9, c. 2 (*Migne*, PG XLIX 345). Cf. *A. Naegle*, Die Eucharistielehre des hl. Ioh. Chrysost. 91 cum adn. 3.

20 Comment. in epist. ad Gal. III, c. 5, 26 (*Migne*, PL XXVI 452 B), quae sumpta sunt e *Ciceronis* lib. 1 Academ., c. 7, 25, et De natura deor. I, c. 17, 44.

21 *Theophylactus*, Enarratio in evang. Marci c. 14, 22s.: μεταστοιχειοῖ *transelementat* (*Migne*, PG CXXIII 651/52 A). Latina versio Oecolampadio interprete a. 1524 in lucem prodiit; cf. *E. Staehelin*, Oekolampad-Bibliographie l. c. 45, n. 93. *Io. Oecolampadius*, De genuina verborum Domini *Hoc est* ... expositione liber: „Invaluit postea pernitiosus error scriptoribus luxuria verborum magnificentiam rei attestantibus, nunc transelementationem, nunc versionem vocare audentibus" (Basileae 1525, D 3r).

22 *Io. Duns Scotus*, In III Sent. dist. 2, qu. 2, n. 4 (l. c. 128).

23 Decr. pro Armenis: „ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur" (*Mansi* XXXI 1057 C).

24 Sess. VIII, errores Io. Wicleff n. 1; vide supra p. 111, adn. 4.

25 Conc. Lateranense IV, c. *Firmiter*, § 3; vide supra adn. 14.

26 Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 22ss.

27 Enarr. in Ps. 98, c. 9 (CChr. XXXIX 1385, 23ss.); cf. Conc. Trid. V 886, 45ss.; VII, I 150, adn. 5, et supra p. 100, 5.

Digitized by Google

„corpus humilitatis suae et adoraverunt eum omnes divites terrae“[28]. Praeterea cum ex impugnatione primi articuli constet | verum Christi corpus esse in sacramento eucharistiae, cui non 124v
minor adoratio nec cultus debetur quam ipsimet Christo, vero Deo et homini ad dexteram Dei patris in coelis sedenti[29], cum sit ille idem Christus, qui ad dexteram Dei patris sedet et latet sub speciebus panis et vini in sacramento eucharistiae, sequitur, quod in hoc sacramento est adorandus. Praeterea cum iste articulus asserat Christum in eucharistia esse, cur, quaeso, non erit adorandus? Concludo igitur Christum in eucharistia adorandum esse et ex consequenti eius adoratores non esse veros idolatras, cum adorent suum verum Deum, creatorem et redemptorem mundi, per quem creati et redempti sumus.

Secunda pars: *neque festis venerandum.* Haec pars haeretica est et contra Paulum 1 Cor. 5 [8] dicentem: *Epulemur non in fermento malitiae et nequitiae, sed in azimis sinceritatis et veritatis,* ubi *epulari* significat *laetari* et festa agere. Est etiam contra Luc. c. 15 [23s.], quando reverso filio prodigo pater occidit *vitulum saginatum* et convocavit amicos, qui duxerunt choros, quem locum pertractans Augustinus lib. 1 Questionum evang. c. 13 aperte docet festum istud dicens: „Istae epulae atque festivitas nunc celebrantur per orbem terrarum ecclesia dilatata atque diffusa[a]. Vitulus enim ille saginatus in corpore et sanguine Domini offertur patri“[30]. De huiusmodi festo habetur institutio in concilio Viennensi, et habetur in c. [un.] *Si Dominum* [in Clem.] de reliqu. et venerat. sanct. [III 16], ubi etiam refertur fuisse *quibusdam* sanctis *revelatum* hoc festum fore instituendum *in ecclesia*[31].

Contra tertiam vero partem: *non esse in processionibus circumgestandum* adduco duas figuras veteris testamenti praefigurantes hanc processionem. Prima est Iosuae 2[32], | ubi scribitur de 125r
arca foederis, quae *clangentibus tubis* circumferebatur in circuitu Hierico. Secunda figura est ex 2 Reg. 6 [14s.], quando *David deducebat arcam testamenti cum iubilo* et *saltabat*[b] coram principibus et populo. Si ergo umbrae et figurae huius sanctissimi sacramenti deducebantur processionaliter cum magno iubilo regis et populi, a fortiori arca foederis novi testamenti, hoc est hostia salutaris, in qua reconditur verum Christi corpus, debet circumgestari in processionibus.

Neque ad infirmos deferendum. Haec quarta pars huius articuli est contra concilium Vuormacense[c], et habetur de consecr. dist. 2 c. [93] *Presbiter*[33], et contra concilium Remense et contra c. [29] *Pervenit*[34] et contra concilium Nicenum can. 12[35] et contra concilium Arelatense[d] II c. 12[36], in quibus conciliis habetur expresse sacramentum istud eucharistiae esse necessarium vitae viaticum, ut figuratum fuit in Helia, qui *in fortitudine cibi ambulavit usque ad montem Dei Oreb*[37].

Et sic relinquo praedictum articulum quoad omnes eius quinque partes esse falsum et hereticum et ex consequenti ab hac sacrosancta synodo damnandum.

[Articulus sextus]

Non esse reservandam eucharistiam in sacrario...[38]

Iste articulus duas continet partes, quarum quaelibet est falsa et heretica. Prima pars asserit *non esse reservandam eucharistiam in sacrario.* Haec enim pars contrariatur figuris veteris testamenti figurantibus custodiam huius sacramenti. Scribitur enim Exod. 16 [32], | quod dixit 125v
Moyses populo: *Iste est sermo, quem praecepit Dominus: Imple gomor ex eo et custodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Aegipti,* ubi expresse loquitur de manna, figura huius sacramenti, ut ait Augustinus ad Ianuarium[39] et Ambrosius lib. 4 De sacramentis[40], et habetur de consecr. dist. 2 c. [69] *Re vera*[41], et est etiam contra concilium Lateranense, et habetur in c. [1] *Statuimus*[42] [X] de custodia eucharistiae

[a] *cod.* difussa [b] *cod.* psaltabat [c] *cod. sic* [d] *cod.* Arrelatensi

[28] Enarr. I in Ps. 21, 30 (CChr. XXXVIII 121, 4s.); cf. Conc. Trid. VII, I 150, adn. 6.

[29] Cf. Matth. 26, 64; Col. 3, 1; Hebr. 1, 3.

[30] Quaestionum evang. lib. II, qu. 33 (*Migne,* PL XXXV 1346); cf. Conc. Trid. V 877, 6 cum adn. 4.

[31] *Friedberg* II 1176, e bulla Urbani IV *Transiturus* (11. Aug. 1264; *Potthast,* Reg. 18998). Cf. Conc. Trid. VII, I 160, adn. 1; 165, adn. 7.

[32] Potius Ios. 6, 6–20.

[33] Sub rubr.: *ex conc. Wormaciensi* (*Friedberg* I 1351), potius Capitula eccl. (a. 810–813?), c. 16 (MG Capit. I 179, 9s.).

[34] Sub rubr.: *ex conc. Remensi* (*Friedberg* I 1323), cap. incertum; similia leguntur in relatione episcoporum ad Hludovicum imperat. (a. 829), c. 52 (MG Capit. II 42, 32ss.) et in conc. Parisiensi (a. 829), c. 45 (MG Conc. II 639, 21ss.); cf. *Bruns* II 268. Vide Conc. Trid. V 874, 15 cum adn. 6; 886, 40s. cum adn. 6.

[35] Conc. Nicaenum I, can. 13 (*Bruns* I 18. *Lauchert* 41, 1ss.).

[36] Conc. Arelatense II (a. 442–506), can. 12 (CChr. CXLVIII 116, 40ss.).

[37] 3 Reg. 19, 8.

[38] Cf. Conc. Trid. VII, I 113, 3ss.

[39] Ad inquisitiones Ianuarii I = epist. 54, c. 3, 4 (CSEL XXXIV, II 163, 15).

[40] De sacramentis IV, c. 4, 13 (CSEL LXXIII 51, 3ss.).

[41] *Friedberg* I 1339, potius *Ambrosius,* De mysteriis 8, 47 (ibid. 109, 45ss.).

[42] *Friedberg* II 649 = conc. Lateranense IV, can. 20 (*Mansi* XXII 1007 E).

Digitized by Google

[III 44], et contra c. [10] *Sane*[43] [X] de celebr. missar. [III 41] et contra c. [3] *Officium*[44] [X] de officio archi[presb.] [I 24].

Secunda pars huius articuli est: *dandam esse praesentibus*, quae quidem pars heretica est et contra Paulum dicentem: *Probet autem se ipsum homo*, antequam *de pane etc.*[45] Sed constat, quod non omnes, qui intersunt missae, sunt probati. Ergo non est illis ministrandum sanctissimum sacramentum propterea, quia intersunt missae, quum (ut dixi) non omnes, qui intersunt sacrificio, sint probati. Praeterea peto ab eis: Quando debet dari sacramentum presentibus? Nam secundum eos eucharistia non est reservanda in sacrario. Ergo, si non est reservanda, non erit sacramentum, quod possit circumstantibus ministrari, quia illud, quod erit consecratum a sacerdote, sumetur ab eo; ergo nihil manebit pro circumstantibus. Itaque ergo sensus huius articuli videtur, quod, quando sacramentum debet renovari, ut ponatur in sacrario, tunc melius erit, quod non ponatur in sacrario, sed quod detur circumstantibus. Sed si secundum eos non est unquam in sacrario reservandum, nunquam pro circunstantibus sacerdos sacrificans conficiet sacramentum, nisi aliquis ex devotione probatus per confessionem peteret a sacerdote
126r sanctissimum | Christi corpus; secus de circumstantibus, qui non sunt probati nec parati neque petunt sumptionem huius sacramenti.

Et sic concludo praedictum articulum quoad utramque eius partem haereticum esse et ex consequenti ab hac sacrosancta synodo damnandum.

[Articulus septimus]

In hostiis seu particulis consecratis post communionem remanentibus non remanere corpus Domini...[46]

Iste articulus duas habet partes et quaelibet est haeretica. Prima pars est contra Paulum dicentem: *Nonne panis, quem frangimus, participatio corporis Domini est?*[47] et 1 Cor. 11 [23s.]: *Ego enim accepi a Domino* et paucis interpositis ait: *accepit panem et gratias agens fregit etc.*, ex quibus patet, quod in particulis consecratis est verum Christi corpus, quum ministrante Christo apostolis corpus suum sub illis particulis manibus suis fractis dicebat: *Hoc est corpus meum etc.* Est etiam contra textum in c. [77] *Singuli* de consecr. dist. 2: „In singulis", inquit, „portionibus totus est"[48]. Est etiam contra sacros canones determinantes poenas, quibus puniendi sunt sacerdotes negligentes particulas in altari vel calice[49].

Secunda vero pars, in qua habetur: *sed tantum ibi esse, dum sumitur, non ante sumptionem nec post*, haec pars insana atque haeretica est et amphibologicum habet sensum et in utroque censeo eam hereticam. Primus sensus est: *sed tantum ibi esse* referendo illud adverbium *ibi* ad particulas dimissas, in quibus asserit haec pars articuli, quod non est corpus Domini in praedictis particulis *ante sumptionem* sacramenti *nec post*, sed solum *dum sumitur*. Quam sit insanus
126v hic sensus, videant patres. Nam sequerentur multa inconvenientia et absurda, | si ita esset: primum, quod per hoc, quod particulae sunt separatae ab hostia, desinit ibi esse corpus Christi. Similiter, quod non est corpus Christi in illa particula, quae infunditur a sacerdote intra calicem, quum dicit: „Fiat commixtio et consecratio corporis et sanguinis etc."[50], quia eadem est ratio de hac particula et de aliis. Tertium absurdum est, quod, quum sacerdos sumit corpus Domini, tunc consecrantur particulae sine forma consecrationis et ex consequenti istud sacramentum non haberet formam, qua conficiatur, preter sumptionem sacerdotis taliter, quod forma nobis a Christo derelicta pro munere consecrationis fuit frustratoria. Quartum inconveniens est, quod sumptione facta desinit ibi esse in illis particulis corpus Domini, et iudicio meo iste est sensus, quem pretendit author huius articuli, quum in toto articulo non faciat mentionem nisi de particulis remanentibus post sumptionem huius sacramenti. Et ideo referendum videtur illud *ibi* ad particulas consecratas remanentes post sumptionem sacramenti.

Secundus sensus, in quo communiter intelligitur a multis predictus articulus, est, ut referatur illud adverbium *ibi* ad sacramentum, quod sumitur a sacerdote, ita ut sit sensus, quod, quando sumitur, est ibi corpus Domini et non ante nec post. Et in hoc sensu etiam praedicta pars est heretica; nam negat formam institutam a Christo habere vim consecrandi, sed totam vim consecrationis consistere in sumptione sacramenti, virtute cuius fit consecratio. Ex quo quidem sensu erroneo atque haeretico sequuntur multa inconvenientia: primum inconveniens, quod sacerdos est idolatra, quia adorat, antequam sumat, et secundum eos non est ibi corpus
127r Domini, antequam sumatur. Idem dico de populo adorante | hostiam, quum elevatur a sacerdote. Aliud inconveniens est, quod, quotiescunque aliquis sacerdos comederet aliquem panem

[43] *Friedberg* II 642.
[44] Ibid. 154.
[45] 1 Cor. 11, 28.
[46] Conc. Trid. VII, I 113, 7s.
[47] 1 Cor. 10, 16.
[48] *Friedberg* I 1345.
[49] E. gr. c. 27 *Si per negligentiam* (ibid. 1323).
[50] Missale Rom., canon missae.

Digitized by Google

azimum, consecraret illum, cum sine prolatione verborum per solam comextionem[a] vel sumptionem conficitur sacramentum. Quam sint omnia haec haeretica et absurda, iudicent patres! Quod vero remaneat post sumptionem sacramenti corpus Christi sub speciebus sumptis a sacerdote, quamdiu remanent species in stomacho sacerdotis, patet ex textu in c. [23] *Tribus gradibus* de consecr. dist. 2, ubi praecipitur, quod post sumptionem sacramenti non statim accedendum esse[a] ad alios *cibos communes*[51]. Nec valet glosa[52] illius textus, cum destruat ipsum textum.

Praeterea utraque pars huius articuli est contra factum Christi, qui accipiens *panem benedixit* et postea *fregit et dedit* apostolis *dicens: Accipite. Hoc est corpus meum*[53]. Ex quibus verbis sequitur, quod in particulis illis manibus Christi fractis et divisis erat verum Christi corpus, et similiter, quod ante sumptionem sacramenti erat verum corpus Christi in illis particulis. Praeterea in praecedenti articulo probavimus reservandam esse eucharistiam in sacrario. Ergo antequam sumatur et postquam sumitur, est verum Christi corpus tam in particulis quam in hostia a sacerdote sumpta.

[Articulus octavus]

De iure divino esse sub utraque specie etiam populum et parvulos communicare...[54]

Iste articulus duas habet partes, quarum quaelibet est haeretica. Nam ius divinum arguitur uno ex quatuor modis: vel quia in sacris literis continetur, vel quia manifeste in bona consequentia deducitur ex sacris literis, vel ex apostolorum traditione, vel ex totius ecclesiae universali consuetudine a tempore immemoriali observata. Sed nullo | istorum modorum potest 127v probari ab adversariis[b] communione sub utraque specie populum et parvulos communicari debere[c]. Igitur non est de iure divino.

In primis non potest dari scriptura, in qua expresse contineatur, nec aliqua scriptura, quae ex sacris literis in bona consequentia ex scripturae testimonio deduci possit. Igitur non est de iure divino primo nec secundo modo.

Adducunt adversarii illud Marci 14 [23]: *Et biberunt ex illo omnes.* Ad hoc facile respondetur, quod praedicta verba solum fuerunt dicta duodecim apostolis discumbentibus cum eo, ut idem evangelista Marcus testatur paulo ante praedicta verba allegata dicens: *Vespere autem facto venit cum duodecim. Et discumbentibus eis et manducantibus ait etc.*[55] Et Lucas c. 22 [14] testatur idem dicens: *Et cum facta esset hora, discubuit et omnes apostoli cum eo.* Ex quibus verbis constat, quod non erant alii, sed duodecim apostoli tantum. Et Math. idem testatur c. 26 [20] dicens: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim apostolis suis.* Adducunt etiam illud Io. 13 [5], ubi dicitur, quod lavit *pedes discipulorum* discumbentium cum eo, quibus postea dedit corpus suum sub utraque specie. Nam constat, quod ibi nominavit *discipulos* pro apostolis, ut patet ex dictis aliorum trium evangelistarum nominantium duodecim apostolos tantum discubuisse cum Christo, et ipsemet Ioannes eodem c. 13 [23] se ipsum *discipulum* vocat, cum esset apostolus, dicens: *Erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu.*

Adducunt aliam authoritatem adversarii ex Paulo 1 Cor. 11 [26] dicente: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini anunciabitis*[a] *etc.*, ex quibus verbis concludunt Paulum praecepisse comedere panem et bibere calicem. | Ad hanc authoritatem brevi- 128r ter respondeo, quod apostolus verbis allegatis non praecepit communionem sub utraque specie, sed tantum praecepit, quod, quandocunque fiat communio sive sub altera vel sub utraque specie, hoc fiat in memoriam passionis Christi, quod innuitur ex verbo *quotiescunque*. Nam verbi gratia celebrare cras est mihi consilium; sed si celebro, est mihi praeceptum, quod in memoriam passionis eius celebrem et quod praeparem me ad celebrandum, ut ex verbis apostoli constat.

Eodem modo solvitur argumentum, quod ab adversariis fieri solet allegando illud Pauli: *Probet autem se ipsum homo*, antequam *de pane illo edat et de calice bibat*[56], ubi Paulus non praecepit de calice bibere, sed praecepit, ut *probet se*, si debet edere vel bibere de calice, quod tunc Corinthii faciebant.

[a] *cod. sic* [b] *cod. perg.* communionem [c] *cod.* deberi

[51] *Friedberg* I 1321 = *Ps.-Clemens I*, epist. Ps.-Isidor. 2, c. 45 (*Hinschius* 47); cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 83, art. 5 ad 11. Conc. Trid. V 948, 27ss. cum adn. 7–8.

[52] Glossa in c. 23 *Tribus gradibus*, in v. *miscere:* „sed nec species illae aliis cibis permiscentur; non enim in stomachum descendunt ... Certum est, quod species quam cito dentibus teruntur, tam cito in caelum rapitur corpus Christi“ (Decretum Gratiani, Parisiis 1612, 2091).

[53] Matth. 26, 26; Luc. 22, 19.

[54] Conc. Trid. VII, I 113, 11.

[55] Marc. 14, 17s.

[56] 1 Cor. 11, 28.

Digitized by Google

Alia authoritas, quam adversarii adducunt, est ex Paulo 1 Cor. 10 [16] dicente: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* et paulo inferius: *Omnes, qui*[a] *de uno pane* et de uno calice *participamus*[57]. Ad hanc authoritatem respondeo, quod praedicta Pauli verba sunt intelligenda de sacerdotibus, qui sunt tanquam os ecclesiae, qui sumunt et offerunt pro populo. Et quod ita sit, patet; nam ad solos sacerdotes spectat benedicere. Ideo dixit: *Calix benedictionis, cui benedicimus etc.*

Alia authoritas, quam adversarii adducunt, est ex Io. c. 6 [54], ubi dixit Christus: *Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ad hanc authoritatem respondeo, quod in ea non praecipitur sumptio calicis seu sanguinis sub speciebus vini, sicut praecipitur sumptio corporis et manducatio sub speciebus panis, quia in predicta authoritate nulla fit mentio calicis nec vini. Ideo non cogit ad potandum
128v sanguinem | Christi sub speciebus vini. Nam si cogeret ad hoc, oporteret, quod exprimeretur calix aut vinum. Fateor tamen, quod precipitur manducatio corporis Christi et potus sanguinis sub specie declarata in praecepto Christi, ubi de pane tantum fit mentio[58]. Igitur qui comedit panem sacramentaliter, bibit sanguinem sacramentaliter et spiritualiter: sacramentaliter, quia realiter sumit verum corpus Christi vivum cum suo sanguine, et spiritualiter, quia credit sub speciebus panis illic esse sanguinem verum, qui fuit effusus pro nobis in passione. Et haec est differentia inter potum carnalem et sacramentalem, quia in carnali oportet esse aliquem licorem[b] infusum guturi[b] sumentis, in sacramentali autem sufficit illum potum sumere sive in specie licoris[b] sive in specie cibi, maxime quando cibus habet vim potus ut in proposito, quia non potest fieri, quod sumatur corpus Domini, quin sumendo illud non potetur sanguis existens in ipso corpore. Concludo igitur, quod authoritas Ioannis allegata intelligenda est de sumptione sacramentali et spirituali simul, quia (ut diximus), quando realiter et sacramentaliter quis sumit corpus Christi sub speciebus panis, similiter sumit spiritualiter sanguinem, quia credere tenetur sub speciebus panis sanguinem Christi latere, et etiam sumit sub speciebus panis sacramentaliter sanguinem. Et etiam spiritualiter sumit sanguinem, quia ibi credit esse verum corpus Christi vivum cum sanguine, qui fuit pro nobis effusus. Et sic habemus, quod verba Ioannis intelliguntur de sumptione sacramentali et spirituali simul, sicut sancti patres intellexerunt ut Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Cyprianus, Chrisostomus, Theophilactus et plerique alii[59]. Et sic concludo, quod satisfacit praecepto Christi, qui sub altera specie sumit
129r corpus eius, quia utrumque sumit sacramentaliter | et spiritualiter, qui sub altera specie sumit; et sic satisfacit praecepto sumptionis huius sanctissimi sacramenti.

Et sic concludo, quod non potest probari ex sacris literis neque ex deductione earum in bona consequentia *esse de iure divino* communionem laicorum *sub utraque specie*, cum praedictae authoritates sint potissime, quae ab adversariis adducuntur, quibus satisfactum putamus ex responsionibus iam nunc datis.

Restat nunc probare, quod non est de iure divino ex traditione apostolorum nec ex consuetudine totius universalis ecclesiae, quod patet sic: Nam scribitur Act. 2 [42], quod *erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus*, ubi nulla fit mentio calicis, sed tantum panis. Patet etiam ex ritu, qui habetur in 6. synodo c. 101[60], ubi dabatur eucharistia in manu suscipientis; et prohibetur ibi, ne quis afferat vas ad recipiendam eucharistiam. Quod si datus fuisset etiam sanguis, non fuisset prohibitum illis afferre vasa, immo fuisset ordinatum, ut aptius acciperent in vase quam in manu sanguinem. Item in concilio Remensi, et habetur de consecr. dist. 2 in c. [29] *Pervenit*[61], ubi prohibetur, ne laici portent corpus Domini ad infirmos, et nulla fit mentio sanguinis. Praeterea in concilio Sardicensi fit mentio de *laica communione*, id est sub altera specie[62].

Praeterea, quamvis Corinthii sub utraque specie communicabant, talis communicatio displicebat Paulo, ut patet ex c. 11 [34] 1 ad Cor., ubi Paulus in fine capituli dixit: *Caetera, cum venero, disponam*, quibus verbis secundum multos doctores innuitur, quod Paulus asseruit se reformaturum illam communionem Corinthiorum sub utraque specie, cum rediret ad eos.
129v Praeterea scribitur Act. 2 [42], quod *erant perseverantes in* | *doctrina apostolorum et in fractione panis et orationibus*. Ex quibus constat, quod tempore apostolorum populus sub altera specie tantum communicabat. — Et ita concludo, quod communicatio sub utraque specie non est de

[a] *cod.* quidem [b] *cod. sic*

[57] 1 Cor. 10, 17.
[58] Io. 6, 52 et 59.
[59] Vide Conc. Trid. VII, I 151, 4 cum adn. 1–5.
[60] Synodus quinisexta Trullana (a. 692), can. 101 (*Bruns* I 64. *Lauchert* 138, 19ss.; vide Conc. Trid. V 956, 38s. cum adn. 13; VII, I 120 adn. 1.
[61] Vide supra p. 181, 28s. cum adn. 34.
[62] Conc. Sardicense (a. 342/43), can. 1–2 (*Bruns* I 89. *Lauchert* 51, 21; 52, 14); vide Conc. Trid. VII, I 120, adn. 4, et supra p. 145, 14s. cum adn. 47.

Digitized by Google

iure divino ex traditione apostolorum neque ex consuetudine totius universalis ecclesiae. Nam quamvis non negemus, quod a principio nascentis ecclesiae in multis ecclesiis particularibus populus communicabat sub utraque specie, etiam illis temporibus in multis aliis ecclesiis populus solum communicabat sub altera specie.

Praeterea et ultimo communicare sub utraque specie populum est contra factum Christi, qui dedit corpus suum tantum sub speciebus panis duobus discipulis in Emaus[63], ut Augustinus 3 De consensu evangelistarum vult intelligere[64]. Et sic concludo non *esse de iure divino* communionem laicorum *sub utraque specie*, ut adversarii in praedicto articulo asserunt; nam alias certe non esset dicta communio sub utraque specie in concilio Constantiensi prohibita[65].

Alia vero pars, in qua habetur, quod peccant prohibentes dictam communionem sub utraque specie, blasphema est in spiritum sanctum, a quo dirigitur et gubernatur ecclesia catholica, quae prohibuit multis rationabilibus causis praedictam communionem sub utraque specie populo ministrandam.

Censerem tamen, quod haec sacrosancta synodus statuta prius et firmata doctrina, quod communicatio sub utraque specie nec sub altera tantum non est de iure divino, sed quod hoc fuit derelictum arbitrio ecclesiae catholicae, quae permittere potuit populum sub utraque specie aliquando communicare et etiam prohibere praedictam communionem, prout de facto prohibuit in concilio Constantiensi[65], hac doctrina stabilita ab hac sacrosancta synodo, non haberem pro inconveniente, quod Germanis et Bohemiis ex devotione petentibus praedictam communionem sub utraque specie, quod illis concederetur, praecedente tamen confessione eorum, qua asserant dictam communionem | non esse de iure divino et ex consequenti ecclesiam 130r
potuisse illam prohibere. Sed si haec eorum confessio non praecedat, propter multa inconvenientia, quae ab Illmo electore Maguntino[66] et ab aliis patribus dicta sunt, nullo modo censeo indulgendam esse praedictam communionem Germanis nec Bohemiis.

Concludo tamen, quod articulus supradictus quoad utramque sui partem est impius, falsus, blasphemus et haereticus et pro tali censeo condemnandum esse ab hac sacrosancta synodo.

Et sic concludo salva reverentia theologorum desiderantium aliquam declarationem in predictis sex articulis[67], quod omnes sex articuli ab hac sacrosancta synodo absque aliqua declaratione condemnentur pro erroneis, scandalosis, blasphemis et hereticis.

[Articulus secundus]

Non exhiberi Christum sacramentaliter, nisi exhibeatur spiritualiter[68].

Cuiuscunque authoris sit hic articulus, assero eum includere repugnantiam quandam et impropriam locutionem. Nam *exhiberi sacramentaliter* dicit actionem quandam realem, quia est opus exterius, quo a sacerdote exhibetur sacramentum suscipienti. Exhibitio vero spiritualis fieri nequit ab alio; nam cum sumere spiritualiter sit solum actus interior intellectus et voluntatis, per quem homo credit firmiter sub speciebus panis et vini esse verum corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, itaque iste articulus includit in se quandam implicationem et impropriam locutionem. Quod vero sit falsus et erroneus, patet manifeste. Nam stat, quod alicui exhibeatur sacramentum eucharistiae, qui tamen non sumpsit predictum sacramentum spiritualiter, ut patet de multis neophitis[a], qui sumunt sacramentaliter in festo paschae, ne ab ordinariis puniantur, et tamen non sumunt | spiritualiter, quia non credunt sub illis speciebus panis et 130v
vini corpus Christi latere[69]. Ideo censeo praedictum articulum tanquam falsum et erroneum ab hac sacrosancta synodo condemnandum.

[Articulus quartus]

Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum[70].

Hic articulus hereticus est, quia contra Paulum 1 Cor. 11 [28]: *Probet se autem ipsum homo, antequam de pane illo edat.* Ex quibus verbis constat sacramentum istud non solum *ob solam remissionem peccatorum* non esse institutum neque precipue ad remissionem peccatorum neque etiam minus principaliter ad remissionem peccatorum, quia nullo modo per sumptionem huius

[a] *cod.* gneophitis

[63] Luc. 24, 30.
[64] De consensu evangelist. III, c. 25, 72 (CSEL XLIII 372, 6ss.); cf. Conc. Trid. V 888, 21ss.
[65] Sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis;* vide supra p. 97, adn. 7.
[66] Vide Conc. Trid. VII, I 144, 37ss.
[67] Vide Conc. Trid. V 1007, 17ss.; VII, I 142, 3–17 cum adn. 2.
[68] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 1s.
[69] Auctor mentionem facit de illis „neophytis", qui baptismum non sua sponte susceperant ut multi Iudaei in Hispania et Lusitania. Cf. *P. Browe*, Die Judenmission im Mittelalter, Rom 1942, 221ss.
[70] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 20.

Digitized by Google

sacramenti remittuntur peccata, immo, ut ex predictis verbis Pauli constat, quando sumitur istud sacramentum, praesupponitur, quod sint remissa peccata per probationem suae conscientiae, antequam *de pane illo edat et de calice bibat*. Loquor de peccatis mortalibus, quorum conscientia accusat ipsum peccatorem. Nolo tamen negare, quin per sumptionem huius sacramenti non deleantur peccata venialia, ut tenet d. Thomas in 3. parte qu. 79[71]. Neque etiam volo negare, quod sumptione huius sacramenti non deleantur peccata mortalia oblita in confessione, quorum quis non habet conscientiam neque affectum, ut tenet idem d. Thomas in dicta parte et quaestione[72]. Nec volo negare etiam, quod eucharistiae sumptio non deleat poenam debitam pro peccatis, quae remissa sunt quoad culpam. Loquor de poena temporali, quae quidem non tota remittitur, sed secundum mensuram peccatorum et devotionis, ut tenet idem d. Thomas in loco allegato[73]. Sed si intelligamus de peccatis mortalibus, quorum conscientia (ut dixi) est accusatrix, dico, quod eucharistiae sumptio non remittit talia peccata, immo dico, quod, si fieri posset, accedentes ad sumendum istud sanctissimum sacramentum
131r deberent sic purgare conscientias suas, ut non solum essent mundae ab omni | peccato mortali sed etiam a venialibus et ab omni affectu humano, qui potest inducere hominem ad peccatum, in testimonium cuius habemus factum Christi, qui in coena novissima, antequam daret corpus suum apostolis suis, lavit eorum pedes[74]. Praeterea sequeretur, quod existens in peccato mortali teneretur sumere istud sanctissimum sacramentum; patet corrolarium. Nam si *ob solam remissionem peccatorum* (ut adversarii dicunt) istud sacramentum fuit institutum a Christo, sequitur, quod, quum peccator est in peccato mortali, quod ad purgandam conscientiam suam tenetur sumere istud sacramentum.

Praeterea Exod. 12 [5ss.] scribuntur omnes caeremoniae, quae debent praecedere sumptionem agni paschalis, quae pertinent ad praeparationem animae sumentis istud sanctissimum sacramentum ante eius sumptionem figuratam in comestione[a] praedicti agni paschalis. Ideo dico, quod istud sacramentum non fuit institutum ad remissionem peccatorum, sed fuit institutum in memoriam passionis D. N. Iesu Christi et pro viatico vitae necessario *in exitu Aegipti* ad *terram promissionis*[74a], saltem spiritualiter et in voto, si subest impedimentum, quominus sacramentaliter sumi possit. Et etiam fuit institutum ad adunandum sumentem cum Christo, capite suo, et membris eius et ad augendam gratiam et ad conservandum hominem in ea, ut habetur in concilio Florentino, ubi dicitur: „Huius sacramenti effectus, quem in anima digne sumentis operatur, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, sequitur, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur“[75]. Et tamen in dicto concilio nulla fit mentio de remissione peccatorum. Ideo censeo hunc articulum ab hac sacrosancta synodo tanquam haereticum esse damnandum. |

131v [Articulus sextus, pars ultima]

Non licere, ut quis se ipsum communicet[76].

Iste articulus, si indifferenter de laicis et sacerdotibus intelligatur, falsus et erroneus est et contra factum Christi, qui se ipsum communicavit, ut tenet d. Thomas in 3. parte qu. 81[77]. Est etiam contra Chrisostomum in 26. c. Math.[78], et habetur de consecr. dist. 2 c. [11] *Relatum*[79], ubi expresse dicitur, quod puniantur sacerdotes, qui celebrant et non sumunt sacramentum, ne remaneat sacramentum imperfectum, quod certe remaneret, si sacerdos sacrificans non sumeret sub utraque specie dictum sacramentum. Cum ergo debeant sumere sacrificantes sacerdotes, per manus proprias suas debent sumere et non per manus aliorum sacerdotum, quum est[b] praesumendum, quod nullus alius sacerdos habebit magis purgatam conscientiam quam ille, qui confecit sacramentum, neque per manus laicorum, quibus non licet contrectari manibus suis sacramentum istud, cum etiam non liceat illis suis manibus etiam in casu necessitatis communicare. Praeterea Hieronymus ad Lesbiam[b]: „Ipse conviva et convivium, qui comedens et comeditur“[80]. Et ita concludo non solum licere, sed necessarium esse sacerdoti sacrificanti propriis manibus sumere sacramentum et se ipsum communicare. Censeo igitur praedictum articulum ab hac sacrosancta synodo damnandum esse tanquam falsum et erroneum.

[a] *cod.* comextione [b] *cod. sic*

[71] Summa th. III, qu. 79, art. 4.
[72] Ibid. art. 3.
[73] Ibid. art. 5.
[74] Io. 13, 5. [74a] Cf. Ps. 113, 1; Hebr. 11, 9.
[75] Decr. pro Armenis c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 C–D). Cf. Conc. Trid. VII, I 123, adn. 12.
[76] Conc. Trid. l. c. 113, 4s.
[77] Summa th. III, qu. 81, art. 1.
[78] In Matth. 26 hom. 82, c. 1 (*Migne*, PG LVIII 739).
[79] *Friedberg* I 1317s., e conc. Toletano XII, can. 5 (*Bruns* I 326). Cf. supra p. 105, 25 cum adn. 58.
[80] Ad Hedybiam epist. 120, c. 2 (CSEL LV 480, 10s.).

Digitized by Google

[Articulus nonus]

Non contineri sub altera specie quantum continetur sub utraque...[81]

Iste articulus duas habet partes et utraque est haeretica. In primis est contra Io. c. 6 [63s.] dicentem: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est,* | *qui vivificat.* 132r Super quibus verbis Augustinus, et habetur de consecr. dist. 2 c. *Ille dixit*[82]: „Ille“, inquit, „dixit se ascensurum integrum. Tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum“[83]. Unde Graeci ut Gregorius Nazanzenus[a84] et Damascenus[85] corpus Christi vocant *incruentum*, quia non funditur ab eo sanguis, sed in eo continetur. Si proprie[b] ergo ita datur nobis, sicut est in coelo, et in coelo est cum suo sanguine, sequitur, quod ministratur et consecratur cum suo sanguine, quum datur solum sub altera specie, puta panis, et ex consequenti tantum continetur sub una specie quantum sub utraque.

Contra secundam vero partem, in qua habetur: *non tantum sumere sumentem sub altera sicut sub utraque*. Haec enim pars falsa est, quia non loquitur de speciebus panis et vini, quia, si de illis tantum loqueretur, vera esset propositio. Sed quia loquitur de sacramento, probabo hanc propositionem esse falsam et hereticam. Nam si de reali sumptione huius sacramenti intelligatur, tantum sumit sub altera quantum, si sumeret sub utraque, cum ex iam dictis constet tantum contineri sub altera quantum sub utraque. Si vero intelligamus de sumptione sacramenti ex vi sacramenti, hoc est virtute operis operati quantum ad effectum causatum ab ipso sacramento, qui effectus est (ut diximus) adunare hominem cum Christo, capite suo, et cum membris eius et conservare et augere gratiam sumentis, tunc sic intelligendo dico, quod aequaliter sumit sumendo sub altera specie sicut sub utraque. Nam cum iste effectus causetur ratione corporis Christi incruenti et est sub altera specie sicut sub utraque, sequitur, quod tantum sumit sumens sub altera, sicut si sumeret sub utraque, quantum est ex parte sacramenti in se et quantum est ex parte effectus causati ab ipso sacramento, qui effectus est (ut iam diximus) gratia et coniunctio perfecta animae sumentis | Christum. 132v

Ratio huius est, quia iste panis est *panis vitae*, ut habetur Io. 6 [35. 48], et debet sedare famem et sitim spiritualem animae adunando perfecte ipsam animam sumentem Christum, sicut cibus corporalis et potus corporalis perfecte reficiunt corpus ad conservandam vitam corporalem. Alias, si panis iste tantum sedaret famem et non sitim spiritualem, sequeretur, quod laici imperfecte sumunt sacramentum corporis Domini ex media tantum parte, videlicet fame sedata et non siti, quod est contra verba Christi Io. 6 [35] dicentis: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet in aeternum.* Laicus ergo, qui sumit corpus Christi, sumit vitam iuxta illud: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*[86]. Et quia credit, ut credere tenetur, sanguinem Christi esse sub speciebus panis, ideo talis reficitur quoad sitim ex sententia Christi superius allegata, et ex consequenti *non sitiet in aeternum*. Et sic sumendo corpus sedatur fames et sitis. Et ex consequenti ex vi sacramenti quantum ad effectum causatum ab ipso sacramento tantum sumit sub altera quantum, si sumeret sub utraque, cum non minus sitim quam famem sedet corpus Christi sub speciebus panis.

Confirmatur per concilium Florentinum damnans hanc ultimam partem huius articuli in hunc modum, videlicet: „Huius sacramenti effectus, quem in anima digne sumentis operatur, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, sequitur, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem et hoc sacramentum operatur“[87]. Et haec in concilio Florentino. Item 3 Reg. 19 [8] scribitur, quod Helias *ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Oreb.* Quod fuit figura, quod in fortitudine corporis Christi, in quo est et sanguis | eius, viatores ambulant 133r usque ad montem Dei. Et ideo in concilio Niceno dicitur istud sacramentum sub speciebus panis *necessarium vitae viaticum*[88] et fundatur in figura praecedenti.

Praeterea Sap. 16 [20] dicitur de manna, figura huius sacramenti: *paratum panem de coelo prestitisti illis omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem.* Ergo si manna, quae

[a] *cod. sic* [b] *cod.* pro quia

[81] Conc. Trid. VII, I 113, 20.
[82] Potius c. 44 *Prima quidem* sub rubr.: *Augustinus in expositione Ps. 54* (*Friedberg* I 1330).
[83] *Augustinus*, In Ioann. tract. 27, c. 3 (CChr. XXXVI 271, 11–14).
[84] Ad Amphilochium epist. 171 (*Migne*, PG XXXVII 279/80 C). Carmina II, n. 13 (ad episcopos), 1 (ibid. 1227 A).
[85] De corpore et sanguine Christi c. 1 (*Migne*, PG XCV 405/06 A). De fide orthodoxa IV, c. 13 (*Migne*, PG XCIV 1149/50 C).
[86] Io. 6, 59.
[87] Decr. pro Armenis, c. 5, 3; vide supra p. 186, 30ss. cum adn. 75.
[88] Conc. Nicaenum I (a. 325), can. 13 (*Bruns* I 18. *Lauchert* 41, 1) = c. 9 *De his* C. XXVI qu. 6 (e versione Hisp.; cf. *C. H. Turner* l. c. I 131. 219, 4s. 267, 4s.).

Digitized by Google

erat umbra et figura, habebat vim dandi *omnem saporem et omne delectamentum*, sequitur, quod sedabat sitim. A fortiori ergo veritas ipsa figurata sedabit famem et sitim prebendo animae sumenti omnem suavitatem, quam certe non preberet, si post sumptionem sitiret sedata tantum fame et non siti. Et Ps. [80, 17] dicit: *Cibavit eos ex adipe frumenti et de petra melle*[a] *saturavit eos*, quasi innuens, quod in sumptione corporis est omnis voluptas spiritualis, quae certe non esset, nisi sitis sedaretur.

Praeterea ex opposito arguitur. Demus igitur, quod laicus sumendo sub altera specie ex opere operato non tantum sumat quantum, si sub utraque sumeret, hoc est non tantam gratiam neque tantam unionem cum Christo, capite suo. Hoc dato sequitur contra praecedentem articulum damnatum in confesso ab omnibus, videlicet non esse de iure divino laicos sub utraque specie communicare, ubi satis probatum est falsum esse id, quod adversarii asserunt, quod ideo laici sub utraque specie debent communicare, ne sint imperfecta Christi membra, videlicet sitientia sanguinem Christi, quo privantur, nisi sub utraque specie illis communicetur. Sequela vero patet, videlicet quod sequatur contra praecedentem articulum, hoc est contra nostram impugnationem praecedentis articuli. Nam sicut corpus famet et sitit, ita etiam anima. Sicut ergo corpus non reficitur potu, nisi adsit cibus, non habebit perfectam refectionem, ita eo eodem modo, si iste panis non reficit etiam sitim spiritualem dando gratiam ex opere ope-
133v rato, quanta daretur, si sumeret sanguinem, | sequitur, quod anima non perfecte reficitur sumendo sacramentum solum sub speciebus panis, quia saltem privatur illa gratia, quae ex opere operato correspondet sumptioni sanguinis sub speciebus vini. Et sic habeo ex veritate nostrae impugnationis praecedentis articuli veritatem impugnationis istius.

Praeterea et fortius peto, an iste panis habebat perfectam rationem reficiendi animam vel ne. Si primum, ergo perfecte et tam sufficienter reficitur anima sumendo corpus Christi sub speciebus panis quantum, si sub utraque specie susciperet. Si detur secundum, videlicet quod iste panis non habet perfectam rationem reficiendi animam, sequitur, quod non est panis vitae, quod est contra verba Christi Io. 6 [35. 48] allegata: *Ego sum panis vitae*. Quod si est *panis vitae*, ut ex evangelio constat, sequitur manifeste, quod non solum reficit animam quoad famem sed etiam quoad sitim, cum, sicut ad vitam corporalem requiritur utraque refectio, ita ad vitam spiritualem requiritur, quod fames et sitis animae perfecte sedentur, quia alias non esset *panis vitae*.

Praeterea, licet istud argumentum habeat robur suum omni tempore, tamen a nullo potest negari, quin in articulo mortis sive laicis sive sacerdotibus viatoribus quibuscumque debet ministrari perfecta refectio spiritualis, quae si non esset perfectissima sub una specie sicut sub utraque, certe ille moribundus privaretur aliquo necessario ad viaticum suum, quod esset crudele in tali articulo privare eum tanta vi et virtute et tam singulari dono, maxime quod tunc summe indigent refectione potissimum ad superandas tentationes demonis, quae tunc in illo mortis articulo maxime vigent.

Praeterea dicitur *panis angelorum*[89]. Et panis angelorum est in gloria perfectissima refectio.
134r Ergo hic in via est etiam perfectissima refectio conferendo gratiam. Sicut angelis | in patria gloria[b] virtute huius panis angelorum, quo in patria angeli reficiuntur, ita eodem modo viatoribus in via datur gratia perfecta sumentibus istud viaticum, quod est illud idem, quod ministratur nobis in via et quo reficiuntur angeli in patria. Cum ergo constet, quod viatoribus de proximo morituris ministretur istud sanctissimum sacramentum solum sub speciebus panis, sive ministretur laicis sive sacerdotibus, [sequitur], quod tantum sumit sub altera specie, quantum sumeret sub utraque, quia alias (ut paulo ante diximus) fideles privarentur gratia correspondente sumptioni sub speciebus vini, quod tamen est falsum, cum sumendo corpus sumat et sanguinem.

Praeterea et ultimo, cum *panis* iste *cor hominis confirmet*[90], videtur, quod per sumptionem eius confirmetur anima. Et sic concludo resolutorie predictum articulum quoad utramque sui partem falsum, erroneum et hereticum esse et pro tali ab hac sacrosancta synodo condemnandum, intelligendo articulum, prout iacet, hoc est intelligendo de reali sumptione sacramenti et similiter intelligendo de sumptione sacramenti ex vi sacramenti quantum ad effectum causatum ab ipso sacramento. Hoc dico ad excludendum id, quod aliqui dixerunt[91], quod augetur gratia sumendo sub utraque specie magis quam sumendo sub altera in aliquibus habentibus maximam devotionem circa sanguinem Christi sub speciebus vini, et hoc virtute operis operantis. Sed quia iste sensus non praetenditur ab authore huius articuli, ut patet ex ipso articulo, neque

[a] *cod.* mellis [b] *cod.* gloriam

[89] Ps. 77, 25. [90] Ps. 103, 15. [91] Vide supra p. 107, 33s.; 125, 32ss. 37ss.

Digitized by Google

etiam est generaliter in omnibus fidelibus recte contemplantibus et credentibus sub speciebus panis latere verum sanguinem Christi, ideo propter hunc sensum non debemus asserere maiorem gratiam sumere sumentem sub utraque quam sub altera virtute operis operati, hoc est ex vi sacramenti, quod (ut dixi) censeo falsum et hereticum et ex | consequenti ab hac sacrosancta 134v
synodo pro tali condemnandum.

[Articulus decimus]

Solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam eucharistiam neque ad id confessionem esse necessariam . . .[92]

Iste articulus est falsus et hereticus quoad omnes eius tres partes. Prima enim pars est contra Paulum, ubi expresse nulla facta mentione fidei facit mentionem probationis animae ad suscipiendum istud sanctissimum sacramentum: *Probet autem se ipsum homo*, antequam *de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*[93]. Ex quibus constat non *solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam eucharistiam.*

Praeterea Exod. 12 [8s.] scribitur modus comedendi agnum paschalem: *Edent* (inquit Deus) *nocte illa carnes assas igni et azimos panes cum lactutiis agrestibus. Nec comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua, sed assum tantum igni, caput cum pedibus eius et intestinis vorabitis etc.* Quae omnia fuerunt in figura praecepta filiis Israel, ut similiter nos, qui visuri sumus Deum, cum pervenerimus ad terram promissionis, in exitu tenebrarum terrae Aegypti sumamus viaticum, id est sanctissimum Christi corpus eo modo, sicut filiis Israel praeceptum fuit comedere agnum paschalem. In quibus caeremoniis hic enarratis ponitur modus probationis animae ad sumendum Christi corpus, ubi dicitur: *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis etc.*[94], quae omnia pertinent ad probationem animae necessariam ad sumendum Christi corpus. Nolo tamen negare, quod fides sumentis requiratur ad sumptionem huius sacramenti, quod etiam denotatur in figura in verbis illis narratis: | *Edent nocte illa carnes assas igni* et: *caput cum pedibus* 135r
etc., ubi expresse de fide, qua debent credere sumentes esse verum Deum et hominem, fit mentio. Tamen post ceremonias prefigurantes fidem sequuntur caeremoniae praefigurantes probationem animae sumentis corpus Christi, ut optime exponit d. Gregorius homil. 21 evang.[95] Ergo non sola fides sufficit ad sumendam eucharistiam.

Praeterea hoc denotatur Exod. 30 [18–20], ubi praecipitur, quod fieret *labrum aeneum cum basi sua* ac *missa aqua lavarent manus suas et pedes filii Aaron, quando ingressuri erant tabernaculum testimonii.* Et habetur etiam Exod. 40 [28ss.], ex qua figura constat, quod requiritur puritas mentis ad suscipiendum sacramentum eucharistiae, et non omnis puritas, sed integerrima. Et ideo lavabant non solum sacerdotes manus suas ad intrandum sanctuarium sed etiam pedes, per quod denotatur, quod non solum sufficit carere peccato cessando[a] ab omni mala operatione interiore et exteriore, sed requiritur mundare pedes, hoc est carere omni affectu humano inclinante hominem ad peccatum seu apto ad inclinandum. Quod fuit denotatum ex verbis Christi, redemptoris nostri, Io. 13 [10], quando volens in coena communicare corpus suum apostolis suis lavit eorum pedes et dixit Petro: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, et: *Vos mundi estis, sed non omnes.* Ex quibus constat, quod requiritur munditia non solum a peccato, sed ab affectu apto inclinare ad peccatum.

Praeterea hoc denotatur Math. 22 [11–13] in parabola illa evangelica, quando *intravit rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. Et ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Ex quibus verbis constat, quod, qui accedere debet |
ad istud sacrum convivium, debet esse *vestitus veste nuptiali* charitatis, quae quidem charitas 135v
omnes complectitur virtutes et ex consequenti complectitur fidem. Et sic liquet fidem solam non sufficere.

Praeterea d. Hieronymus super 28. c. Math. notat corpus Christi fuisse *in sindone munda* involutum[96], hoc est mundam mentem esse necessariam ad sumendum Christi corpus[97]. Praeterea Cyprianus serm. 5 De lapsis reprehendit eos, qui accedunt ad eucharistiam *ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificiis et manu sacerdotis*[98]. Praeterea de consecr. dist. 2 c. [13] *Quotidie* habetur, quod quotidie *communicaturus satisfaciat cum lachrymis et oratio-*

[a] *cod.* sessando

[92] Cf. Conc. Trid. VII, I 114, 1ss.
[93] 1 Cor. 11, 28s. [94] Exod. 12, 11.
[95] *Gregorius I*, in evangelia hom. 22, c. 8 (*Migne*, PL LXXVI 1179 B–C).
[96] Matth. 27, 59.
[97] *Hieronymus*, Comment. in Math. IV, c. 27, 59 (CChr. LXXVII 278, 1878s.).
[98] De lapsis c. 16 (CChr. III 229, 315s.).

Digitized by Google

nibus[99]. Ex quibus constat falsum et hereticum esse asserere solam fidem sufficere ad sumendam eucharistiam, cum praeparatio animae maxime requiratur cum dolore omnium peccatorum propter Deum summe dilectum, in cuius dilectione seu charitate reliquae virtutes includuntur. — Et sic relinquo praedictum articulum quantum ad hanc primam partem falsum et haereticum.

Quantum vero ad secundam, in qua asseritur: *homines non teneri ad sumptionem eucharistiae in paschate*, haec pars est falsa et schismatica, quia contra ecclesiae determinationem, ut habetur in c. [12] *Omnis utriusque sexus* [X] de penit. et remiss. [V 38]. Et Hieronymus ad Licinum[a] ait: „Traditiones ecclesiasticas, presertim quae fidei non officiunt, ita observandas, ut a maioribus traditae sunt, neque aliorum consuetudinem aliorum contrario modo subverti. Unaquaeque enim provincia *abundet in suo sensu*[100] et praecepta maiorum leges apostolicas arbitretur[b]“[101].
136r Haec Hieronymus. Cum igitur in praedicto c. *Omnis utriusque sexus* sit institutum, ut in | paschate quilibet fidelis teneatur communicare, temerarium et schismaticum censeo oppositum asserere, quia est de directo contra concilium Lateranense[102], ut habetur in dicto c. *Omnis utriusque sexus*. Et iste ritus erat etiam tempore Hieronymi, ut patet in 9. c. Mathei, ubi inquit: „Ecclesiae consuetudo ad passionem Domini et resurrectionem per humilitatem carnis venit, ut spirituali sagine ieiunio corporis praeparemur“[103]. Et super Ionam c. 3 ait: „Dominus verus Iona missus ad praedicationem mundi ieiunavit 40 dies et haereditatem nobis ieiunii derelinquens ad esum corporis sui sub hoc numero animas nostras preparat“[104]. Nolo tamen negare, quod non satisfaciat praecepto ecclesiae, qui per totam quadragesimam usque ad dominicam in Albis inclusive confitetur et sumit eucharistiae sacramentum, quum ex longa ecclesiae consuetudine ita sit observatum. Contrarium vero facientes optimo iure veniunt ab ordinariis excommunicandi, quod non fieret, nisi obligarentur ad sumptionem eucharistiae in paschate seu intra latitudinem temporis quadragesimalis usque ad dominicam in Albis inclusive, ut dixi. — Et sic relinquo hanc partem erroneam, falsam et schismaticam.

Sed quoniam controversum est inter theologos, an ad digne sumendum sacramentum eucharistiae requiratur necessario sacramentalis confessio, aliquibus dicentibus eam esse summe necessariam[105] et peccare tam laicos quam sacerdotes accedentes ad sumendum istud sanctissimum sacramentum sine confessione sacramentali, aliquibus vero dicentibus *sufficere confessionem in voto cum contritione* etiam *habita sacerdotis copia*[106], ego vero salva reverentia eorum, qui asserunt non esse necessariam sacramentalem confessionem ad digne sumendum sanctissimum Christi corpus etiam cum conscientia peccati mortalis et habita sacerdotis copia, censeo hanc
136v opi|nionem esse falsam, erroneam, scandalosam et ad manifestum animarum interitum perducentem ac indigne sumptioni eucharistiae ostium aperientem. Ideo pro tali censeo damnandam esse, sed non in hoc loco, sed quando tractabitur de sacramento confessionis.

Et ita concludo, quod iste articulus quantum ad eius primam partem condemnetur pro haeretico et quantum ad secundam partem condemnetur ab hac sacrosancta synodo pro falso, erroneo, scandaloso et schismatico, quia contra ecclesiae determinationem.

Sententia ergo mea est, quod primus articulus, in quo habetur: *in eucharistia non esse verum corpus et sanguinem etc.*[107], est hereticus quoad eius omnes partes.

Secundus vero articulus, in quo habetur: *in eucharistia esse* verum *corpus et sanguinem, sed simul cum substantia panis etc.*[108], censeo praedictum articulum falsum, scandalosum et hereticum.

Tertius articulus, in quo habetur: *Christum in eucharistia non esse adorandum etc.*[109], hunc articulum quoad omnes sui partes censeo impium, falsum et hereticum.

Quartus articulus, in quo habetur: *non esse reservandam eucharistiam etc.*[110], iste articulus censetur a me falsus et schismaticus, quia omnino contradicit laudabili ecclesiae consuetudini quoad utramque sui partem.

Quintus articulus, in quo habetur: *in hostiis seu particulis consecratis etc.*[111], hunc articulum quoad omnes sui partes censeo haereticum.

[a] *cod. sic* [b] *cod.* arbitrentur

[99] *Friedberg* I 1318, e *Gennadii Mass.* libro De eccles. dogmatibus c. 23, al. 53 (*Migne*, PL XLII 1217).
[100] Rom. 14, 5.
[101] Ad Lucinum Baeticum epist. 71, c. 6 (CSEL LV 6, 18–21; 7, 6–8). Cf. c. 4 *Illud* dist. 12.
[102] Conc. Lateranense IV (a. 1215), can. 21 = c. 12 *Omnis utriusque* l. c.
[103] Comment. in Math. I, c. 9, 15 (l. c. 57, 1329–1331).
[104] Comment. in Ionam c. 3, 4 (CChr. LXXVI 405, 67–70).
[105] Cf. Conc. Trid. VII, I 143, 10s.
[106] Cf. ibid. 143, 7ss.
[107] Cf. ibid. 111, 10.
[108] Potius art. 3, ibid. 112, 7ss.
[109] Potius art. 5, ibid. 112, 22s.
[110] Potius art. 6, ibid. 113, 3s.
[111] Potius art. 7, ibid. 113, 7s.

Digitized by Google

Sextus articulus, in quo habetur: *de iure divino esse sub utraque specie etc.*[112], quoad primam partem censeo | hunc articulum temerarie assertum falsumque et schismaticum, quoad ultimam 137r vero sui partem, videlicet *peccare eos, qui prohibent etc.*, censeo ⌈blasphemum in spiritum sanctum, a quo gubernatur ecclesia⌉[a], esse et haereticum et condemnandum ab hac sacrosancta synodo.

Septimus articulus, in quo habetur: *non exhiberi Christum sacramentaliter etc.*[113], hunc censeo hereticum esse.

Octavus articulus, in quo habetur: *eucharistiam institutam esse ob solam remissionem etc.*[114], hunc articulum etiam censeo falsum et hereticum esse.

Alter articulus, qui est pars sexti, in quo habetur: *non licere, ut quis se ipsum communicet*[115], hunc articulum censeo erroneum et falsum.

Nonus articulus, in quo habetur: *non contineri sub altera specie etc.*[116], quoad utramque sui partem censeo hunc articulum hereticum. Et quoad augmentum gratiae e sumptione sub utraque specie censeo falsum esse et hereticum, si ex vi sacramenti intelligatur. Censeo tamen pretermittendam silentio hanc particulam de augmento gratiae, cum in articulo de ea nulla sit mentio.

Decimus articulus, in quo habetur: *solam fidem esse sufficientem praeparationem etc.*[117], hunc articulum quoad omnes sui partes censeo haereticum. Sed non iudico modo determinandum esse ab hac sacrosancta synodo, an teneantur homines sub poena | peccati mortalis confiteri 137v ante sumptionem eucharistiae. Quamvis, ut dixi, censeo hereticum esse hoc asserere, iudico tamen nullam esse faciendam mentionem huiusmodi articuli ab hac sacrosancta synodo in hoc decreto, sed quando tractabitur de confessione.

Haec est mea sententia in decem articulos nobis propositos.

20.

Petrus de Augustinis, episcopus Oscensis
Sententia super articulis de sacramento eucharistiae propositis[1]

Tridenti, die 24. Septembris 1551[b]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 15r–16r *(autogr.)*

Illme Domine, Rmi Domini praesidentes, Amplissimi Patres. Conc. 14 15r

Sex[c] articulos[2] de sacramento eucharistiae communi iudicio omnium theologorum simpliciter damnatos ego etiam et damno et haereticos censeo et ut tales a sancta synodo anathemate feriendos iudico. Caeterum, quoniam nuper a quibusdam[3] dubitatum est de damnatione facta per theologos circa octavum articulum, in quo habetur: *de iure divino esse sub utraque specie et populum et parvulos communicare*[4], ego vehementer miror reperiri catholicos, qui hac de re aut dubitent aut rursus deliberandum censeant, cum post longam disputationem et maturam consultationem haec res sit iam diu ab ecclesia definita. Synodus nanque Constantiensis sessione XIII[5] et Basiliensis XXX[6] id aperte difinierunt[d]. Martinus etiam V in bulla aprobationis[d] concilii Constantiensis docet eos, qui *pertinaciter* hanc ecclesiae *consuetudinem* reprobant, *tanquam haereticos vel haeresim sapientes* esse damnandos[7]. Ecclesia etiam longissimi temporis consuetudine laicos et clericos non celebrantes sub specie panis tantum communicat. Quibus omnibus ego

[a] *in marg. add.*
[b] *Massarellus f. 15r haec adn.:* Episcopi Oscensis super articulis de sacramento eucharistiae die 24. Sept. 1551 in concilio Tridentino [c] *loco del.* quinque [d] *cod. sic*

[112] Potius art. 8, ibid. 113, 11s.
[113] Potius art. 2, ibid. 112, 1s.
[114] Potius art. 4, ibid. 112, 20.
[115] Ibid. 113, 4s.
[116] Ibid. 113, 20s.
[117] Ibid. 114, 1s.
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 156, 1–10. De auctore cf. ibid. adn. 1. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 900–911.
[2] Quos vide Conc. Trid. l. c. 142, 3–17.
[3] Videlicet ab episcopis Zagrabiensi et Viennensi, ibid. 145, 21ss. et supra p. 151, 35ss.; 160, 16ss.
[4] Cf. ibid. 113, 11; 142, 16.
[5] Decr. *Cum in nonnullis*, ibid. 119, 9 cum adn. 3 et supra p. 97, 6s cum adn. 7.
[6] Decr. *Ut lucidius*, supra p. 97, 7 cum adn. 8.
[7] *Martinus V*, bulla *Inter cunctas* (22. Febr. 1418), interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae n. 18 (*Mansi* XXVII 1212 B. *Denzinger* l. c. n. 1258).

Digitized by Google

adherens[a] articulum hunc octavum tanquam manifeste haereticum et ab ecclesia damnatum reprobo, quoniam communionem sub utraque specie laicis nunquam precepit Christus, sed nec generaliter omnibus illis proibuit[b], immo liberum id reliquit ecclesiae, prout magis expedire visum fuerit, disponendum. Quae quidem ecclesia a multis annis iustissimis de causis laicis sub utraque specie eucharistiam ministrari proibuit[b]. Quae causae cum nunc etiam reperiantur et magni sint momenti, consuetudinem ecclesiae piam et religiosam inviolabiliter[c] servandam censeo.

De articulis vero, *qui aliquibus theologis damnandi videntur, sed cum aliqua declaratione*[8], ita sentio: |

15v In secundo articulo dicitur: *exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum, manducandum per fidem, non autem sacramentaliter*[9]. Hic articulus est haereticus, quia et negat esse Christum in eucharistia et non debere sacramentaliter manducari. Quod si ut iacet hic articulus reperitur in libris haereticorum, damnandus venit. Alioqui nulla fiat illius mentio, quoniam in primo articulo abunde continetur. Tantundem dico de damnatione illius articuli: *non exhiberi Christum sacramentaliter, nisi exhibeatur spiritualiter*[10], quem asserunt reperiri apud Oecolampadium[11]. Quod si ita est, damnetur a sancta synodo ut talis; sin aliter, sub silentio pretermitatur[b].

In quarto articulo habetur: *eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum*[12]. Hic articulus, ut iacet, haereticus est. Quod si reperiatur alicubi, merito damnandus est a sancta synodo. Alioqui nulla illius fiat mentio.

Sextus articulus, in quo habetur: *non licere, ut quis se ipsum communicet*[13]. Si de sacerdote celebrante intelligitur iste articulus, haereticus est. Si vero de laico exponitur, non iudico esse haereticum neque a synodo damnandum.

Nonus articulus duas habet partes, quarum prior est: *non contineri sub altera specie quantum sub utraque*[14]. Haec pars haeretica est et a synodo damnanda. Posterior vero: *non tantum sumere communicantem sub una specie quantum sub utraque*[15], haec pars, si referatur ad gratiam sacramentalem, falsa est et merito damnanda, ut quae sit contra ecclesiae communem sensum et quae possit gravissimi scandali occasio esse. Pertinatiam etiam haereticorum augebit et invidiam sacerdotibus conflabit.

Decimus articulus ita habet: *solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam eucharistiam neque ad id confessionem esse necessariam, sed liberam, presertim doctis, neque teneri homines ad* 16r *communionem in paschate*[16]. Prima et tertia partes huius articuli | ab omnibus simpliciter damnatae sunt et ego illas damno et haereticas iudico. Secundam vero partem reputo falsam et erroneam et contra traditionem ecclesiasticam et consuetudinem generalis ecclesiae, et quae repugnet Pauli verbis[17] iuxta legitimam sanctorum patrum interpretationem.

Quoniam autem vidi theologos inter se dissidere[18] circa intelligentiam sexti capitis Ioannis, an de sacramentali sumptione verba illa Christa sint intelligenda, an tantummodo de spirituali per fidem, iudico non debere pretermitti sub silentio expositionem legitimam illius capituli, sed decretum et canonem ea de re esse condendum, quoniam perperam verba illa exponuntur ab haereticis huius tempestatis et autoritas ecclesiae utentis verbis huius capitis in officio eucharistiae[19] tollitur et irridetur. Hinc etiam potissima sumpta est occasio errandi circa communionem sub utraque specie. Quare, ut haec scandala tollantur, censeo explicandum per synodum sensum huius capitis, nempe Christum de sacramentali manducatione non minus, immo principalius, quam de spirituali, quae per fidem est, ibi loquutum. De utraque enim locus ille venit interpretandus, maxime cum comedendi et bibendi verbis utitur.

Haec sunt, Patres Amplissimi, quae ego sentio de propositis articulis, quae omnia sub iudicio et correctione vestra dicta sunt, et ea sequor, quae Dominationibus Vestris et maiori parti patrum sequenda visa fuerint.

Dixi.

[a] *cod.* aderens [b] *cod. sic* [c] *cod.* inviolaviliter

[8] Vide Conc. Trid. VII, I 142, 18ss.
[9] Ibid. 112, 1s.; 142, 18s.
[10] Ibid. 142, 23; vide supra p. 135, 6ss.
[11] Ibid. 142, 24; vide supra p. 178, 6s. cum adn. 3.
[12] Ibid. 112, 20; 142, 25.
[13] Ibid. 113, 4s.; 142, 30.
[14] Ibid. 113, 20; 142, 36.
[15] Ibid. 113, 20s.; 142, 36s.
[16] Ibid. 114, 1ss.; 143, 3ss.
[17] 1 Cor. 11, 28: „Probet autem se ipsum homo".
[18] Vide votum Frid. Nauseae, episcopi Viennensis, supra p. 157, 17s., et infra p. 215, 14 cum adn. 46.
[19] In missa festi Corporis Christi legitur evangelium Io. 6, 56–59; cf. Missale Rom.

Digitized by Google

21.

Georgius Flach, episcopus Salonensis atque suffraganeus Herbipolensis Sententia super articulis de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 24. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 100r–106v *(manus librarii Ioannis Bulman, calligraphi cancellariae Herbipolensis, qui cum suffraganeo Herbipolensi aderat concilio)*

Nihil minus de me sentio, Ill^{mi} sedis apostolicae legate et S. R. E. cardinales, amplissimi praesidentes, incliti electores ac oratores, tota denique R^{morum} et colendissimorum Patrum corona, nihil minus, inquam, de me sentio, quam ut idoneus sim inter tot admirandae eruditionis patres de tam altissima sacrosanctae eucharistiae materia dicere. Verum cum ita habeat natura concilii, ut non tantum pedibus verum etiam sententiis coeundum sit adeoque requiratur, ut quilibet intentionem suam dicat, hoc ego tanto libentius faciam, quo magis intelligo brevitatem expectari. Verum cum *imperfectum meum*[2] cum psalmographo agnoscam, inprimis protestatum volo, quod nihil sentire, dicere aut defendere intendam, quod sacris literis, traditionibus apostolicis, diffinitionibus conciliorum et sententiis approbatorum doctorum expresse vel consecutive obviet, sed in universum me catholicae, apostolicae eiusdemque Romanae ecclesiae atque huius sacri et oecumenici concilii decretis et placitis conformare mens est. Si vero diversum (quod Deus sua gratia clementer avertat) facerem, testor Deum, quod hoc non consulto fiet, sed vel ex imperitia vel ex lapsu linguae aut ex labilitate memoriae; ex quibuscunque tamen causis hoc accidat, iam revocatum volo. Hanc etiam protestationem in sequentibus suffragiis meis pro repetita haberi peto. Conc. 14 100r

Iam ad articulos veniam.

Articulus primus

In eucharistia non esse re vera corpus et sanguinem neque divinitatem . . .[3]

Sicut iste primus articulus est totus haereticus, impius et blasphemus ac origo caeterorum errorum, ita iudico eum in primis damnandum. Si argumentari licet | pro prima parte articuli 100v a locis, quos rhetores praescribunt, rationes meas non frivolas intelligetis. Precipiunt enim, si dubitetur, an aliquis aliquid fecerit necne, ut inspiciatur voluntas et potestas eius, qui id fecisse dicatur[4]. Si id mihi concedatur, quid apertius quam nobis in hoc sacramento Christum veraciter corpus et sanguinem suum dedisse constabit? Voluntas enim Christi (quod huc attinet) nobis constat ex eius natura, factis atque dictis.

Natura quidem; nam cum ipse sit Deus, est summum bonum iuxta illud: *Nemo bonus nisi solus Deus*[5]. Huius autem proprium est effluere et aliis bonitatem suam communicare, quod quidem multis modis nobis ostendit. Nihil enim possumus ostendere in tota huius mundi machina, quin, si interrogemus: Cur est hoc aut aliud creatum, responderi possit: Propter bonitatem Dei. Maxime autem hanc bonitatem ostendit erga genus humanum, primo quando *ad similitudinem* suam produxit[6], deinde quando in unitate personae eius naturam sibi inseparabiliter copulavit. — Quod ad facta attinet, videmus ex toto decursu evangelii, quod nihil intermisit, quod ad procurationem salutis nostrae facere potuit. Nam cum *non rapinam arbitratus esset se aequalem esse Deo*, *exinanivit semetipsum*[7], *de caelo* ad terram *descendit*[8], *paulo minor angelis* factus[9], *habitu inventus est ut homo*[7], omnibus fere defectibus, quibus vexantur mortales, obnoxius fuit. Peccatum non contraxit[10], tamen dicitur *peccatum*[11] et peccatum alieno vicio commissum ipse luit, esurivit[12], sitivit[13], lassatus est, insidias pertulit, iniuriis affectus est et tandem non

[a] *Massarellus f. 100r haec adn.:* super articulis de sacramento eucharistiae die 24. Sept. 1551

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 156, 11–157, 3. De auctore, qui iam die 17. Iunii 1551 Tridentum advenerat (ibid. 66 et Conc. Trid. II 237, 7), cf. ibid. 156 adn. 4. *J. Metzler*, Tres orationes funebres in exequiis Ioannis Eckii [= Corp. Cath. 16, Münster 1930], XXIV s. XLVII–L. LXII. 27–40. *Nikolaus Ellenbog*, Briefwechsel, ed. *Fr. Zoepfl* [= Corp. Cath. 19/21, Münster 1938], 472s., n. 73s. Diebus 6. et 9. Oct. examinavit canones, die 10. Oct. doctrinam de eucharistia, Conc. Trid. VII, I 184, 24–27; 189, 38ss.; 192, 14ss.

[2] Ps. 138, 16.

[3] Cf. Conc. Trid. VII, I 111, 10s.

[4] *M. F. Quintilianus*, Institut. orator. VII c. 2, 27: „Ducitur coniectura primum a praeteritis ... nam is ordo est, ut facere voluerit, potuerit, fecerit". Ibid. 2, 44: „Excussa prima parte ‚an voluerit', sequitur ‚an potuerit'" *(Halm)*.

[5] Marc. 10, 18; Luc. 18, 19.

[6] Gen. 1, 26; 5, 1.

[7] Phil. 2, 6s.

[8] Io. 6, 38. 41s. 51.

[9] Ps. 8, 6; Hebr. 2, 7.

[10] Hebr. 4, 15; 1 Petr. 2, 22; 1 Io. 3, 5.

[11] 2 Cor. 5, 21.

[12] Matth. 4, 2.

[13] Io. 19, 28.

Digitized by Google

dedignatus est pro nobis vilissimam mortem pati, quod sane maximae dilectionis adeoque propensae erga nos voluntatis signum est. *Maiorem* enim *dilectionem* (ut ipsemet testatur[14]) *nemo habet, quam ut animam suam quis pro amicis suis ponat.* Non sufficiebat autem generalem totius mundi impetrasse redemptionem, de qua Paulus ait, quod *Christus semel* mortuus *ad multorum exhaurienda peccata*[15], et iterum: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*[16], verum etiam requiritur, ut singuli istius redemptionis se participes reddant. Quod quidem variis
101r modis | fieri potest, sed peculiari modo per sumptionem corporis et sanguinis Christi, sicuti ipse dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[17]. Quomodo autem manducabimus carnem Christi, nisi ipse se nobis dederit? Cur autem se non daret impassibili modo in hoc sacramento, qui se passibili modo pro nobis tradidit in ara crucis?

Denique verba Christi suam praesentiam corporalem in hoc sacramento evidentius demonstrant. Cum enim in ultima coena vellet figuris imponere terminum et veritatem exhibere, porrecta discipulis eucharistia dixit expresse: *Accipite etc. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*[18]. Si interpretem quaerimus horum verborum, non possumus habere meliorem quam divum Paulum, qui *a Domino* se hoc misterium *accepisse* gloriatur[19]. Hic dicit: *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?*[20] Hoc modo intellexerunt Christi verba concilium Lateranense primum[21] et Florentinum[22], quae diffinierunt in hoc sacramento *sub* visibilibus *speciebus panis et vini veraciter contineri corpus et sanguinem Christi.* Sic s. Augustinus sensit, quando dixit: „Vere magnus Deus et magna misericordia eius, qui dedit nobis corpus suum manducare, in quo tanta perpessus est, et suum sanguinem bibere"[23]. Transeo Ambrosii[24] et aliorum sanctitate et eruditione conspicuorum virorum dicta.

Quod vero adversarii nostri verba Christi ad tropum torquere volunt, non patiuntur antecedentia et consequentia. In consequentibus enim verbis fit mentio de *traditione, effusione* et *remissione peccatorum*[25], et tamen non est intellectus, quod corpus et sanguis in hoc sacramento pro nobis tradatur aut effundatur in remissionem peccatorum, quod tantum semel in cruce et in visibili corpore et sanguine factum est, sed ut sciamus hoc corpus et sanguinem sub sacramento contenta eadem esse cum corpore et sanguine, quae pro nobis in cruce tradita, oblata et effusa sunt. Hoc etiam non admittunt antecedentia verba Christi, quae iubent, ut species porrectae comedantur et bibantur[26]. Si enim essent tantum significativae species et non conti-
101v nentes, videtur, quod plus facerent ad rationem | signi, si ob oculos ponerentur et verbis explicarentur, quam si comederentur et biberentur. Sensus enim, visus et auditus multum faciunt ad cognitionem (ut demonstrat Physicus in prologo Metaphisicae[27]). Si comederentur et biberentur, sentit quidem eas gustus, sapor et tactus, sed non ducunt in noticiam corporis et sanguinis Christi, sed panis et vini, sane in id, quod redolent[a]; manent enim accidentia panis et vini. Praeterea comestibilia non durant in memoria. Hinc quando memoriale aliquod, ut est hoc corpus et sanguis, volumus perpetuare, non statuimus in comestibilibus, sed incidimus marmori, cupro, ferro aut aurichalco. Hoc argumentum meum probat usus ecclesiae. Ecclesia enim quadruplici modo utitur hoc sacramento: primo ut signo, deinde ut sacrificio, tertio ut communione, quarto ut viatico. Ut signo utitur in festo Corporis Christi, utitur (inquam) non comedendo, sed circumfert, ostentat, exornat, adorat, verbis et canticis rationem eius explicat, et sic per octiduum omnium conspectui exponit et demonstrat. Posset aliquis obiicere de figuris Veteris Testamenti ut de agno paschali[28], manna[29] et sacrificiis, quae significativa tantum erant et tamen comestibilia. Respondeo: Alia ratio erat de signis Veteris Testamenti quam Novi, quia praeter id, quod erant significativa spiritualium, etiam erant cibus corporalis et in deserto, nisi habuissent manna, tota multitudo periisset pre fame. Et in terra promissionis

[a] *loco del.* reddent

[14] Io. 15, 13.
[15] Hebr. 9, 28.
[16] Hebr. 10, 14.
[17] Io. 6, 54.
[18] Matth. 26, 26. 28.
[19] 1 Cor. 11, 23.
[20] 1 Cor. 10, 16.
[21] Videl. synodus 113 episcoporum Romae in basilica Lateranensi ineunte mense Apr. 1059 habita; cf. supra p. 102, adn. 35. Potius vero intelligatur conc. Lateranense IV (a. 1215), c. 1 de fide cath. = c. 1 *Firmiter* [X] de s. trinit. I 1, § 3 (*Friedberg* II 5).
[22] Decr. pro Armenis, c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057C. *Denzinger* l. c. n. 1321).
[23] Enarratio in Ps. 33, serm. 2, c. 25 (CChr. XXXVIII 298, 2–4).
[24] E. gr. De sacramentis IV, c. 5, 19s. (CSEL LXXIII 54, 57ss.).
[25] Cf. Matth. 26, 28; Marc. 14, 24; Luc. 22, 20; 1 Cor. 11, 24.
[26] Cf. Matth. 26, 26; Luc. 22, 17.
[27] *Aristoteles*, Metaphysica I 1 (rec. *Bekker* 980, 26s.).
[28] Exod. 12, 3ss.
[29] Exod. 16, 15ss.

Digitized by Google

tribus Levitica ideo non habebat sortem inter alios fratres, eo quod sacrificiis essent sustentandi[30]. Haec vero eucharistia non accipitur propter corporalem refectionem.

Hactenus de voluntate Christi erga nos; iam de potestate. Si hanc perpendimus, ille idem est, qui *ex nihilo fecit coelum et terram*[31] et totius mundi globum. Hic est, qui *flumina vertit in sanguinem*[32], *virgam Aaron in colubrum*[33] et colubrum in virgam. Hic est, qui clausum virginis uterum exivit, qui verbo restituit claudis gressum, caecis visum, surdis auditum, mortuos nutu resuscitavit[34]. Hic est, qui patri coelesti spirituique sancto in omnipotentia aequalis; hic est denique, de quo psalmographus ait: *Omnia quaecunque voluit fecit in coelo et in terra*[35]. Et proinde facere potest, ut corpus suum sit in coelo et in terra simul, in coelo visibile, hic sub | involucris 102r
specierum, in coelo quantitative, hic per modum substantiae, in coelo sedens[36], hic situ carens. Si igitur constat nos Christum habere benevolum et etiam omnipotentem nosque eius sacramentali praesentia indigere sciat, quid obstaret, quominus ecclesiae, eius sponsae dilectissimae, veraciter corpus et sanguinem suum in hoc sacramento reliquisset iuxta illud: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*[37]. — Et tantum de prima particula primae conclusionis hic longior fui, quia haec particula est omnium errorum sequentium mater. Iam me brevibus absolvam.

Secunda particula primi articuli: *neque divinitatem D. N. Iesu Christi.*

Quando Christus ambulavit in terris, pauci crediderunt visibili eius carni unitam esse divinitatem. Hinc cum diceret Io. 6 [51] se esse *panem vivum, qui de coelo descendisset*, murmurabant inter se dicentes: *Nonne hic est filius Ioseph? Quomodo ergo descendit de coelis?*[38] Praeterea dixerunt ipsum esse *blasphemum*, quod se nominasset *filium Dei*[39]*;* hec erat causa damnationis eius. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent*[40]. An autem aliquis prima particula concessa neget istam, nescio et sane mirum esset. Quod facilius est ad credendum, quod Deus (qui alioqui ubique est) hic sit, etsi alio modo, quam quod totum corpus Christi sit sub tam parva hostia et tamen non sentiatur. Sed esto quis dubitet adesse divinitatem, hic error provenit forsan ex malo intellectu verborum consecrationis, eo quod non faciant mentionem de divinitate, et per consequens eam non faciant adesse. — Illis recte respondetur: adesse quidem divinitatem, sed non ex vi verborum consecrationis, sed ex naturali concomitantia. Postquam enim verbum divinum humanam naturam assumpsit, numquam eam dimisit[40a]. Si enim eam aliquando dimisisset, hoc maxime factum fuisset, quando clamabat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*[41] Sed hoc non est factum; dicit enim quaedam glosa super illa verba: *Subtraxit protectionem, non solvit unionem*[42]. |

Tertia particula: *sed tantum sicut in signo.* 102v

Verum quidem est hoc sacramentum esse signum, sed esse signum *tantum*, hoc non solum huic sacramento, sed etiam omnibus sacramentis novae legis repugnat. Omnia enim praeter id, quod significant, sunt etiam causae, nimirum gratiae[43]. Ultra hoc autem est Christus speciali modo in hoc sacramento, sed non effectualiter tantum sed etiam substantialiter. Sed hic error tam ex superioribus quam ex revocatione Berengarii[44] est satis confutatus.

Tertius articulus

In eucharistia esse quidem corpus et sanguinem Domini nostri, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transsubstantiatio...[45]

Si prima particula huius articuli conceditur, quod videlicet verum corpus et sanguis Christi sit in hoc sacramento, reliquae particulae huius articuli non habent difficultatem. Aut enim sunt ibi per localem descensum e coelo, aut sunt ibi per generationem aut per conversionem panis in ipsum. Sufficiens enumeratio potest colligi ex divo Thoma[46]. Non autem potest ibi esse per descensum localem, quia sic desineret esse in coelo, et hoc pacto articulus fidei[47], qui asserit Christum sedere in coelo *ad dextram patris*, esset falsus. Neque potest ibi esse per generationem sic, ut de novo de virgine nasceretur, quia tunc non esset hoc corpus, quod pro nobis

[30] Num. 18, 20. 23s.; Deut. 10, 9; 18, 1.
[31] 2 Mach. 7, 28.
[32] Exod. 7, 17. 19s.; Ps. 77, 44.
[33] Exod. 7, 9.
[34] Cf. Matth. 11, 5; Luc. 7, 22.
[35] Ps. 113, 3; 134, 6.
[36] Cf. Marc. 14, 62; 16, 19.
[37] Matth. 28, 20. [38] Io. 6, 42.
[39] Cf. Matth. 26, 65; Io. 10, 36; 19, 7.
[40] 1 Cor. 2, 8.
[40a] Cf. supra p. 180, 7 cum adn. 15.
[41] Matth. 27, 46; Marc. 15, 34.
[42] *Petrus Lombardus*, Sententiarum III, dist. 21, c. 1, n. 144 (Ad Cl. Aquas² 1916, II 645).
[43] *Petrus Lomb.*, Sent. IV, dist. 1, c. 4, n. 4.
[44] C. 42 *Ego Berengarius* de consecr. dist. 2 (*Friedberg* I 1328s.).
[45] Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.
[46] Summa th. III, qu. 75, art. 2–3.
[47] Symbolum apost., art. 6.

Digitized by Google

traditum esset. Cum tamen Christus[a] haec verba de hoc corpore, quod est in hoc sacramento, dixerit, necesse est ergo, quod ibi sit per conversionem panis in ipsum. Si autem panis convertitur in corpus Christi, aut hoc erit secundum accidentia panis aut secundum substantiam. Non secundum accidentia, quia videmus ea remanere post consecrationem. Ergo secundum substantiam. Et sic patet, quod ibi sit transsubstantiatio.

103r Ex hoc iam corruit etiam tertii membri heresis, quae | dicit de hipostatica unione. Cum enim substantia panis iam non amplius sit — versa est enim in corpus Christi —, ⌜non potest hypostatice uniri cum humanitate Christi⌝[a] etiam in se considerata, quia quod non est, non potest uniri. Iam dato, quod substantia panis maneret, non posset fieri hipostatica unio ex parte humanitatis Christi, quia ipsa non subsistit in propria hipostasi, sed in Verbo. Quod autem Verbum assumat panem (dato adhuc, quod maneret) sicut humanam naturam in unitate suppositi, hoc esset inconveniens, quia Deus et natura nihil faciunt frustra[48]. Haec autem assumptio humanae naturae a Verbo facta est, ut a peccato mundaretur et primo gratiam, deinde gloriam adipisceretur. Sed cum panis natura non sit peccato infecta et tanquam irrationalis creatura neque gratiae neque gloriae posset esse capax, esset haec assumptio frustranea. — De Lateranensis concilii determinatione[49] dictum est satis.

Quintus articulus

Christum in eucharistia non esse adorandum neque festis venerandum neque in processionibus...[50]

Prima particula: *Christum in eucharistia non esse adorandum*

Quoad primam particulam huius articuli, quae est de adoratione, ego distinguo: Aut enim intelligunt de eucharistia sua sive Lutherani sive Zvvinliani[b], addo etiam Anabaptistae, aut nostra. Si primum, christiane admonent, ne adoremus, Lutherani quidem, quia ut plurimum habent ministros ecclesiae non ordinatos. Zvvingliani et Anabaptistae ultra hoc non habent intentionem faciendi, quod facit ecclesia. Et hoc pacto tam ex defectu ordinis quam intentionis, quae utraque sunt de substantia consecrationis eucharistiae, nihil nisi idolum conficiunt, quod tanto minus adorandum est, quo severiori poena idolatria semper punita fuit. |

103v Aut intelligunt de nostra eucharistia, tunc ⌜nego. Cum enim supra ostensum sit Christum esse in hoc sacramento et eundem esse Deum, competit illi, quod dicitur: *Dominum Deum adorabis etc.*[51]⌝[a]. Loquuntur ergo ut impii heretici et blasphemi secundum radices, ex quibus moventur. Et haec sunt aut Zvvinglianorum aut Lutheranorum aut Beguardorum[52]. Duorum priorum radices, scilicet absentia veri corporis Christi et praesentia panis atque imperfectio sacramenti, satis confutatae sunt tam per examen excellentissimorum theologorum quam R^morum^ patrum sententias. Beguardorum levior est, quam ut indigeat responsione, quasi adoratio trahat deorsum *ab altitudine* divinae *contemplationis*, quia sicut contemplatio ita etiam adoratio sursum in Deum tendit. Nam ratio omnis adorationis est divinitas; licet enim humanitatem adorem, tamen hoc non fit nisi propter divinitatem adiunctam.

Secunda particula: *neque festis venerandum*

Sectarii quidem sunt parcissimi festorum. Tamen non puto eos in universum festa damnare; sciunt enim haec ut plurimum ex divinis beneficiis originem sumpsisse obque hoc Deo tanquam gratitudinis signum complacuisse. Exempla de paschate, pentecoste etc. Hoc autem festum ideo aspernantur, quia, cum non credant veritatem aut integritatem beneficii, gratiarum non credunt opus esse magnitudine.

Tertia particula: *neque in processionibus circumgestandum*

Processiones in genere sectarii parvi faciunt .Dicunt enim: Processiones sunt circumitiones; circumire est errare. Oportet recta tendere. Cum ergo processiones in genere contemnant, non mirum de ista propter rationem in precedenti particula dictam.

Quarta particula: *neque ad infirmos deferendum*

Hic meo iudicio non est mens sectariorum interdicere corpus Christi infirmis, sed tantum solennitatem deferendi, quae scilicet fit cum luminibus, cum scolaribus, canticis, campanula,

[a] *in marg. add.* [b] *cod. sic*

[48] Ezech. 14, 23.
[49] Conc. Lateranense IV, c. 1; vide supra adn. 21.
[50] Conc. Trid. l. c. 112, 22s. [51] Matth. 4, 10.
[52] Cf. conc. Viennense (a. 1311/12), errores Beguardorum damnati n. 8: „Quod in elevatione corporis Iesu Christi non debent assurgere nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate et altitudine suae contemplationis tantum descenderent", in c. 3 *Ad nostrum* in Clem. de haeret. V 3 (*Friedberg* II 1183. *Denzinger* l. c. n. 898).

Digitized by Google

comitiva plebis, cum benedictione, cum concessione indulgentiarum[53]. Ratio patet tam ex sequentibus quam precedentibus articulis. |

Quinta particula: *et eius adoratores esse veros idolatros* 104r

Si idolatria est impendere divinum cultum illi, cui non debet, hic locum non habet. Patet ex prima particula huius articuli.

Sextus articulus

Non esse reservandam eucharistiam in sacrario, sed statim consumendam...[54]

Iste articulus est hereticus. Aut enim praesupponit eucharistiam licere consecrari extra missam aut infirmis non dandam. Si primum, hoc est contra consuetudinem ecclesiae, contra usum Christi et reverentiam sacramenti; numquam enim ita digne et devote conficeretur ac tractaretur. Et praeterea, si in omnibus angulis consecraretur, possent facile superstitiones et idolatria emergere. Si alterum, hoc esset contra concilium Nicenum, quod omnibus in extremis laborantibus adeoque infirmis iubet corpus Domini dare[55]. — Praeterea eucharistia aut non esset necessaria infirmis aut esset necessaria. Si non necessaria, male faciunt, quod tantopere urgeant utramque speciem pro laicis, cum utraque carere possint. Si necessaria et non eis daretur, eo quod non possent intrare ecclesiam ad synaxim (ut vocant), tunc infirmi, alioqui viri optimi, essent deterioris conditionis quam fures et latrones suspendendi aut iugulandi, quia ad illos defertur eucharistia, ne, si intrarent ecclesiam, gauderent immunitate ecclesiastica et sic liberarentur. Nescio, ubi adversarii se fundent in hoc articulo. Superficialiter faceret pro eis c. [23] *In tribus gradibus*[56] de consecrat. dist. 2; sed si videatur epistola Clementis, ex qua hoc capitulum sumptum est, antecedentia statim diversum indicabunt[57]. Quod etiam de agno paschali praecipitur, ut nihil reservetur in mane[58], vel de manna, ne plus quam pro uno die colligant[59], hoc diffidentiam in Deum prohibet, illud festinare monet et nihil pro Lutheranis facit. Ergo articulus hereticus est. Confirmant[a] praeceptum ecclesiae de custodienda eucharistia et historiae, quae mentionem faciunt de ciboriis[60].

Septimus articulus

In hostiis seu particulis consecratis post communionem remanentibus non remanere corpus Domini, sed tantum ibi esse, dum sumitur...[61]

Error iste praesupponit perfectionem huius sacramenti consistere in usu, sicut baptismus, confirmatio | et extrema unctio etc. Hoc est hereticum et damnandum. Perficitur enim in con- 104v
secratione materiae. Quando enim Christus porrigebat discipulis suis panis et vini species, iam ibi erat corpus et sanguis suus, et non tunc demum, cum inciperent dentibus premere. Dicant autem quicquid velint, usus eorum non respondet heresi suae, quia, si esset tantum in usu sacramentum, tunc oporteret super unaquaque particula verba consecrationis proferre, et tunc demum, quando imponeret[ur] ori uniuscuiusque communicandi, sicut fit in baptismo et in confirmatione etc. Verum hoc non faciunt, sed aeque plures hostias simul consecrant sicut et nos, neque adeo cito post consecrationem porrigunt. Interim tamen credunt ibi manere corpus Christi. Necesse est ergo, quod hoc sacramentum contra doctrinam suam consistat in consecratione materiae et non in usu. Sed non miror, cur sibi ipsis ita contradicant; aliud dicunt, aliud sentiunt; sola veritas sibi ipsi consistit. Totum, quod dicunt de reservatione et perfectione in usu, (meo iudicio) ideo dicunt, ut possint in occulto regnum suum erigere, quia ecclesia non dat eis hoc sacramentum suo modo neque permittitur eis, ut publice suo more conficiant. Ideo, ut eis hoc liceat in occulto, docent extra missam licere consecrare, et deinde, quando plus conficiunt saltem de vini specie, quam infirmus sumere possit, ne necesse habeant resi-

[a] *cod.* confirmat

[53] Cf. c. 10 *Sane* X de celebrat. miss. III 41. *P. Browe*, Die Verehrung d. Eucharistie im MA., München 1933, 36. 98.

[54] Cf. Conc. Trid. l. c. 113, 3s.

[55] Conc. Nicaenum I (a. 325), can. 13 (*Bruns* I 18. *Lauchert* 40, 30ss.). Cf. supra p. 187, 46s. cum adn. 88.

[56] Ubi inter alia haec leguntur: „Tanta in altario certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum ... diligentia consumantur" (*Friedberg* I 1321).

[57] *Ps.-Clemens I*, epist. 2 Ps.-Isidor., c. 45 (*Hinschius*, Decretales 47). Ibid. haec antecedunt: „commissa sunt sacramenta ... presbitero, diacono et ministro, qui cum tremore ... reliquias corporis dominici debent custodire fragmentorum" (l. c. 47).

[58] Exod. 12, 10.

[59] Exod. 16, 16. 19.

[60] Cf. quae *Liber pontificalis*, vita Symmachi c. 6 et 9 (MG Gest. pont. Rom. I 122, 24ss.; 124, 8ss.) refert de altaribus cum cyboriis, i. e. aediculis sive baldachinis, quae auctor cum ciboriis ad eucharistiam custodiendam factis confudisse videtur; vide Conc. Trid. VI, III p. 22, 7 cum adn. 7.

[61] Cf. Conc. Trid. VII, I 113, 7s.

Digitized by Google

duum reverenter et publice reportare in ecclesiam et sic reprehendantur, dant circumstantibus[a] ad bibendum et, ne propter conscientiam forte quis sumere recuset[b], adimunt hunc scrupulum, dicentes non amplius esse sacramentum. Haec est potissima via, per quam pseudopresbiteri in tam brevi tempore corruperunt Germaniam, quod sic clam sine omni nota clericali portantes calicem in manicis et panem in pera repunt in domos fautorum et in illis conventiculis sacramenta administraverunt et predicaverunt. Cum enim ordinarii locorum hoc ignorent, praecavere non possunt.

Octavus articulus

De iure divino esse sub utraque specie et populum et parvulos communicare ...[62]

Latius est actum in praecedentibus congregationibus de illo articulo, quam ipsius facies 105r habet. Articulus enim quaerit tantum, an necessarium | sit ex lege divina laicos hoc sacramentum sub utraque specie sumere. Quidam[63] autem admonuerunt cogitandum, an licite possit fieri vel etiam expediat, ut Germanis sub utraque specie permittatur, et hoc propter materiae coherentiam prudenter et apposite dixerunt. Tamen cum Protestantes non adsint, ego non consulerem, ut ultra quaestionis continentiam nos intromitteremus, quia, cum non liceat facile legittimi[c] concilii definitiones retractare aut revocare, praecluderemus nobis ipsis viam agendi cum Protestantibus, si venirent. Vel si ipsi intelligerent ex futurae sessionis decretis in hac materia, in qua totius negocii cardo vertitur, esse iam irrevocabiliter conclusum, daremus eis occasionem, ut non venirent, quasi omnis spes aliquid obtinendi esset adempta, et sic nunquam posset res concordari. Praeterea haec materia requireret longiorem tractatum.

Omissis igitur hiis respondeo ad articulum[d] de necessitate precepti. Praemitto tamen etiam, quod hic non velim dicere de pueris tanquam de impertinentibus, quia nec licet illis sub una specie communicare. Praeterea de illorum communicatione hodie non est dubium. Tertio credo hanc particulam inter alios Graecorum errores iam olim damnatam.

Quantum igitur pertinet ad necessitatem communicandi sub utraque populum, multi multa quaerunt refugia evadendi; ego non vererer dicere communionem populi sub utraque non repugnare legi divinae. Si de Christi verbis volumus certare, quasi tantum apostoli presentes fuerint in coena, obstat apostolus Paulus, qui communicavit populum sub utraque specie, allegans super hoc verba Domini, non autem alia, quam quae dixit ad duodecim, scilicet: *Accipite et bibite etc.*[64] Praeterea constat ex multis argumentis, quod ille usus diu duraverit in quibusdam ecclesiis.

An sit praeceptum sic communicare? Verba coenae imperativa[64] sic videntur sonare. Verum non adiungunt comminationem poenae. Sed in posterum quodammodo liberum relinquit, dicens: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis*[65]. Io. 6 [54] fit mentio de poena non sumentium carnem et sanguinem; dicitur enim: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et* 105v *biberitis eius sanguinem*, | *non habebitis vitam in vobis.* Sed in illa comminatione[e] non fit mentio de speciebus. Et si illa poena de sacramentali communione intelligeretur sicut de baptismo, quando dicitur: *Nisi quis renatus fuerit etc.*[66], conveniret, ut etiam materia et minister huius sacramenti tam communia essent sicut in baptismo. Praeterea alia ratio est de baptismo quam de eucharistia, quia parvuli possunt eucharistiam per ecclesiam spiritualiter accipere, baptismum autem non, quia nondum sunt de ecclesia. Sed esto, quod poena aeterna precepto adiuncta fuisset in verbis coenae Domini, tamen non esset nisi preceptum affirmativum, quod licet obliget semper, non tamen ad semper, sed tantum, quando potest fieri secundum debitam materiam et circumstantias. Audiuntur autem multi defectus tam secundum materiam quam secundum circumstantias. Secundum materiam quidem, quia in quibusdam locis non potest haberi vinum. Hinc aliquando leguntur Norvvegiani supplicasse Innocentio III, ut dispensaret cum eis, quo liceret eis conficere hoc sacramentum sub una specie[67]. Deinde vinum non est reservabile vel effusibile facile. — Secundum circumstantias autem personarum, quia alii non bibunt vinum; deinde, quia fideles iam multiplicati et in tanta multitudine iuvenum incompositorum et senum tremulorum posset facile effusio fieri etc.[68] Ex tali ratione apostoli moti concesserunt legalium

[a] *cod.* circumstantias [b] *cod.* recusat [c] *cod. sic* [d] *loco del.* tractatum
[e] *cod.* communicatione

[62] Cf. ibid. 113, 11s.
[63] Videlicet cardinalis Tridentinus et episcopi Zagrabiensis et Viennensis, ibid. 144, 10ss.; 145, 21ss.; 146, 2ss. 15s. et supra p. 153, 1ss.; 165, 12ss.
[64] 1 Cor. 11, 24; cf. Matth. 26, 26s.
[65] 1 Cor. 11, 26.
[66] Io. 3, 5.
[67] Quae res accidit non tempore Innocentii III, sed Innocentii VIII et e falsariorum avaritia origenem traxit; vide Conc. Trid. VIII 567, 15s. cum adn. 3; VII, I 120, 23 cum adn. 13; 444, 13; praeterea supra p. 162, 1s. cum adn. 82. *H. Jedin*, Geschichte des Konzils v. Trient III 499, adn. 6.
[68] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 80, art. 12.

Digitized by Google

observationem ultra tempus debitum[69]. Ex tali ratione recesserunt ad tempus a communi et ab expressa a Christo[a] forma baptisandi[70].

Cum ergo non legatur Christum hoc sacramentum, sed tantum rem sub comminatione aeternae poenae instituisse, et preterea verba coenae sint preceptum affirmativum, non peccant qui ex ordinatione ecclesiae cogunt populum sub altera specie communicare. Nam ex illa ratione quidam doctores (inter quos est Gerson[71], vir magnae doctrinae) tenent, quod ambo species non ita sint de necessitate salutis, quin omitti possint, si non contemptus, sed necessitas sacramentum excludat. Et haec conclusio stare potest meo iudicio, sive caput Ioannis 6 de sacramentali sive spirituali manducatione intelligatur.

Secundus articulus

Exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum manducandum per fidem ...[72] |

Sic sentiunt theologi. Nullos scio hereticos, qui impugnent sacramentalem communionem. 106r
Licet enim Zvvingliani et Anabaptistae nihil sentiant de veritate corporis Christi, tamen celebrando coenam Domini sumunt sacramentum. Licet autem non sentiant per hanc sacramentalem communionem sumere corpus Christi, sed solum per spiritualem, tamen iste articulus non habet locum contra eos, quia, sicut prima particula huius articuli indicat, agitur de illis tantum, qui credunt verum corpus Christi in hoc sacramento exhiberi. *Exhiberi* (inquit) *in eucharistia etc.* Inter catholicos autem nescio, an aliquis sacramentalem communionem damnet, nisi quod legitur in canonibus de quibusdam presbiteris, quod non receperint celebrando alteram speciem, ut in canone *Perlatum*[73] et *Comperimus*[74]. An sit error vel haeresis, dubito. Inter catholicos etiam in casu sufficit spiritualis sumptio, ut illis, qui laborant ex stomacho. Extra hunc aut[em] vel similem casum recusare sacramentalem communionem censeo hereticum et ultra id est detrimentosum, quia, si quis non tantum spiritualiter sed etiam sacramentaliter sumit, perfectius sumit quam is, qui spiritualiter tantum. Tametsi autem quidam de re sacramenti negent, tamen videtur hoc sentire s. Thomas[75]. De speciebus est certum, quod non frustra sunt institutae; allegantur enim per Magistrum in Sententiis[76] aliquot causae utpote eruditio, humiliatio et exercitatio. Ultra haec est pregnans causa propter adunationem fidelium in *uno corpore*[77], cum dicit: In nullum nomen religionis etc.[78]

Ultra has causas est una, scilicet Lutheranorum, qui non credunt alicubi esse gratiam vel saltem non certo, nisi ostendatur signum divinae promissionis, sicut nec aliquis certo sperare potest vinum esse in aliqua domo, nisi exterius videant circulum significantem[79]. Et haec non est minima causa, cur ita Lutherani certent pro ambabus speciebus. Miror, cur nullus theologorum has causas adduxerit, cum haec causa apertissime et satis suspecte in Confessione Lutherana allegetur[80].

[a] *cod.* Christi

[69] Cf. Act. 15, 28s.

[70] Cf. Matth. 28, 19 cum Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48; 19. 5.

[71] *Io. Gerson*, Tractatus De necessaria communione laicorum sub utraque specie, regula 3: „In expugnatione tali declarari potest faciliter apud nolentes protervire vel ex affectu praviter errare, quod sumptio sacramenti sub utraque specie a laicis modo non est aut unquam fuit de necessitate praecepti iuris divini sub poena damnationis aeternae. Attamen dum fiebat a laicis praecipiente vel permittente vel consulente ecclesia, bene fiebat... Nunc vero dum certa ratione inolevit opposita consuetudo ..., sumptio talis temeraria est et praesumptuosa, scandalosa, seditiosa et ecclesiastici ritus turbativa et ex consequenti aeternae damnationis inductiva" (Oeuvres compl. X, Paris 1973, 60).

[72] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 1s.

[73] Potius c. 11 *Relatum* dist. 2 de consecr. = conc. Toletanum XII (a. 681), can. 5 (*Bruns* I 326).

[74] C. 12 ibid., *Gelasius I* (a. 496); cf. *Jaffé*, Reg. 725.

[75] Summa th. III, qu. 80, art. 1 ad 3: „effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re ... Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio, quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio quam solum desiderium"; cf. ibid. art. 11.

[76] *Petrus Lombardus*, Sent. IV, dist. 11, c. 3: „Quare sub alia specie"; c. 4: „Quare sub duplici specie".

[77] 1 Cor. 10, 17.

[78] Intelligenda esse videntur quae scripserat *Thomas Aqu.*, In IV Sent. dist. 8, qu. 1, art. 1, quaestiunc. 3: „non debet imponi nomen proprium uni sacramento, ut dicatur eucharistia"; ibid. sol. 3 responderat: „dicitur communio vel synaxis ..., inquantum scilicet homo congregatur ad unum et ad seipsum et ad alios, ei quod est maxime unum coniunctus"; similia leguntur in Summa th. III, qu. 73, art. 4.

[79] Sic illustrabatur doctrina Zwinglii et Oecolampadii de eucharistia, in qua *corpus et sanguinem Christi tantum esse ut in signo, sicut vinum dicitur esse in circulo ante tabernam*, Conc. Trid. V 869, 15ss.

[80] Confessio Aug., art. XXII de utraque specie (Die Bekenntnisschriften l. c. I 85s.). Cf. Conc. Trid. V 870, 16ss.

Digitized by Google

Quartus articulus

Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum[81].

Voluissem libenter, ut iste articulus praetermitteretur. Nam praeter id, quod *solam* et *institutum* non quadrant, generat magnam negligentiam in rudibus; non enim preparant se ad eucharistiam, cum audiant hoc ipsum conferre remissionem peccatorum. Tamen cum hoc sacramentum conferat sane intelligendo remissionem peccatorum, non potest commode fieri, 106v ut omittatur. Vellem | tamen sic vel alio meliori modo mutari:

Ita sperare remissionem peccatorum ex eucharistia, ut non credamus necessarium partes poenitentiae sumptioni praemittere, sit anathema.

Sextus articulus

Non licere, ut quis seipsum communicet[82].

Hic articulus iam olim apud canonistas disputatus est, sed cum vix sopita sit illa haeresis, quae asseruit quemlibet Christianum esse sacerdotem[83], ego non refricarem. Mallem, ut hic quereretur, an sacerdos eucharistiam pro alio sumere posset, quia, cum dicimus, quod sacerdos alteram speciem pro laico sumat, non credunt.

Nonus articulus

Non contineri sub altera specie tantum, quantum sub utraque, neque tantum sumere communicantem sub una specie quantum sub utraque[84].

Cum *sacramentalis sumptio plenius inducat* secundum s. Thomam[85] *sacramenti effectum* quam spiritualis, non immerito hic quaeri potest quoad secundam partem articuli, an ex una specie plus inducatur effectus quam ex utraque. Responsio mea patet ex dictis ad articulum secundum.

Decimus articulus

Solam fidem esse sufficientem preparationem ad sumendam eucharistiam, neque ad id confessionem esse necessariam . . .[86]

Lutherani hic latiori significatione accipiunt *fidem* quam nos; accipiunt enim etiam pro parte poenitentiae. Sed sive accipiant fidem ut nos sive suo modo, est haec particula haeretica, quia primo modo stat cum ea peccatum mortale. Secundo modo a Catholicis non habent probationem, quia alias partes ponunt[87].

De confessione tenent, quod sit tantum propter instructionem ignorantium[88]. Ideo non credunt doctis necessariam. Ego credo, quod supposito peccato mortali ante susceptionem eucharistiae confitendum sit vel in re vel in voto. Vellem, ut de confessione inter Catholicos conveniret. Illi, qui sacramentum poenitentiae totum dicunt esse absolutionem[89], non videntur neque contritionem neque confessionem neque satisfactionem inter partes sacramenti poenitentiae ponere. Licet autem propterea confessionem non tollant, tamen videretur, quod plus homines erga illam afficerentur, si inter partes sacramenti poenitentiae recitaretur.

Quod ad communionem in paschate attinet, vellem, ut adderetur, quemadmodum canon [12] *Omnis utriusque* [X de poenit. et remiss. V 38] habet: *nisi ex rationabili causa ex consilio confessoris etc.*[90]

Haec sunt, amplissimi Patres, principes et Domini, quae ad articulos dicenda videbantur. Rogo, ut iuxta praemissam protestationem clementer accipiantur.

[81] Cf. Conc. Trid. VII, I 112, 20.
[82] Cf. ibid. 113, 4s.
[83] *M. Luther*, De captivitate Babylonica: „Quare omnes sumus sacerdotes, quotquot Christiani sumus" (WA VI 564, 11). Auctor vero loqui videtur de haeresi Anabaptistarum.
[84] Cf. Conc. Trid. VII, I 113, 20s.
[85] Vide supra adn. 75.
[86] Cf. Conc. Trid. l. c. 114, 1ss.
[87] Videl. tres partes, de quibus cf. ibid. 233, 14s.
[88] *[M. Butzer,]* Bestendige Verantwortung auß der hl. schrifft u. war catholischer lehre, 24. klag: Ordnung von der heymlichen beycht: „Dan die unmögliche und unbesserliche erzelung der sünden von niemandt erforderet würt. Allein sollen die leuth freuntlich ermanet werden, diese ihre fähl und geprechen zu entdecken, derhalben sie besonders raths und trosts bedörffen. Darzu sollen sie da aufs freuntlichest catechizieret, das ist ihres glaubens befraget, underwiesen und gestercket werden" ([Bonn] 1545, 221r). Cf. Conc. Trid. VII, I 235, 5s.
[89] Videlicet Scotistae; cf. *Io. Duns Scotus*, In IV Sent. dist. 16, qu. 1, n. 7: „Poenitentia sacramentum est illa absolutio sacramentalis facta certis verbis etc. Huius autem nulla pars est contritio, quae est quoddam spirituale in anima, neque confessio, quia nihil est ipsius sententiae sacerdotis, sed actus rei accusantis se, neque satisfactio, sed sequitur illam absolutionem sacramentalem" (Opera XVIII, Parisiis 1894 [Farnborough 1969] 421). Cf. Conc. Trid. VI, II 41, 39 cum adn. 13.
[90] *Friedberg* II 887.

Digitized by Google

22.

Michael Pugius, episcopus Elnensis
Sententia super articulis de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 24. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 17r–18v *(copia coaeva ab auctore subscripta)*

Iesu Christi nomine invocato. Conc. 14 17r

Super decem articulis propositis haec est mea sententia, ut primus articulus, qui habet: *In eucharistia non esse re vera corpus et sanguinem etc.*[2], sit haereticus, cum fides catholica contrarium teneat, scilicet in eucharistia esse re vera corpus et sanguinem et divinitatem D. N. Iesu Christi, ut probat textus in c. [35] *Quia corpus* de consecr. dist. 2 ibi: „Caelestis confirmat autoritas: *Quia caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*[3]. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui autor est muneris, ipse est etiam testis veritatis“[4]. Et idem probat textus in c. [41] *Nos autem*, c. [42] *Ego Berengarius*, c. [55] *Panis* el 2, c. [72] *Utrum sub figura*, c. [82] *In Christo* el 2 de consecr. dist. 2[5]. Et est ibi divinitas, quia quod semel asumpsit, numquam dimisit[6] et quia in concilio generali alias ita definitum fuit[7]. Ideo articulum condemnandum censeo.

Secundus articulus, qui dicit: *Exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum manducandum etc.*[8],

videtur meo iudicio damnandus, quia, cum exhibetur Christus in eucharistia, non solum exhibetur spiritualiter sed etiam sacramentaliter manducandus, c. [58] *Qui manducant* de consecr. dist. 2 ibi: „Quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur et bibitur“[9], et ibi: „Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem“[10]. Et ideo crederem dictum Ioannis c. 6 intelligi debere de utraque manducatione sacramentali et spirituali, quia D. N. Iesus Christus de utraque promiscue Capharneitis verbum fecit aliquando de carne, aliquando de spiritu loquendo, antequam[b] diceret: *Nisi manducaveritis et biberitis sanguinem etc.*[11] Probat hoc textus in c. [59] *Credere* de consecr. dist. 2 ibi: *Qui manducat meam carnem etc.*[12]

Tertius articulus, qui habet: *In eucharistia esse quidem corpus simul cum substantia panis etc.*[13], haereticus est et in concilio generali damnatus, c. [1] *Firmiter credimus*, § [3] *Una vero* [X] de summa trinit. et fide cath. [I 1] ibi: *Substantia panis* virtute divina transsubstantiatur *in corpus Christi et substantia vini in sanguinem Christi*[14]. Itaque desinit esse substantia panis et vini et remanent accidentia tantum. C. [6] *Cum Marte*[15] [X] de celebr. missar. [III 41], c. [55] *Panis* el 2, c. [34] *Species* de consecr. dist. 2[16]. Et quod dicit de unione hipostatica, est haereticum, quia darentur in Christo tres naturae[c], scilicet divina, humana et panis, quod fuit in concilio generali condemnatum[17].

Quartus articulus, qui dicit: *Eucharistiam ob solam remissionem peccatorum institutam*[18], haereticus est, quia, licet aliqui dicant esse *efficientiam, id est peccatorum remissionem*, non tamen dicunt *ad solam remissionem*, c. [34] *Species* in fine de consecr. dist. 2[19]. Item, quia | sanctissimum 17v

[a] *Massarellus in marg. super. haec adn.:* Episcopi Elnensis super articulis de sacramento eucharistiae die 24. Sept. 1551. Tridenti [b] *cod.* anteaquam [c] *cod.* naturas

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 157, 5–14. De auctore cf. ibid. adn. 3. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 872–874.
[2] Cf. Conc. Trid. l.. c 111, 10s.
[3] Io. 6, 55.
[4] *Friedberg* I 1325, ex *Eusebii ‚Gallicani‘* homilia 17, c. 2 (CChr. CI 196, 23–26). Cf. Conc. Trid. V 885, 48ss.
[5] *Friedberg* I 1328s. 1334. 1342. 1346s.
[6] Cf. *Petrus Lomb.*, Sent. III, dist. 21, c. 1, n. 144ss. (Ad Cl. Aquas[2] II 645 ss.) et supra p. 180, 7 cum adn. 15.
[7] Conc. Lateranense IV (a. 1215), can. 1 de fide cath. = c. 1 *Firmiter* X de s. trinit. I 1, § 3 (*Friedberg* II 5).
[8] Conc. Trid. VII, I 112, 18.
[9] *Friedberg* I 1336, ex *Augustini* sermone 131, c. 1 (*Migne*, PL XXXVIII 729).
[10] Ibid. § 2 (l. c. 1336).
[11] Io. 6, 54.
[12] *Friedberg* I 1337.
[13] Conc. Trid. l. c. 112, 7ss.
[14] *Friedberg* I 5 (non ad verbum); cf. conc. Florentinum, decr. pro Armenis c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057C. *Denzinger*, Enchiridion[34] n. 1321).
[15] *Friedberg* II 638.
[16] *Friedberg* I 1324. 1334s.
[17] Conc. Chalcedonense, act. 5 (22. Oct. 451), definitio de duabus naturis Christi (Acta conc. oec. ed. *E. Schwarz* tom. II, vol. I, p. 2, 129, 23ss.).
[18] Conc. Trid. l. c. 112, 20.
[19] *Friedberg* I 1325.

Digitized by Google

sacramentum ad aliud principaliter institutum fuit, c. [63] *Hoc sacramentum*, c. [38] *In quibus* de consecr. dist. 2[20].

Quintus articulus affirmans: *Christum in eucharistia non esse adorandum etc.*[21] haereticus est, quia, cum Christus sit in eucharistia, adorandus est, quia Dominus et Deus est, et ideo *Dominum Deum tuum adorabis*[22]. Probat hoc c. [92] *Accesserunt* de consecr. dist. 2 ibi: „Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit"[23]. Est etiam et festis venerandus: Clem. [c. un.] *Si Dominum* de reliquiis [III 16] ibi: „tanti festi solemnia celebrantes"[24]. Est etiam in processionibus circumgestandus, prout de arca foederis, ubi erat reconditus manna, factum fuit, dum circumdarentur[a] muri Hierico[25] et dum David derisus[b] a Micol saltaret et tripudiaret[26]. Et ideo Christus circumgestandus cum letitia salutari et hymnis et canticis ut in dicta Clem. ibi: „Tam clerici quam populi gaudentes surgant. Corda, ora et labia hymnos persolvant. Psalat[c] fides, spes tripudiet etc."[24] et ibi: „Tunc singuli alacri animo pronaque voluntate convenient sua studia laudabiliter adimplendo etc."[24], prout conveniunt ut plurimum in processionibus, quae processiones consuetudine ecclesiae introductae et approbatae sunt. Est etiam ad infirmos deferendus, c. [29] *Pervenit* ibi: „ad deferendum infirmis"[27]; c. [93] *Presbyter eucharistiam* ibi: „ut, quando infirmatus fuerit etc."[28] eadem dist. [2] [de consecr.]; c. [10] *Sane*[29] [X] de celebr. miss. [III 41]. Et est reverenter sumendus, c. [12] *Omnis utriusque sexus*[30] [X de poenit. et remiss. V 38]. Est etiam hic articulus haereticus in ultima sui parte. Ideo damnandus.

Sextus articulus, qui habet: *Non esse reservandam eucharistiam in sacrario etc.*[31], haereticus est quoad eius primam partem et quoad secundam, quia contra c. [93] *Presbyter* de consecr. dist. 2 ibi: „eucharistiam semper habeat paratam"[28]; c. [94] *Qui bene* eadem dist. ibi: „Qui bene non custodierit sacrificium[d] etc."[32]; c. [10] *Sane* [X] de celebr. miss. [III 41] ibi: „eucharistia in loco singulari, mundo et signato etc."[29]; c. 1 [X] de custod. eucharistiae [III 44] ibi: „eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur"[33], ita in concilio generali.

Quo vero ad eius ultimam partem: *non licere, ut quis se ipsum communicet:* Si de sacerdotibus sacrificium[d] missae celebrantibus intelligatur, damnandus est, quia Christus se ipsum communicavit et deinde sanctissimum sacramentum apostolis dedit dicens: *Accipite et manducate*[34] et: *Quotienscumque feceritis etc.*[35] Si vero ad laicos refertur, crederem articulum verum, et quod nullo casu liceat eis se ipsos communicare.

Septimus articulus, qui dicit: *In hostiis seu particulis consecratis etc.*[36], haereticus est. Probat hoc c. [58] *Qui manducant* eadem dist. [2 de consecr.] ibi: „Per partes manducatur et | 18r remanet integer totus"[37]; c. [77] *Singuli*, c. [78] *Ubi pars* eadem dist. [2 de consecr.][38] et doctores canoniste in dicto c. [10] *Sane*[25] [X de celebr. miss. III 41] et in c. 1[33], ubi dicunt, quod in sacrario debent reponi et custodiri particulae, donec sumantur, quia in eis est corpus Christi, donec durant species.

Octavus articulus habens: *De iure divino esse sub utraque specie etiam populum etc.*[39] Hic articulus quoad sacerdotes, dum sacrificium[d] missae celebrant, verus est, quod tenentur communicare sub utraque specie de iure divino, quia Christus tradidit apostolis et successoribus suis sacramentum sub utraque specie dicens: *Accipite et manducate. Hoc est corpus meum*[34]. *Hic est calix sanguinis mei. Quotienscumque feceritis, in mei memoriam facietis*[35]. Alias facerent contra preceptum divinum et peccarent, c. [12] *Comperimus*[40] dicta dist. [2 de consecr.]. Quo vero ad parvulos dico articulum condemnandum, cum parvuli non habeant usum rationis, c. *Parvulis*[41] [X] de delictis puerorum [V 23], nec possint se ipsos probare. Et ideo iuste eis prohibetur, ut in c. *Omnis utriusque sexus*. Et idem quoad laicos, qui nec possunt nec debent communicare

[a] *cod.* circumderentur [b] *cod.* derrisus [c] *cod. sic* [d] *cod.* sacriffficium

[20] Ibid. 1327. 1337.
[21] Conc. Trid. l. c. 112, 22s.
[22] Deut. 6, 13; Matth. 4, 10.
[23] § 4, *Friedberg* I 1351, ex *Augustini* enarrat. in Ps. 98, c. 9 (CChr. XXXIX 1385, 23s.).
[24] *Friedberg* II 1176, ex *Urbani IV* bulla *Transiturus* (11. Aug. 1264), *Potthast*, Reg. 18998.
[25] Ios. 6, 11ss.
[26] 2 Reg. 6, 14ss. 20.
[27] *Friedberg* I 1323.
[28] Ibid. 1351s.
[29] *Friedberg* II 642.
[30] Ibid. 887.
[31] Conc. Trid. l. c. 113, 3s.
[32] *Friedberg* I 1352.
[33] C. 1 *Statuimus* (*Friedberg* II 649), e conc. Lateranensi IV, can. 20.
[34] 1 Cor. 11, 24.
[35] Missale Rom., canon missae post consecrationem; cf. 1 Cor. 11, 26.
[36] Conc. Trid. l. c. 113, 7s.
[37] *Friedberg* I 1336.
[38] Ibid. 1345s.
[39] Conc. Trid. l. c. 113, 11s.
[40] *Friedberg* I 1318.
[41] Nescio an intelligendum sit c. 1 *Pueris* X de delictis puer. V 23 (*Friedberg* II 824) an potius c. 74 *Parvuli* de consecr. dist. 4 (l. c. I 1387).

Digitized by Google

sub utraque specie, ut in concilio Constantiensi[42] et Basiliensi[43] definitum fuit. Et ideo dico, quod clarioribus verbis debet in decreto faciendo aponi[a] id, quod in illis decissum[a] est prohibendo[b] laicis communionem sub utraque specie. Iudico autem articulum haereticum in hoc, quod in fine dicit, scilicet *peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti.*

Nonus articulus, qui dicit: *Non contineri sub altera specie, quantum continetur sub utraque etc.*[44], haereticus est, cum tantum contineatur sub una specie quantum sub utraque et sit impossibile corpus Christi sub speciebus panis sine sanguine sumi et sanguinem Christi sub speciebus vini sine corpore sumi. Et ideo sive speciem panis sive vini quis sumat, utrumque sumit et unum sumit propter unum contentum, qui totus est Christus. Si ergo tantum continetur sub una, tantum sumit communicans sub una quantum sub utraque, glossa[45] et doctores in dicto c. *Comperimus*. Et hoc dico de sacramento, quod tantum sumit, quia de maiori aut minori gratia Deus scit. Et cum sit quaestio scolastica, videtur omittenda.

Decimus articulus, qui habet: *Solam fidem esse sufficientem preparationem etc.*[46] Hic articulus quoad primam partem intelligendo eum de fide informi nuda, non vestita operibus haereticus est et ita fuit definitum in hoc sacro Tridentino concilio[47]. — Damnandam[c] quoque dicimus secundam partem, cum accedens ad sacramentum, si eum gravat conscientia peccati mortalis et habet copiam confessoris, | debeat et teneatur confiteri, antequam ad sacramentum 18v accedat, c. [13] *Quotidie* de consecr. dist. 2 ibi: „Communicaturus satisfaciat lacrimis et orationibus et confidens de Domini misericordia accedat ad eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico, quem peccata mortalia non gravant"[48]. Ex quo patet, quod habenti conscientiam peccati mortalis non sufficiunt lacrimae et orationes, sed debet confiteri, si datur copia confessoris; alias abstineat. Et ideo dico, quod super hoc debeat formari decretum, ne quis reus peccati mortalis ad sacramentum accedat nisi confessus, si habuerit copiam confessoris, aprobando[a] laudabilem et antiquissimam consuetudinem ecclesiae, reiectis aliis opinionibus scandalosis parantibus nimiam irreverentiam sacramento et indignam sumptionem sumentibus. — Tertia pars haeretica est et contra concilium generale ut in c. *Omnis utriusque sexus.*

Et cum omnia supra dicta sint dicta ex determinationibus sacrorum conciliorum, ex dictis sanctorum patrum et decisionibus sacrorum canonum, ideo dico hanc meam esse sententiam submittendo me correctioni et censurae huius sacri concilii.

⌜Michael episcopus Elnensis⌝[d].

[a] *cod. sic* [b] *corr. e* et prohibere [c] *cod.* damnandum [d] *manus propria episcopi*

[42] Sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis;* vide supra p. 97, 6 cum adn. 7.

[43] Sess. XXX, decr. *Ut lucidius;* vide supra p. 97, 7 cum adn. 8.

[44] Conc. Trid. l. c. 113, 20s.

[45] Glossa in c. 12 *Comperimus* de consecr. dist. 2 in v. *quia divisio:* „impossibile est enim corpus Christi sine sanguine sumi et viceversa. Sive enim speciem panis sive vini quis sumat, utrumque sumit. Et dicuntur hic duo sacramenta et unum propter unum contentum..., quia certe sub specie panis est corpus et sanguis Christi, imo totus est Christus, similiter sub specie vini" (Decr. Gratiani, Parisiis 1612, 2087).

[46] Cf. Conc. Trid. l. c. 114, 1s.

[47] Sess. VI, decr. de iustificatione c. 7 et can. 19 (Conc. Trid. V 793, 39ss.; 799, 1ss.).

[48] *Friedberg* I 1318s., e *Gennadii* lib. De ecclesiast. dogmat. c. 23, al. 53 (*Migne*, PL XLII 1217).

Digitized by Google

23.

Christophorus Patavinus, generalis OESA
Votum de eucharistia
in concilio Tridentino sub Iulio III pont. max. coram patribus concilii editum[1]

[die 29. Septembris 1551]

Romae, *Bibl. Angelica, cod. lat. 425*, 6r–16r *(copia coaeva)*

Angel. lat. 425 6r Rme huius sacrosancti Tridentini concilii Smi D. N. Iulii III pont. max. legate, Illme princeps Tridentine, Illmi principes, Vos insuper, Rmi Patres.

Etsi articuli examinandi discutiendique propositi adeo Vestris omnium sententiis illustrati fuerint, ut nihil praeterea a me dici posse videatur, quamobrem etsi iam dictis acquiescere et tacitus stare deberem, at, ne veritatem ipsam, quam *corde ad iustitiam credere* et *ore ad salutem confiteri*[2] oportet, silere videar contraque Sapientis sententiam veniam, qui dixit: *Credidi, propter quod loquutus sum*[3], iccirco pauca quedam et summatim *spiritu veritatis*, qui *docet* omnem *hominem scientiam*[4], implorato, breviusque quam potero, explicare contendam. Si quae tamen minus verae atque catholicae veritati consentanea dixero, omnia huius sacrosancti concilii infallibili iudicio emendanda corrigendaque submitto. Dicam nanque cum Sapiente: *Corripiet me iustus in misericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*[5].

Ad articulos itaque propositos examinandos discutiendosque me convertam.

Primus articulus

Primus nanque articulus talis est: *In eucharistia non esse re vera corpus et sanguinem Christi neque eius divinitatem, sed tantum ut in signo*[6]. |

6v Hunc articulum haereticum fore ex eadem scripturae auctoritate convinco[a], qua et Rmae DD. VV. convicerunt[b], Christi videlicet verbis, quibus, dum hoc omnium sacramentorum praestantissimum conficeret, usus est, videlicet: *Hoc est corpus meum*[7]. Nec impedit, quod haeretici dicunt tropycam seu figurativam hanc esse locutionem. Si enim huius scripturae circunstantiam, quae secundum Augustinum solet illuminare sententiam[8], [perspicimus], liquido apparebit Christum, servatorem nostrum, non tropice, sed proprie *Hoc est corpus meum* dixisse; subiungit enim: *quod pro vobis tradetur*[9]. Item Christus discipulos fallere visus esset, si tam clare, nulla circunstantia in contrarium faciente, loquutus fuisset. B. nanque Augustinus epist. 19 ex hoc b. Hyeronimum reprehendit, quod Paulum ipsum apostolorum principem Petrum simulatorie reprehendisse asserat, non vere; inquit enim: Quid clarius dici poterat quam, cum Paulus diceret: *Cum viderem* Petrum *non ambulantem ad veritatem evangelii etc.*[10] Si non, inquit, vere reprehendit, Iudeos ergo fallebat apostolus[11]. Inquit etiam: Nullus erit scripturae locus, si ita scripturam interpretari licet, qui non facile extorqueri possit[12].

Preterea, si reliquorum omnium sacramentorum formas spectemus, nullam profecto tropycam seu figurativam esse, verum propriam ac litteralem inveniemus. Discurre per singula! Mirum itaque omnibus merito videri debet huius duntaxat, omnium sacramentorum nobilissimi, tropicam, non propriam locutionem fore, minusque se hic quam in baptismi sacramento

[a] *cod.* convinci [b] *cod.* convincerunt

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 169, 13–170, 21. De auctore cf. Conc. Trid. XIII 130 adn. 2 et *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento l. c. 35–41. Cf. eiusdem *Christophori Patavini* tractatum De sanctissimo eucharistiae sacramento (mense Septembri 1551), Conc. Trid. XIII 130–134.

[2] Rom. 10, 10.

[3] Ps. 115, 10.

[4] Ps. 93, 10. Cf. Io. 14, 26; 16, 13.

[5] Ps. 140, 5.

[6] Conc. Trid. VII, I 111, 10s.

[7] Matth. 26, 26 et par.

[8] Sermo 32, c. 6: „Ea, quae ponuntur allegorice in scripturis, non semper hoc significant . . ., sed pro locis scripturarum, quo pertinent caetera circumstantia ipsius lectionis" (*Migne*, PL XXXVIII 198). Enarratio in Ps. 8, 13: „Et haec regula in omni allegoria retinenda est, ut pro sententia praesentis loci consideretur, quod per similitudinem dicitur" (CChr. XXXVIII 57, 65–67). Cf. Conc. Trid. XIII 132, 45s. cum adn. 8.

[9] 1 Cor. 11, 24. [10] Gal. 2, 14.

[11] *Augustinus*, ad Hieronymum epist. 82 (olim 19), c. 2, 4: „de quo enim certus sim, quod me scribendo vel loquendo non fallat, si fallebat apostolus filios suos . . ., non tamen veraciter scribebat, sed nescio qua dispensatoria simulatione fallebat vidisse se Petrum et Barnaban non recte ingredientes ad veritatem evangelii . . . ?" (CSEL XXXIV, II 355, 8–16).

[12] Ibid. c. 2, 5: „ipsa divina eloquia mihi sint ubique suspecta" (l. c. 356, 6).

Digitized by Google

intelligi voluisse. | Moises cum sanguinem in manibus teneret: *Hic est*, inquit, *sanguis foederis*, 7r *quod pepigit vobiscum Deus*[13]. Nonne Moises proprie, non figurative est locutus verumque sanguinem, non figuratum tenebat deque eodem loquebatur? Quid itaque nunc Mosem, Christi figuram, verius ac proprius quam Christum loquutum fuisse dicemus, qui veritas erat, non figura? Sed si quis dicat: Quomodo, si Christus est vere sub sacramento, Petrus non exhorruit, quando Christus dare se voluit sub sacramento in coena, sicut quando dixit: *Exi a me, quia homo peccator ego sum*[14], et quando se lavari nolebat[15], potest dici, quod iam, quando lavit, fuerat reprehensus, ideo non est ausus postmodum repugnare, aut quia nondum misterium tanti sacramenti intellexerat, sicut occulta alia non intelligebant apostoli, quae salvator dicebat[16].

At quicquid dicant haeretici et de verbis Christi, quomodo intelligantur, affirment ac respondeant, non est nobis curandum nec eorum responsiones, quamvis ex divinarum scripturarum authoritatibus sint deductae, argumenta, quominus valeant, infirmant[a]. Nec enim Christus ipse adversus Iudeos se ipsum Messiam ac Dominum esse probasset, quod haereticum esset affirmare; nihilominus Iudei usque in praesentem diem Christum scripturas sacras falso praeterque prophetarum intentionem citasse maledici affirmant. Idem de suis apostolis falso sentiunt. Ad quid nanque Christus dicebat[17]: *Scrutamini scripturas; ipsae enim testimonium perhibent de me?* Nonne cogitationum | inspector Christus multa falso responderi posse sciebat? 7v

Aliud, R^mi^ Patres, respondere, aliud satisfacere. Respondere omnes possunt, at non satisfacere. Garruli semper respondent, sed non satisfaciunt[b]. Verum divinas litteras sese nobis obscure offerentes, eas tunc certe non alio modo ac ratione intelligendas censeo, quam omnes sancti doctores, qui omnem aetatem in divinarum literarum studiis consumpserunt, intelligendas esse nobis tradiderunt, a quorum omnium sententiis dissentire Augustinus adversus Iulianum maximae esse temeritatis affirmat[18]. Praeterea, ut eas divinas scripturas vera divinarum litterarum interpres, *ecclesia, columna et firmamentum veritatis*[19], intelligat, intelligendas esse censeo, cuius, inquit divus Augustinus Contra epistolam fundamenti, tanta est auctoritas, ut se *evangelio minime crediturum esse* dicat, *nisi* ad credendum *ecclesiae auctoritas commoneret* seu, ut alii codices habent, *commoveret*[20]. Nisi diceres ecclesiam in his etiam, quae fidei sunt, errare posse, quod ex dictis etiam b. Augustini quis dicere posset? Augustinus nanque epist. 19[21] et 48[22] dicit se libros canonicos ita legere, ut tamen contrarium sentire minime sibi liceat; omnes vero reliquos libros ita legit, etiam quorumcunque illi fuerint et quantalibet sanctitate polleant, ita se illos legere asserit, ut tamen et secus sentire liceat, si ea, quae leguntur, divinis litteris consentanea non fuerint. Secundum hoc igitur ecclesiae ac conciliorum decreta, ubi quae fidei sunt | decernuntur, falsitatem aliquam, cum non sint canonicae scripturae, continere facile 8r poterunt et per consequens dissentire ab eis licebit. Praeterea Augustinus Contra Donatistas lib. 2 c. 9: Concilia, inquit, provincialia a generalibus solere reprehendi generaliaque *priora a posterioribus emendari*[23]. Consequens igitur videtur generalia errare posse, si a posterioribus emendari possunt.

Ad haec duo dicta facile responderi potest. Ad primum Augustini respondeo Augustinum de privatarum personarum libris loqui, non de totius ecclesiae decretis, quae non ab uno dumtaxat, verum ab omnibus concilii patribus facta sunt. — Ad secundum dico Augustinum seipsum eodem loco declarasse; ait enim, post illa verba *emendari* videlicet ait: *dum quod clausum est* vel *latet, aperitur etc.*[23] Vide ibi. — Quisquis igitur aliter de existentia corporis Christi sub eucharistia evangelizaverit praeter id, quod tam diu ecclesia evangelizavit, *anathema sit*[24].

[a] *alia manus in marg. add.:* Bona responsio
[b] *alia manus inter lin. haec add.:* Sunt idem semper adiscentes et nunquam ad summum veritatis pervenientes

[13] Exod. 24, 8; cf. Hebr. 9, 20.
[14] Luc. 5, 8. [15] Io. 13, 6ss.
[16] Marc. 9, 31; Luc. 18, 34.
[17] Io. 5, 39.
[18] Contra Iulianum Pelagianum II, c. 10, 37 (*Migne*, PL XLIV 700s.).
[19] 1 Tim. 3, 15.
[20] Contra epistulam, quam vocant fundamenti c. 5 (CSEL XXV, I 197, 22s.).
[21] Ad Hieronymum epist. 82, c. 1, 3: „si aliquid in eis [canonicis] offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem ... vel me minime intellexisse non ambigam, alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem" (l. c. 354, 8–13); cf. ibid. c. 3, 24 (l. c. 376, 16ss.).
[22] Ad Vincentium epist. 93, c. 10, 38 (CSEL l. c. 483, 1ss.).
[23] De baptismo II, c. 3, 4: „ipsa concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati ... sine ullis ambagibus cedere ipsaque plenaria saepe priora a posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat et cognoscitur quod latebat" (CSEL LI 178, 22–26).
[24] Cf. Gal. 1, 8.

Digitized by Google

Secundus articulus

Sequitur secundus articulus: *In eucharistia esse quidem corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transubstantiatio, sed unio hipostatica humanitatis et substantiae panis et vini* . . .[25]

8v Nemini dubium est, quin substantia panis corpori Christi unione hipo|statica uniri possit, sicut humanam naturam sibi univit ita, ut quamlibet posset, si vellet. Sed Deus non omne possibile facit, sed id duntaxat, quod nobis convenire iudicat et expedire novit. At Christum impanari non expedit, sed potius panem in corpus Christi converti. Ad quid enim miracula sine ulla necessitate multiplicare opus est? Quod vero multo plura miracula forent tunc, quam modo existant, clarissimum est. Nam si panis substantia uniretur unione hipostatica, ecce unum miraculum. Accidentia sine substantia, ecce aliud. Cum aliquando panis substantiam unitam separari opus esset, nisi perpetuo unitam haberet, ecce aliud miraculum. Substerni accidentibus novis, cum prius corrupta fuerint, ecce aliud miraculum. Inconveniens etiam sequitur, ut simul Christi corpus innumeras panis substantias in unione hipostatica unitas habeat, cum per universam ecclesiam in dies celebretur, quod derisorium videtur.

Dicimus igitur non manere substantiam panis neque unitam accidentibus neque unitam corpori Christi, sed post consecrationis verba in verum Christi corpus divina potestate converti, ut antiqui omnes doctores affirmant: Basilius[26], Chrisostomus[27], Augustinus[28], Ambrosius De sacramentis[29], Cyprianus expresse[30] et demum sancta mater ecclesia de consecratione etc.[31] Conversio etiam substantiae panis in corpus Christi existentiae corporis Christi sub sacramento [magis] congruit quam unio hipostatica; semper enim videmus id, in quod aliud convertitur, eidem loco succedere, in quo prius erat res, quae in hoc ipsum conversa est. Apparet nanque
9r clarissime, cum vinum in acetum convertitur et lignum in lapidem et mercu|rius in argentum. Ita in proposito converso pane in corpus Christi id ipsum sub speciebus panis facilius esse intelligemus.

Tertius articulus

Christum in eucharistia non esse adorandum neque festis venerandum neque in processionibus circumgestandum neque ad infirmos deferendum . . .[32]

Profecto posito, quod Christus etiam sub sacramento non esset, quomodo non sit adorandus, non video; sicut enim imagines adoramus, quae sunt signa tantummodo, et crucem Domini N., multo magis, si ibi corpus vere et realiter posuerimus. Si cum infirmitate nostra ille esset, humanitas tamen adoranda veniebat; quanto magis impassibilis manens sub speciebus sacramenti nobis praesens existens adorandus erit. Nec invisibilitas, quominus adorandus sit, impedit, quoniam illum in coelo nobis invisibilem adoramus; nec quod idolatria fortasse committeretur, ex quo panis et vini speciebus mediantibus adorandus esset. Hinc et species adorandae viderentur; non enim per se species adorandae veniunt, sed eadem adoratione, qua et Christi corpus venerandum adoratur, quia, ubi unum propter aliud, utrobique unum; eadem visione lumen et colorem videmus.

Quantum ad secundam partem, quod non sit in processionibus gestandum, hoc certe falsum est et longe a veritate ipsa alienum videtur; non enim minoris est hoc sacramentum
9v digni|tatis, quam testamenti archa fuerit, quam tamen Iudei tanta cum veneratione gestasse legimus, delatam de loco ad locum canente et psallente Davide[33], rege Israel, qui stultus ac demens ob hoc haberi voluit[34] potius quam ab hac ipsius arcae veneratione abstinere. Et qui indigne eam vel viderunt vel tangere ausi fuerunt, graves illos poenas dedisse legimus[35]. Quanto igitur magis nos Christum publice ad christiani populi fidem et devotionem excitandam circumgestare iure poterimus.

Tertia pars etiam irrationabilis videtur, quod videlicet ad infirmos deferendum non sit. Non enim minoris dignationis nunc est, quam dum inter mortales ageret. At dum in mundo esset, ad infirmos sanandos cum vocatus [esset], in eorum domos ingrediens eos sua omni-

[25] Potius art. 3 propositus per theologos examinandus, Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.
[26] Epist. 8, c. 4 (*Migne*, PG XXXII 253/54 B).
[27] In epist. ad Hebr. hom. 17, c. 3 (*Migne*, PG LXIII 131).
[28] De trinitate III, c. 4, 10 et c. 9, 21 (CChr. L 136, 35ss.; 149, 78ss.). Cf. Conc. Trid. XIII 132, 2ss. 13ss.
[29] De sacramentis VI, c. 1, 1 (CSEL LXXIII 72, 1ss.). Cf. Conc. Trid. XIII 131, 41ss.
[30] De dominica oratione c. 18 (CSEL III 280, 10ss.). Cf. Conc. Trid. XIII 131, 46ss.
[31] Decr. Gratiani, c. 35 *Quia corpus* de consecr. dist. 2 (*Friedberg* I 1325) etc.
[32] Potius art. 5 propositus, Conc. Trid. VII, I 112, 22s.
[33] 2 Reg. 6, 12ss.
[34] Cf. 2 Reg. 6, 16. 20s.
[35] Cf. 2 Reg. 6, 6s.; 1 Par. 15, 2.

Digitized by Google

potenti virtute sanabat[36]. Cum etiam multis egrotantibus se medicum offerebat[37], minorisne nunc dignationis ac clementiae est, quam tunc ille fuerit? Multo certe maioris est Deus ipse pietatis et clementiae, inquit Augustinus[38], quo redemptionis nostrae solutum est praecium. Superstitiosum fortasse hoc esse quis dixerit. Minime quidem hoc existimandum est, cum et Actorum c. 19 [12] *semicinthia et sudaria a corpore* Pauli ad infirmos delata fuisse legamus, et sanabantur et immundi spiritus expellebantur. Quod si non fuisset, Paulus id ab eis fieri minime tolerasse credendum est, qui maxime Dei zelum haberet.

Quartus articulus

Non esse reservandam eucharistiam in sacra|rio, sed statim consumendam et praesentibus dandam ...[39] 10r

Hic articulus a veritate ipsa aberrare videtur, videlicet quod in sacrario servanda non sit, cum *in urna* iussu Dei conservatum fuisse manna legamus[40], quod huius sacramenti figuram esse omnes theologi testantur, nisi in huius falsitatis favorem alium Exodi locum habeant, qui manna conservari usque mane prohibuit[41]. Sed hoc propositum nostrum non impedit, quominus eucharistia conservari possit, quia, etiam quod hoc secundum materiam huius sacramenti speciem gesserit, non in omnibus figura et figuratum conveniunt, sed multum etiam differunt. Nam in dies de manducando manna Iudeis ipsis Dominus providebat adeo, quod conservari non oportebat. At, cum eucharistia non omni tempore confici possit, quia ieiunus tantum conficit et non pransus, casus facile emergere potest, ut quis egeat post coenam immediate, quo quidem tempore conficere non licet. Hinc eucharistia servari maxime convenit, in aliquo tamen convenienti loco cum debito honore et reverentia.

Quintus articulus

In hostiis reservatis post communionem et consecratis non remanere corpus Christi, sed tantum ibi esse, dum sumitur, non autem ante vel post sumptionem[42].

Hic articulus ea facilitate, qua asseritur, etiam negatur nec sciri ulla ratione hoc potest aut credi, nempe, huius | existentiae corporis Christi sub sacramento praescriptum esse tempus, 10v
nisi Dominus alicui revelaverit, quod utique, si alicui revelare debuisset, ecclesiae suae revelasset, cuius tamen oppositum usus ipsius demonstrat, quae particulas quovis modo minimas colligit, etiam cum veneratione reservat, quod non faceret, nisi ibi corpus Christi esse crederetur. Etiam quia theologi omnes tamdiu corpus Christi sub quibusvis hostiae partibus manere affirmant, quamdiu substantia panis sub eiusdem speciebus maneret, sed illis divisis, si hostia non fuisset consecrata, substantia panis maneret, igitur et consecrata corpus Christi manet. Falsus etiam esse articulus convincitur, quod ante sumptionem eucharistiae in tres partes hostiam dividit sacerdos[43], quae quidem partes usque ad communionem in altari manent. Si non maneret Christi corpus, sacerdotem Christi corpus non sumere consequens esset, quod nec adversarii ipsi concederent; volunt nanque huius sacramenti esse in usu ipso dumtaxat consistere.

Sextus articulus

Talis est: *De iure divino esse sub utraque specie populum et parvulos communicandos* ...[44]

Hic articulus haereticus censendus est, quoad primam partem videlicet, quod communicare omnes sub utraque spetie sit de iure divino absolute loquendo. Nam si esset de iure divino, nunquam ecclesia hoc mutasset neque aliud fieret, quam scriptum | legeremus, ⌈etiam ecclesia 11r
Romana aliquando usa utraque specie esset⌉[a]. Augustinus hac ipsa ratione utitur in epistola ad Ianuarium 119 ostendens communicare post coenam non esse de iure divino, licet Christus post coenam discipulos communicaverit; inquit enim: Si hoc scripturae auctoritas praescriberet, non dubium, inquit, quin aliud faciendum, quam scriptum legimus[45]. Et infra: Si Christus, ait,

[a] *in marg. add.*

[36] Matth. 8, 14s.; Marc. 1, 29ss.; Luc. 4, 38s.

[37] Cf. Luc. 6, 19.

[38] Sermo 22, c. 9: „Est autem misericordia Dei abundantissima et larga eius benevolentia, qui nos sanguine filii sui redemit ...; placuit tamen illi per misericordiam suam redimere nos tanto pretio; dedit pro nobis sanguinem Unici sui“ (*Migne*, PL XXXVIII 153). Cf. supra p. 112, 33 cum adn. 18.

[39] Potius art. 6 propositus, Conc. Trid. l. c. 113, 3s.

[40] Exod. 16, 33; Hebr. 9, 4.

[41] Exod. 16, 19.

[42] Potius art. 7 propositus, l. c. 113, 7s.

[43] Cf. Missale Rom., canon missae. *J. A. Jungmann*, Missarum sollemnia II[4] 396s. 375ss. 383s.

[44] Potius art. 8 propositus, l. c. 113, 11s.

[45] Ad inquisitiones Ianuarii I = epist. 54, c. 5, 6: „respondeo, ut, quid horum sit faciendum, si divinae scripturae praescribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus“ (CSEL XXXIV, II 165, 7–10).

Digitized by Google

hoc monuisset, credo, quod hunc morem nemo mutasset[46]. Cum vero ecclesiam hoc non mutasse experientia videmus, de iure divino non esse consequens est. Neque locus scripturae aliquis clarus invenitur, qui hoc asserat, nisi Ioann. 6 [54] verba producantur, videlicet: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At ille textus vel solum de spirituali manducatione intelligitur, prout multi intelligunt, aut, si etiam de sacramentali, dico sub una tantum specie Christum manducari et bibi, ex quo totus Christus est sub una spetie, totum corpus et sanguis. Hoc movere nos debet Christi factum, quod discipuli sub una specie communicaverint, quia vel sacerdotes erant, et sic sub duplici specie iure dabatur; vel nondum erant sacerdotes, sed laici, et potuit dari, sicut et in primitiva ecclesia dabatur. Non tamen Christi factum in praeceptum est trahendum, sicut supra de communione post coenam dicebamus[46a]. Decuit enim in primitiva ecclesia sub utraque specie communicari fideles,
11v ut huius sacramenti virtus bene intelligi posset. Et quia pauci erant, non erat effusionis | periculum sicut postmodum, cum ecclesia ipsa iam creverit. Videmus etiam in primitiva ecclesia *in nomine Iesu* apostolos baptizasse[47], licet Dominus in nomine totius trinitatis baptizandum iussisset[48]; et haec verba dispensationis gratia, ut Christi nomen amabile redderetur, quo plene vulgato in nomine sanctae trinitatis baptizare coeperunt. Hoc idem apostolus 1 Chor. [11, 28] monet dicens de laicis se ipsos primum *probare* debere, postmodum *de pane illo edere et de calice bibere;* non enim hoc est praeceptum, sed illis huius sacramenti sub utraque spetie usum velut non contrarium evangelio toleravit. Et circa urgentiora, videlicet circa huius sacramenti abusum animadvertens, ut eum tolleret, occupatus fuit, et ut bonus medicus, multa fortasse, dum esset praesens, circa hoc sacramentum ordinavit, sicut innuere ille videtur, dum in calce illius capitis dicit: *Caetera autem, cum venero, disponam*[49]. Nec illud Christi: *Bibite ex hoc omnes*[50] plurimum urget, quia respondetur ut supra.

De parvulis vero dico de iure divino neque sub duabus aut altera tantum communicandos esse. Sed, etsi alias hoc fecit ecclesia, ut ex Cypriano patet[51] et Augustino epist. 23 ad Bonifacium[52], placuit tamen spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti parvulis, qui liberi arbitrii usu carent et qui hunc cibum a caeteris diiudicare nesciunt, pueris non detur. Illud
12r autem Ioann. 6 [54], ut diximus, aut solum de spirituali mandu|catione loquitur et methaforica est loquutio, sicut illa Ps. [22, 2]: *Super mensam refectionis educavit me* et Math. [26, 29]: *Non bibam admodum de hoc genimine vitis* et illud: *donec edatis et bibatis super mensam meam in regno patris mei*[53]. Aut, si de sacramentali intelligitur, Christus non videtur declarasse, quod dixit, ut dictum est supra. Et certe, si de sacramentali intelligitur, nec Christus se tunc[a] intelligi permisit. ⌜Post resurrectionem intellexerunt[54]. Sunt multa alia antea obscura⌝[b].

Septimus articulus

Non exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum manducandum per fidem, non autem sacramentaliter[55].

Iste articulus videtur fere omnibus superfluus omittendus, tum quia continetur in primo articulo, tum quia sacramentalis sumptio a nemine etiam haeretico negatur. Quidam[56] admonuit hunc articulum esse haereticum et damnari debere sub his verbis: *non exhiberi Christum sacramentaliter, nisi exhibeatur spiritualiter*, et dicit habere auctorem Oecolampadium[57].

Hic articulus haereticus censendus est. Nam Christum in eucharistia sacramentaliter sumendum de iure divino esse videtur, licet huius sumptionis temporis circumstantia de iure sit positivo, sicut etiam de sacramento baptismi olim fuisse legimus in paschate et penthecoste. Quod autem sit de iure divino sacramentalis sumptio, ex evangelio[58] patet et Paulo, qui et laicis loquitur docens modum digne sumendi[59]. Quod etsi expresse ex scriptura non sit, ex
12v traditione tamen apostolica venisse firmiter credendum est. Ecclesia enim hunc morem | semper servavit ab huius sacramenti institutione, ut ex Actis apostolorum patet, quia *cotidie* communicabant *in fractione panis*[60]. Quod autem semper, inquit Augustinus 4 Contra Donatistas c. 24,

[a] *alia manu supra lin. add.* [b] *alia manu postea add.*

[46] Ibid. c. 6, 8: „si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variasset" (l. c. 167, 12–14).
[46a] Cf. supra p. 207, 18s. 40ss.
[47] Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48.
[48] Matth. 28, 19. [49] 1 Cor. 11, 34.
[50] Matth. 26, 27.
[51] De lapsis c. 25, ubi de *parvula filia* agitur, cui *reluctanti diaconus de sacramento calicis infudit* (CChr. III 235, 490ss.).
[52] Ad Bonifatium epist. 98, c. 4 (CSEL XXXIV, II 524, 19ss.).
[53] Luc. 22, 30. [54] Luc. 24, 45.
[55] Potius art. 2 propositus, l. c. 112, 1s.
[56] Videlicet archiepiscopus Antibarensis; vide supra p. 178, 5ss.; cf. Conc. Trid. VII, I 142, 22ss.
[57] De genuina verborum Domini *Hoc est* ... expositione liber; vide supra l. c. adn. 3.
[58] Cf. Matth. 26, 26.
[59] 1 Cor. 11, 27s. [60] Act. 2, 42. 46.

Digitized by Google

ecclesia retinuit nec sacrae scripturae auctoritatibus continetur aut sacri concilii decreta sunt, *ex traditione apostolica* venisse rectissime creditur[61], postmodum ecclesiae universalis consuetudo iis obiicienda est, quam etiam Paulus Chorinthiis obiicit[62]; sacramentaliter enim sumi ab omnibus censendum est.

Octavus articulus

Eucharistiam institutam fuisse ob solam remissionem peccatorum[63].

Aliqui[64] dicunt, quod illa dictio *solam* non asseritur ab haereticis, et absque ea articulus iste esset catholicus; cuperent illum silentio praeteriri a synodo. Plerique vero contrarium asserunt et vellent eum omnino damnare remanente dictione *solam* sive *precipue*[65].

Hic articulus certe haereticus videtur, stante illa nota exclusionis *solam*[a], et contrariari videtur Christi verbis, Matth. 26 [27s.], et Pauli [1] Chor. 11 [24s.], quibus in locis in memoriam passionis Christi institutum illud esse clare patet. Christus nanque dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*[66]. Similiter Paulus: *Quotiescunque*, inquit, *manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*[67]. Et b. Chrisostomus hom. 17 ad Hebr. c. 9: *Offerimus*, inquit, *memoriam passionis Christi ac mor|tis eius facientes* et subdit: *Hoc sacrificium est exemplar* 13r
illius[68]. B. quoque Augustinus De verbis apost. sermone: Hoc sacramentum, inquit, est *pacis ac unitatis* sacramentum[69] et 21 De civitate Dei: Consequens est, inquit[70], ut, cum haeretici hoc sacramentum suscipiunt, testimonium contra se suscipiunt, qui sunt extra pacem ac ecclesiae unitatem.

Articulus itaque falsus et haereticus videtur; assignat enim non causam institutionis huius sacramenti pro causa tangitque, quod est per accidens, omittens quod est per se. Non enim aliquo modo est hoc sacramentum ad peccatorum remissionem institutum, et maxime mortalium aut venialium. De mortalibus clarissimum videtur, quia accedens ad hoc sacramentum *probatus*[70a] accedere debet et confessus, cui iam sunt dimissa peccata, licet tamen non sit ad hoc institutum. Remittit tamen peccata, etiam mortalia secundum d. Thomam 3 parte[71], ut, si quis accedat ad hoc sacramentum non contritus, sed attritus, fit contritus et sic datur gratia et remittuntur etiam mortalia. De venialibus non est dubium; secundum Augustinum habemus in 26 tract. super Ioannem: „Panem celestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sint quotidiana, non sint mortifera“[72]. Et in collecta quoque habemus: „hoc tuum sacramentum sit ablutio scelerum“[73]. Et Augustinus in sermone De gratia Christi dicit per baptismum remitti peccata[74], per elemosinam, | per poenitentiam, per ieiunium, ultimo 13v
per communionem corporis et sanguinis Domini. Nam sacramenta omnia gratiam ipsam primam vel secundam vel augumentum gratiae conferunt.

Nonus articulus

Non licere, ut quis se ipsum communicet[75].

Hic articulus placeret aliquibus[76] damnari sub hac forma: *nullo videlicet casu necessitatis, etiam sacerdoti celebranti, liceat se ipsum communicare*. Quidam[77] etiam admonuit considerandum,

[a] *cod.* solum

[61] De baptismo II, c. 7, 12: „quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum neque in conciliis posterorum et tamen, quia per universam custodiuntur ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur“ (l. c. 187, 3–6).

[62] 1 Cor. 11, 16.

[63] Potius art. 4 propositus, l. c. 112, 20.

[64] Cf. vota Francisci Villalba, Ioannis Zavallos, Pauli episc. Zagrabiensis, supra p. 137, 38; 144, 12; 151, 6.

[65] Cf. vota Iacobi Ferrus, Francisci de Toro, Sigismundi Ph. Diruta, archiep. Turritani et Granatensis, episcopi Castellimaris, supra p. 99, 33ss.; 104, 40ss.; 123, 9ss.; 173, 23ss.; 176, 25ss.; 186, 18ss. 34.

[66] Luc. 22, 19. [67] 1 Cor. 11, 26.

[68] In epist. ad Hebr. hom. 17, c. 3 (*Migne*, PG LXIII 131).

[69] Sermo 272 ad infantes: „Ita et Dominus Christus nos significavit ..., mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit“ (*Migne*, PL XXXVIII 1248).

[70] De civitate Dei XXI, c. 25: „per hoc haeretici et schismatici ab huius unitate corporis separati possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile..., quo iudicentur gravius, quam vel tardius liberentur. Non sunt quippe in eo vinculo pacis, quod illo exprimitur sacramento“ (CChr. XLVIII 794, 35–39).

[70a] Cf. 1 Cor. 11, 28.

[71] Summa th. III, qu. 79, art. 3: „forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati“.

[72] In Io. evang. tract. 26, c. 11 (CChr. XXXVI 265, 25–27).

[73] Missale Rom., orationes pro vivis et defunctis, postcommunio: *Purificent*.

[74] De gratia Christi et de peccato originali II, c. 40, 45 (CSEL XLII 203, 5ss.); de eleemosina vero, de poenitentia, de ieiunio, de communione, de quibus ibid. non agitur, cf. Enchiridion c. 17, 64s.; c. 19, 70ss. (CChr. XLVI 83, 2ss.; 87, 3ss.). Sermo 9, c. 11, 17 (*Migne*, PL XXXVIII 88). Sermo 172, c. 2 (ibid. 936).

[75] Potius art. 6 propositus, l. c. 113, 4s.

[76] Videlicet archiepiscopo Turritano; cf. supra p. 173, 33s.

[77] Cf. vota episcoporum Zagrabiensis et Viennensis, supra p. 151, 19s.; 159, 33ss.

Digitized by Google

quod aliqui doctores dicunt non licere laico etiam in casu necessitatis seipsum communicare, sed tutius esse abstinere et sumere eucharistiam in voto. Christus etiam seipsum communicavit et caeteris dedit; laico etiam non licet in nullo casu[78]; sed in voto sufficit. Quod si dicis: Nonne David in necessitatis casu edit panes propositionis, quos comedere nonnisi sacerdotibus licebat[79], cur et laicus non habens copiam sacerdotis et videns sacramentum non sumet?, dicas, quod multum refert; non enim David ad vivendum corporaliter votum comedendi sufficiebat, sicut votum sumendi eucharistiam ad spiritualiter vivendum sufficit. Nota tamen, quod in primitiva ecclesia dabatur in manu eucharistia et tempore Cypriani[80] et ipsi sumebant et seipsos
14r communicabant. Tamen placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti hic mos | deinceps non servaretur. Et forte hic articulus loquitur, an laicus de sacrario aut altari non habens copiam sacerdotis posset sumere eucharistiam, quod certe nullo unquam licuit tempore. Non valet tamen, quod dicitur, quod nemo potest se baptizare, ita ut a se ipso sumat, alia sacramenta minime suscipere potest a seipso, quia alia sacramenta consistunt in usu et eorum formae supra suscipientem talia sacramenta dicuntur; verba autem huius sacramenti super panem et vinum dicuntur. Etiam hoc sacramentum est cibus, de quo si quis suscipit, eum nutrire potest.

Decimus articulus

Non contineri sub altera spetie, quantum continetur sub utraque; neque tantum sumere communicantem sub una spetie quantum sub utraque[81].

Prima pars huius articuli ab omnibus iudicatur damnanda, intelligendo etiam quoad sacramentum. Secunda vero pars ab aliquibus[82] non censetur haeretica intelligendo eam de gratia, cuius plus sumitur a communicante sub utraque spetie quam sub una. Quamplures contra senserunt[83]. Quidam dixerunt ita formari articulum, ut in eo non faceret mentionem quis de gratia[84], sed tantum de sacramento, ut scolasticae disputationes evitentur[85].

14v Hic articulus manifeste haereticus videtur, quia corpus | Christi existens sub sacramento est vivum; igitur non est sine sanguine et anima et divinitate. Est enim illudmet corpus, quod est in coelo, licet non eodem modo. Secus tamen fuisset, si quis in triduo mortis eius consecrasset; tunc enim corpus eius sine sanguine et anima consecrasset; si tamen reservatum fuisset usque ad resurrectionem, per viam sequelae etiam in sacramento panis fuisset sanguis et anima.

Secunda pars, quae de gratia loqui videtur, credo, quod stante prohibitione ecclesiae, quod tantum sumit gratiae communicans laicus sub una spetie quantum sacerdos stante paritate devotionis, sed relinquendo libertati aut praecipiendo sub utraque spetie sumi, dico, quod plus gratiae sub utraque sumit quam sub una[a]. At prima pars patet per simile, quod dicit Augustinus De bono coniugali, quod coelibatus Ioannis non praefertur coniugio Abraae, quoniam, quod Ioannes habuit in effectu, Abraam habuit in voto[86].

Secunda pars probatur, *quia sacramentum ipsum per se ipsum*, [ut] ait Augustinus Contra Donatistas lib. 4 c. 24, *multum valet*[87], cum non videatur maioris virtutis Christus sub spetie panis quam vini; et sub illa confert gratiam, igitur et sub spetie vini. Nec valet dicere, quod idem est contentum utrobique, ideo non maiorem gratiam [conferri], quia sequitur, quod in die nativitatis, quo die quilibet sacerdos tres celebrat missas[88], non plus gratiae semel Christum
15r sub spetie panis sumendo | reciperet quam ter, quod non credo, nec quotidie celebrando. Nec fraudantur laici, si hac gratia carerent, quoniam ea, quae gratis dantur, si non dantur, nemini fit iniuria: *Amice*, inquit Christus, *non facio tibi iniuriam. Tolle, quod tuum est*[89]. Ita hic, si ecclesiae propter honorem tanti sacramenti a laicis ipsis sub utraque specie illud sumi non placet, iure illi conqueri non possunt, sed suae solliciti salutis pia ecclesiae ordinatione contenti esse debent, sicut nec etiam sacerdotibus ipso iure egre ferendum est, si ecclesia ipsa eos coelibes esse voluerit nubendique libertate privaverit, cum tamen in primitiva ecclesia nupti essent, quin potius omni humilitate piae matris ecclesiae voluntati acquiescendum.

[a] *in marg. haec nota:* Optima ratio

[78] Cf. sententiam episcopi Elnensis, supra p. 202, 28s.

[79] Cf. Lev. 24, 5ss.; 1 Reg. 21, 4ss.; Matth. 12, 4.

[80] De lapsis c. 26 (l. c. 235, 508ss.).

[81] Potius art. 9 propositus, l. c. 113, 20s.

[82] Videlicet Sigismundo Ph. Diruta et Mariano Rocha supra p. 125, 32ss.; 132, 20ss., praeterea episcopo Viennensi, supra p. 170, 54ss.

[83] E. gr. Ioannes Zavallos supra p. 145, 7ss.

[84] Cf. votum archiepiscopi Antibarensis, supra p. 178, 13s.

[85] Cf. supra p. 145, 8s.; 203, 12.

[86] De bono coniugali c. 21, 26: „non est impar meritum continentiae in Iohanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit. Et illius enim celibatus et illius conubium ... Christo militaverunt. Sed continentiam Iohannes et in opere, Abraham vero in solo habitu habebat" (CSEL XLI 221, 18–23).

[87] De baptismo IV, c. 24, 31 (CSEL LI 259, 14s.).

[88] Cf. *L. Eisenhofer*, Handbuch d. kath. Liturgik I[2] (1941) 573.

[89] Matth. 20, 13s.

Digitized by Google

Undecimus articulus

Solam fidem sufficientem praeparationem esse ad eucharistiam sumendam, neque ad id confessionem esse necessariam, sed superfluam, praesertim doctis; neque homines teneri ad communicationem in paschate[90].

Prima pars et tertia huius articuli fuit ab omnibus simpliciter damnata, secunda vero sub dubitatione dimissa, quia quidam[91] dicebant confessionem non esse necessariam ad dignam eucharistiae sumptionem, habita etiam copia sacerdotis, ubi esset conscientia peccati mortalis, sed sufficere contritionem cum voto confessionis faciendae tempore suo; ideo non esse | [15v] damnandam huiusmodi partem. Alii[92] autem dicebant confessionem simpliciter necessariam, ac per hoc partem illam esse ut haereticam damnandam. Tertii[93] vero ut *erroneam, scandalosam et ad manifestum animarum interitum perducentem ac indignae sumptioni eucharistiae ostium aperientem*, ut cotidiana probant exempla, eam damnandam asserebant.

Prima huius articuli pars haeretica videtur, licet hoc, quod dicitur *sola fides*, aliquando in bonum sensum, aliquando in malum sensum sumi possit: in bonum, cum dicitur: *Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit*[94]; aliquando in malum, ut cum dicitur: sola fide meremur, iustificamur, quoniam qui sic loquuntur, caetera a ratione causae excludere volunt, ut quod bonis operibus non meremur. Aliqua enim proposito uno tempore suspecta videtur, alio vero non. Ideo propter haec iam tempora prima huius articuli pars neganda est veluti haeretica, cum multa alia ad sufficientem eucharistiae susceptionis praeparationem exigantur ut cordis compunctio. Non enim ad suscipiendam legem Dei sola fide praeparati fuerunt, Exod. 19 [10s.], immo abstinuerunt ab uxoribus suis et *laverunt vestimenta sua*. Similiter lib. Regum, *si mundi erant a mulieribus*[95], licebat panem propositionis manducare. Similiter ad esum agni multa requirebantur.

Secunda pars etsi non haeretica sit, scandalosa tamen videtur | [16r] et communicantibus grossam conscientiam faciens. Et est etiam contra Augustinum, De ecclesiast. dogmatibus c. 53[96] et hom. 49 et 50[97], et in epist. ad Iulianum comitem[98] expresse, ubi homines ante eucharistiam confiteri docet, contra universalem ecclesiae *consuetudinem*, cui standum etiam Paulus 1 Chor. 11 [16] monet contra *contentiosos*. Propterea non damnarem uti haereticum nec articulum formandum censerem, sed preceptum sicut illud: *Omnis utriusque sexus fidelis etc.*[99]

Haec sunt, quae mihi super his articulis dicere visa sunt, quae omnia huius sacrosancti concilii iudicio ac censurae submitto.

24.

Berardus Bonioannes, episcopus Camerinensis
Sentententia super articulis de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 29. Septembris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 19r-v *(autogr.?)*

De sacramento eucharistiae verba facimus. Conc. 14 19r

Etsi salvator noster septem instituerit *sacramenta ad perficiendum hominem*, ut recte viveret *secundum religionem christianam*, ad tollendumque etiam reatum peccati, aliquodque eorum volu-

[a] *Massarellus f. 19r in marg. super. haec adn.:* super articulis de sacramento eucharistiae die 29. Sept. 1551

[90] Potius art. 10 propositus, l. c. 114, 1s.

[91] Cf. vota Francisci de Toro et archiepiscopi Antibarensis supra p. 108, 4ss.; 178, 16s.

[92] Cf. vota Mariani Rochae et episc. Segobricensis et Elnensis, supra p. 132, 43ss.; 179, 3ss.; 203, 15ss.

[93] Cf. vota Francisci de Heredia, Petri Frago, Francisci Villalba, archiep. Granatensis et episcoporum Zagrabiensis, Viennensis, Castellimaris, supra p. 110, 44s.; 114, 2ss.; 141, 2ss.; 153, 36ss.; 171, 14ss.; 177, 23ss.; 190, 32ss.

[94] Ex hymno *Pange, lingua*, Breviarium Rom., fer. V in festo Corporis Christi, in I vesperis.

[95] 1 Reg. 21, 4.

[96] Potius *Gennadius*, De eccles. dogmatibus c. 23, al. 53; vide supra p. 190, 51 cum adn. 99.

[97] Sermo 351 (inc. *Quam sit utilis*) de utilitate poenitentiae (olim hom. 50 inter Homilias 50), c. 4, 7: „ut se indignum homo iudicet participatione corporis et sanguinis Domini“ (*Migne*, PL XXXIX 1542). Sermo dub. 392 (inc. *Apostolum audivimus*) ad coniugatos (olim hom. 49 inter Homilias 50), c. 3 (*Migne* l. c. 1711).

[98] *Ps.-Augustinus*, Liber de salutaribus documentis (olim sub tit.: *ad Iulianum comitem epist.*), c. 33 (*Migne*, PL XL 1059); vide supra p. 133, 3ss. cum adn. 78.

[99] C. 12 X de poenit. et remiss. V 38.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 170, 30–171, 10. De auctore, qui die 24. Sept. Tridentum advenerat (ibid. 157, 18s.), cf. ibid. 170, adn. 8, et Conc. Trid. I 691, adn. 2.

Digitized by Google

erit esse simpliciter et absolute necessarium ut sacramentum baptismi, aliqua ex suppositione ut secuto peccato poenitentiam et data multitudine ordinem secundum divi Thomae doctrinam[2], supremum tamen precipuumque voluit esse inter omnia alia sacramenta sacrosanctae eucharistiae sacramentum. Ad ipsum enim tamquam *ad finem omnia alia* ordinata sunt[3]. Baptizamur quippe, ut participes efficiamur corporis Christi ipsique uniamur. Poenitentiam agimus, ut digne accedamus ad tantum sacramentum. Ordinamur, ut ministri efficiamur corporis dominici. Et sic de singulis. Alia sacramenta in usu perficiuntur materiae, hoc vero in consecratione sui ipsius. Et ratio est, quia praesentialiter adest ibi Christi corpus. Relinquamus probabiles doctorum rationes, cum habeamus Christi verba propriam sui corporis substantiam demonstrantia: *Hoc est corpus meum*[4]. Et quia a nemine cavillari possunt, qui rectum iuditii usum habeat, idcirco falsus est primus articulus.

Et cum concedimus ibi esse Christi corpus, falsus est et alius[5], in quo dicunt *esse hypostaticam unionem* et non fieri transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Domini N. Nam si adest ibi Christi corpus, duo corpora simul stare non possunt, quia daretur penetratio dimensionum. Ergo.

Confunditur et alius[6], in quo dicitur *solam* operari *remissionem peccatorum*, cum augeat et gratiam remittatque venialia oblitaque mortalia praesuposita[a] generali contritione[7]. Et si cibus |
19v naturalis ultra nutrimentum multas facit operationes, quanto magis cibus iste supranaturalis.

Condemnetur et alius[8], in quo dicunt: *non esse Christum adorandum*, quia, cum confitemur illum esse Deum et hominem, unam hypostasim, unam personam habentem cum duabus naturis, latriae adoratione adorandum esse dicimus. Et ex his confunditur etiam, quando dicunt non debere deferri viaticum infirmis[9], cum tanto Christi benefitio in vitae extremo privari non debeant. Asserimusque debere servari *in sacrario*[10], quia, quandiu manent illae species, tandiu manet ibi Christi corpus. Haec est opinio divi Thomae[11] ab omnibus approbata. Ergo falsa positio eorum contraria.

In articulo de communione in *utraque specie*[12] duos errores esse dicimus: primus, quia non credunt in una specie tantum sumere, quantum sumitur in utraque. Hoc autem est falsum. Nam in corpore adsunt ossa, nervi et sanguis et ex concomitantia anima et divinitas. Quicquid enim divinitas semel assumpsit, nunquam dimisit[13]. — Alius est error, quia crediderunt ecclesiam non potuisse statuere sumptionem in una specie, quod tamen est falsum, cum circa dispensationem sacramentorum habeat omnimodam potestatem, ut patet in mutatione baptismatis et in caeteris, quae a patribus antecedentibus dicta sunt. Cumque habeamus statuta conciliorum[14] contra articulum, puto esse condemnandum.

Quantum ad decimum, in quo dicitur: *solam fidem etc.*[15], falsum censeo, quia probatio requiritur et contritio. Ad id autem, quod de confessione dicitur, ultra doctrinam Caietani[16] est doctrina Abbatis[17] in c. [6] *De homine* [X] de celebr. missar. [III 41], ubi dicit contrariam *opinionem veriorem*, aliam tamen *tutiorem*. Ego tamen pro reverentia sacramenti crederem formandum canonem, ne quis accedat ad sacramentum nisi confessus sub anathematis poena.

Haec sunt, quae brevissime et conclusive, quantum potui, volui dixisse secundum parvitatem ingenii mei. Me tamen et omnia mea iuditio D^tionum VV. semper submitto.

[a] *cod. sic*

[2] Summa th. III, qu. 62, art. 5, et qu. 65, art. 1.
[3] Ibid. qu. 65, art. 3.
[4] Matth. 26, 26.
[5] Videlicet art. 3, Conc. Trid. VII, I 112, 7ss.
[6] Videlicet art. 4, ibid. 112, 20.
[7] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 79, art. 3–4.
[8] Videlicet art. 5, l. c. 112, 22s.
[9] Ibid. 112, 23.
[10] Cf. art. 6, ibid. 113, 3.
[11] Summa th. III, qu. 76, art. 6 ad 3; qu. 77, art. 4–5.
[12] Videlicet art. 8, l. c. 113, 11s.
[13] Cf. votum episcopi Castellimaris, supra p. 180, 7 cum adn. 15.
[14] Conc. Constantiense, decr. *Cum in nonnullis;* vide supra p. 97, adn. 7. Conc. Basileense, decr. *Ut lucidius;* vide supra p. 97, adn. 8.
[15] Conc. Trid. l. c. 114, 1s.
[16] Vide supra p. 140, 26 et 141, 20s. cum adn. 106 et 115.
[17] *Nicolaus de Tudeschis*, abbas *Panormitanus;* vide supra p. 140, 26 cum adn. 107.

Digitized by Google

25.

Adnotationes praelatorum in articulis de sacramento eucharistiae[1]

[Diebus 21.–30. Septembris 1551[a]]

Arch. Vat., *Conc. 78*, 50r-v *(manus propria Massarelli)*

In primo [articulo] Conc. 78 50r

Quidam censent praemittendam esse aliquam doctrinam vel cuilibet canoni sua doctrina et declaratio addatur[2].

Aliqui[3] cuperent deleri *neque divinitatem* tanquam superfluum.

Ibi *ut in signo* quidam[4] vellet addi: *vel virtute*, ut melius haeretici damnentur.

Quidam[5] admonuit habendam esse rationem praeteritorum conciliorum, quae etiam idem damnaverunt, ut non videatur quasi res nova damnari.

In secundo [articulo]

Aliqui[6] cuperent hunc articulum omitti tanquam superfluum; aliqui contra sentiunt[7] et dicunt[8] habere auctorem Oecolampadium et Iulium Phluch in epistula ad Erasmum[9].

Quidam[10] vellent etiam damnari formam secundo loco propositam[11]. — Maiori parti placet, ut omnino damnetur[12].

Tertius articulus

Aliqui dixerunt omittendam mentionem de unione hypostatica, quasi non sit error praesentis temporis[13]. Quidam etiam contra sentiunt[14].

Quartus articulus

Iste quartus articulus habet fere easdem censuras cum primo, videlicet quod, si ab aliquo asseritur, damnetur[15]. Et quidam[16] dicunt esse errorem Oecolampadii etiam cum dictione *solam*. Multi[17] vero censuerunt posse omitti, multi[18] contra. Et dicunt etiam absque dictione *solam* asseri a Melanchthone in Confessione Augustana et in libro De locis communibus cap. De cena Domini[19].

Aliqui[20] cuperent ad maiorem declarationem exprimi in canone istius articuli omnes fructus huius sacramenti exemplo concilii Florentini; et ita damnari, ut non excludatur remissio peccatorum[21].

[a] *Massarellus f. 50v in marg. hunc add. titulum:* Censurae factae a patribus in generalibus congregationibus super articulis de sacramento eucharistiae, Septembris 1551

[1] Has censuras Massarellus collegit ex Actis congregationum generalium diebus 21.–30. Sept. 1551 habitarum a se ipso conscriptis (Conc. Trid. VII, I 143–176). Cf. ibid. 176 adn. 1.
[2] Videl. episc. Castellimaris et Syracusanus, ibid. 183, 3. 31; cf. infra p. 224, 5ss.
[3] Videl. episc. Salonensis et Guadicensis, l. c. 156, 16; 162, 12 et 27. Cf. supra p. 195, 26ss.
[4] Episc. Guadicensis, l. c. 162, 11.
[5] Episc. Auriensis, l. c. 154, 1s.
[6] Archiep. Maguntinus, episc. Maioricensis et Siracusanus, l. c. 144, 27; 150, 12; 153, 27; cf. 176, 11.
[7] Archiep. Turritanus et Granatensis, l. c. 146, 27; 147, 12; episc. Zagrabiensis, Auriensis, Pacensis, Salonensis, Monopolitanus etc., l. c. 145, 11; 154, 10. 26; 157, 2; 159, 2s. etc.
[8] Archiep. Turritanus, episc. Salaminensis et Mutinensis, l. c. 146, 30s.; 166, 12; 168, 24.
[9] Cf. epist. Iulii Pflug Citii die 5. Maii 1533 (non 1553) ad Erasmum dat., Opus epist. Des. Erasmi (rec. *P. S. Allen*) X (Oxonii 1941), 220, 114ss., n. 2806. *Julius Pflug*, Correspondance (rec. *J. V. Pollet*) I, Leiden 1969, 297ss., n. 82.
[10] Card. Tridentinus et episc. Oscensis, l. c. 144, 14; 156, 5s.
[11] Quam vide ibid. 142, 23; cf. vota archiep. Antibarensis et episc. Oscensis, supra p. 178, 5ss. et p. 192, 13s.
[12] Cf. vota episc. Legionensis, Guadicensis, generalis ord. Erem. s. August., l. c. 160, 1s.; 162, 29s.; 169, 38s., praeterea relationem card. Crescentii, l. c. 176, 11s.
[13] Episc. Pacensis et Guadicensis, l. c. 154, 19; 163, 1s.
[14] Archiep. Maguntinus et Calaritanus, l. c. 144, 28; 148, 8; episc. Castellimaris, Misiensis, Salonensis, Virdunensis, Salaminensis, Mutinensis etc. l. c. 150, 24s.; 153, 11; 156, 17ss.; 165, 23; 166, 14; 168, 8s.
[15] Cf. vota episc. Segobricensis et Oscensis, l. c. 150, 6; 156, 6s.
[16] Episc. Salaminensis, l. c. 166, 14s.
[17] Archiep. Maguntinus, episc. Zagrabiensis et Segobricensis, l. c. 144, 32; 145, 14; 150, 7.
[18] Archiep. Turritanus et Calaritanus, l. c. 146, 31ss.; 149, 7; episc. Maioricensis, Castellimaris, Lancianensis etc., l. c. 150, 13; 151, 14s.; 152, 28.
[19] Cf. votum archiep. Granatensis, l. c. 147, 12ss. cum adn. 3 et 4. Vide supra p. 176, 26.
[20] Episc. Mutinensis, l. c. 168, 25s.
[21] Cf. relationem card. Crescentii, l. c. 176, 15s.

Digitized by Google

Quintus articulus

Quidam[22] dixit esse superfluum et contineri in primo articulo.

Quidam[23] admonuit considerandum non omnes partes huius articuli eodem modo damnandas, quia aliquae contrariantur iuri divino, aliquae ecclesiae praeceptis, aliquae consuetudini ut de processione; non omnes igitur haereticae. Aliquis[24] vellet exprimi rationes, quibus Christus adorandus est.

Sextus articulus

In prima parte huius articuli vellet quidam[25] addi ibi *reservandam : non solum propter infirmos, sed ut* praesto *habeatur* sumere eam *volentibus*.

In secunda parte aliqui[26] dixerunt eam ut superfluam et sine auctore dimittendam. Quidam[27] contra et dicit esse errorem illius sutoris, qui in Germania se regem fecit etc., ut refert Cochleus in Commentariis Martini[28].

Aliqui[29] dicunt esse exprimendum de sacerdotibus, quia de laycis est vera in casu necessitatis. Quidam[30] dicunt esse damnandum, ut iacet, quia est falsus in utroque sensu.

Septimus articulus

Quidam[31] vellet eum dimitti, tanquam indignus, ut a synodo damnetur.

Octavus articulus

Quidam[32] censent esse supersedendum pro nunc a damnatione huius articuli.

Aliqui[33] dixerunt articulum non esse contra ius divinum et nollent[34], ut damnetur nisi ut falsus quoad laycos, in reliquis ut haereticus.

Quidam[35] censent eum esse catholicum quoad laycos. Alii omnes contra senserunt.

Nonnulli[36] cuperent omitti mentionem parvulorum, cum non sit error praesentis temporis.

Quidam[37] censuerunt esse concedendam hanc communionem sub utraque Germanis. Sed omnes[38] contra senserunt stantibus rebus in praesenti statu etc.

Nonus articulus

Prima pars ab omnibus iudicatur damnanda[39].

Secunda. Quoad gratiam patres varii fuerunt, maior tamen pars[40] est, quod non plus sub utraque quam sub una de gratia sumatur. Et maiori item parti[41] videtur non esse faciendam mentionem de gratia in hoc articulo, sed ponatur aliquid aequipollens ut de fructu vel quid simile.

Decimus[a] articulus

Prima pars ab omnibus damnatur[42].

[a] *cod.* 9.

[22] Fortasse episc. Feltrensis, l. c. 149, 26s., ubi videtur legendum esse: *5. articulus* loco *3. art.*; cf. votum episc. Camerinensis, l. c. 170, 33.

[23] Episc. Mutinensis, l. c. 168, 10s.

[24] Idem episc. Mutinensis, l. c. 168, 12.

[25] Idem episc. Mutinensis, l. c. 168, 13s.

[26] Archiep. Turritanus, episc. Oscensis et Pacensis, l. c. 146, 34; 154, 27; 156, 7. Cf. relationem card. Crescentii, l. c. 176, 17.

[27] Episc. Salaminensis, l. c. 166, 16ss.

[28] *Io. Cochlaeus*, Commentaria de actis et scriptis Mart. Lutheri Saxonis, Moguntiae 1549 [Farnborough 1968], p. 271. Cf. quae J. Birkner ex eodem opere (Coloniae 1568) allegavit, Conc. Trid. VII, I 166 adn. 9.

[29] Episc. Siracusanus, Auriensis, Mutinensis, l. c. 153, 28; 154, 11; 168, 26s.; cf. votum generalis ord. Erem. s. Aug., l. c. 170, 5s.

[30] Card. Tridentinus, archiep. Calaritanus, episc. Segobricensis et Maioricensis, l. c. 144, 15s.; 149, 8; 150, 7. 14.

[31] Episc. Feltrensis, l. c. 149, 28s.

[32] Episc. Salonensis et Virdunensis, l. c. 156, 27ss.; 165, 25.

[33] Episc. Salonensis et Ovetensis, l. c. 156, 31s.; 160, 22s.; cf. votum episc. Monopolitani, l. c. 158, 37s.

[34] Episc. Virdunensis et Mutinensis, l. c. 165, 26s.; 168, 20.

[35] Episc. Zagrabiensis et Salonensis, l. c. 145, 21ss.; 156, 31s.

[36] Episc. Salonensis, Astoricensis, Virdunensis, l. c. 156, 30; 165, 16. 28.

[37] Card. Tridentinus, archiep. Maguntinus, episc. Zagrabiensis, Viennensis, Pacensis, l. c. 144, 10ss.; 36ss.; 146, 3. 15s.; 154, 23ss.

[38] Potius archiep. Granatensis, episc. Lancianensis, Auriensis, Monopolitanus, Astoricensis, Bituntinus, l. c. 147, 19; 152, 24; 154, 9; 159, 1; 165, 15s.; 172, 35s.

[39] Cf. vota episc. Siracusani, Auriensis, Legionensis etc. et relationem card. Crescentii, l. c. 153, 30; 154, 11s.; 160, 16; 176, 21.

[40] Archiep. Panormitanus et Calaritanus, episc. Maioricensis, Castellimaris, Constantinensis, Tudensis, Astoricensis, Salaminensis, l. c. 147, 2s.; 149, 9s.; 150, 14s.; 155, 23ss.; 161, 17s.; 165, 17s.; 166, 20ss. Contrariam opinionem tenebant archiep. Granatensis, episc. Bossanensis, Mutinensis, generalis OESA., l. c. 147, 20s.; 167, 35s.; 168, 29; 170, 11ss. Cf. supra p. 177, 13ss.; 210, 20s.

[41] Videl. archiep. Maguntino, episc. Segobricensi, Lancianensi, Auriensi, Legionensi, Lacorensi, Virdunensi, l. c. 145, 3; 150, 8; 152, 30s.; 154, 12; 160, 16; 162, 3; 165, 30; praeterea episc. Castellimaris et Elnensi; cf. supra p. 191, 13s.; 203, 12.

[42] Cf. relationem card. Crescentii, l. c. 176, 23s.

Digitized by Google

In secunda de confessione discordes fuerunt. Sed longe maior pars censet confessionem esse necessariam ante sumptionem eucharistiae, sed contrariam opinionem non damnandam ut haereticam[43].

Quidam[44] etiam cuperent aptari canonem in modum doctrinae, ut factum fuit in c. *Omnis utriusque etc.*

Articuli, qui aliquibus patribus ultra propositos damnandi videntur[45] 50v

Oecolampadius: In cena novissima non tradidit Christus corpus suum discipulis, sed panem consecratum.

Colonienses: Eucharistiam non dandam infirmis, sed panem benedictum.
Extra missam et sacrificium confici sacramentum.
Sacramentum non vere confici nisi coram tota communitate.

Lutherus: Licet recitatio verborum Christi in cena sit necessaria ad veram et realem sumptionem corporis Christi, illa tamen verba non efficiunt Christi praesentiam, sed fides sumentis.

Quidam[46] cuperent declarari a synodo locum Io. 6 [54. 56] intelligi de sacramentali manducatione etc.

26.

Friderici Nauseae, episcopi Viennensis [Vota data in congregatione generali habita[1]]

Tridenti, die 6. Octobris 1551

Gottingae, Bibl. Univ., *cod. theol. 176 I*, 234r–236v *(copia coaeva)* —
Schaffhusiae, Bibl. civitatis, *cod. gener. 40*, 150r–154r et 155v–156r et 241r–243r *(copia coaeva)* —
Monachii, Bibl. rei publ., *Clm. 11053*, 47v–52r. 61r. 67r. 71r *(copia coaeva)* —
Arch. Vat., *Conc. 106*, 204–210. 212–213 *(copia saec. XVIII)*

[A.] Responsio, an placeat aggredi reformationem abusuum sedis apostolicae[1a] Schaffhusiae cod. gener. 40 155v

Revme etc. Non potest mihi hoc plus quam necessarium planeque prudens propositum non ex animo non placere, utpote quod omnino sperem, reformato capite caetera deinceps inferiora corporis hierarchici membra omnia facile reformatum iri.

[B.] Responsio, num sibi placeat responsum ad litteras Christmi Francorum regis Heinrici II[2]

Rmi Patres etc., amplissimi principes etc. Scriptum ad litteras Christmi regis Francorum etc. responsivum[3] usque adeo suis ex omni parte numeris mihi videtur absolutum tamquam mihi propter dictionis splendorem, sententiae gravitatem et pietatis vehementiam perplacet, ut

[43] Ibid., l. c. 176, 24–26. Cf. vota archiep. Turritani, Granatensis, Calaritani, episc. Lancianensis, Algarensis, Pacensis, Oscensis etc., l. c. 146, 22s.; 147, 24s.; 149, 16; 152, 33; 153, 4s.; 154, 28; 156, 8.

[44] Episc. Siracusanus et Bossanensis, l. c. 153, 32s.; 167, 43s.

[45] Articuli sequentes ad verbum leguntur in voto Salvatoris Salapusii, archiep. Turritani, die 21. Sept. 1551 dato; vide supra p. 174, 38ss. cum adn. 34–38.

[46] Episc. Lancianensis, Oscensis, Guadicensis, Conc. Trid. VII, I 152, 6s.; 156, 9s.; 162, 16s. Archiep. Maguntinus et Calaritanus, episc. Lancianensis, Elnensis illum locum exposuerunt de utraque (sacramentali et spirituali) manducatione (l. c. 144, 26; 148, 16ss.; 152, 5ss.; 157, 11), episc. Constantinensis, Oscensis, Guadicensis, Salaminensis de sacramentali manducatione (l. c. 155, 31s.; 156, 9s.; 162, 16s.; 166, 6s.). Episcopi Mutinensis et Bituntinus, generalis ord. Erem. s. August. et archiep. Sipontinus, secundus praesidens, defendebant opinionem illum locum de spirituali manducatione loqui neque etiam de sacramentali intelligi posse, l. c. 168, 15ss.; 169, 30s.; 172, 24s.; 173, 24s.; 174, 5 *(loquitur quoad laycos spiritualiter, quoad sacerdotes sacramentaliter)*.

[1] Nausea haec vota cum litteris die 7. Oct. 1551 datis ad Ferdinandum, regem Romanorum, misit, *W. Friedensburg*, Beiträge zum Briefwechsel der kath. Gelehrten, in: Ztschr. f. Kirchengesch. XXI (1900), 574. Eadem vota e cod. Gotting. *theol. 176 I* primum ed. *[G. J. Planck]*, Anecdotorum ad historiam conc. Trid. pertinentium fasc. VII = Progr. Academiae Georg. Aug., Gottingae circa S. Christi paschalia 1798, 5–11.

[1a] Cf. quae card. Crescentius legatus in congregatione gener. die 6. Oct. habita de reformatione statuenda dixerat, Conc. Trid. VII, I 180, 3ss.

[2] Cf. quae idem legatus in eadem congregatione de responso Francorum regi dando ad patres dixerat, l. c. 180, 25ss.

[3] Hoc responsum, quod Massarellus in eadem congregatione legerat, in sessione XIII (11. Oct. 1551) ab omnibus approbatum est; vide ibid. 208–212.

Digitized by Google

nihil illi merito nec addendum nec adimendum putem. In summa tantum illud esse iudicaverim, ut dignum sit, ut a tanta synodo regi detur tanto, nempe Christmo.

156r **[C.] Responsio, an placeat, ut Protestantium procuratoribus salvus ad concilium conductus etc. praebeatur[4]**

Videtur mihi legitimam illis iure securitatem huc veniendi et agendi, quae tam ipsis quam nobis percommoda et necessaria fuerint, negari nec posse nec debere, ne, si illa ipsis negaretur, iniustissimam[a] deinde sint habituri conquerendi ansam[b], quominus in hac sancta synodo comparuerint. Nec displicet mihi, ut terminus illis ad veniendum concedatur, ut ipsi sibi eo melius de necessariis ad iter et ad ea, quae hic sunt vel dicturi vel acturi etc., providere valeant, et quidem maxime, ut detur eis adveniendi terminus inclusive usque ad diem S. Pauli conversionis, qua die est habenda sessio[5], in qua decernetur de communione utriusque speciei. Faxit autem Deus opt. max., ut, si Saules venturi sint, per veram poenitentiam redituri sint Pauli, quemadmodum ominari videtur dies in terminum praefixus. Amen.

[D.] In canones super sacrosanctae eucharistiae sacramenti articulis sententia seu censura[6]

150r ⌜Canon 1: *Si quis dixerit, in sacratissimo sacramento eucharistiae non contineri vere ...*[7] |

150v Quanquam, Rmi Patres, amplissimi principes ac Domini observandissimi et dignissimi, canones ex articulis[8] super sacrosancto eucharistiae sacramento nuper propositis et disputatis, qui etiam Rmorum huius sacri concilii patrum puncta, vota et suffragia tulerunt, per deputatos[9] concinne, docte, pie prudenterque positi et concepti videantur, quum per doctissimos, pientissimos et prudentissimos praesules et patres concepti sint, quum tamen hic mundus plane nasutissimus tales suos habeat Momos[10], qualibus nihil esse potest tam vel doctum vel pium vel tam denique absolutum, quod ipsi naso non suspendant[11] et cavillentur, videor mihi non ab re facturus, si quid mihi in praefatis canonibus paulo rectius poni posse videatur, paucis non tam docendi quam admonendi gratia synceroque quidem animo commonstravero. Ne igitur praefatio dicendorum quam mea super praedictis canonibus sententia prolixior futura sit, perquam paucula quaedam loca adnotanda monebo[c].

Censura primi canonis: Primum igitur canonem paulo tutius in haec verba legi posse crediderim:

„Si quis dixerit, in sanctissimo sacramento eucharistiae non contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem adeoque totum Christum una cum ipsius humanitate et divinitate D. N. Iesu Christi, sed in eo dumtaxat esse ut in signo vel figura vel virtute vel alio quovis id genus modo, anathema sit",

obmittendo *maranatha*, nomine scilicet adiectivo, ut grammatice loquar, in sanctis litteris[12]
151r et apud theologos, qua|tenus mea fert sententia, inusitato. Addiderim, quod et hoc loco peccetur contra grammatices regulam, cum terminus *maranatha* feminini generis coniungatur cum nomine *anathema*, quod neutrius est generis. Profuerit idcirco, ut sacrosancta synodus antiquorum dicendi modo contenta sit, ne se ronchis haereticorum in re tam levicula exponat.

Canon 2: *Si quis in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini ...*[13]

Canonis secundi censura: Secundus canon tutius legi putatur, si reicerentur verba: *quam quidem conversionem patres nostri et universa catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem nuncuparunt*, siquidem tum quia non satis scitur, quam sint antiqui patres illi nostri, qui hoc vocabulo *transsubstantiationis* usi sunt, nec constat certo, num universa[d] catholica ecclesia sic adpellaverit hanc mirabilem versionem panis et vini utpote *transsubstantiationem*, quam vel ideo

[a] *Gott.* iustissimam [b] *Gott.* causam [c] *om. Gott.* [d] *Gott.* universalis

[4] Cf. quae legatus in eadem congregatione de salvo conductu Protestantium procuratoribus concedendo et de termino usque ad sessionem die 25. Ian. 1552 habendam eis assignando dixerat, l. c. 181, 7ss. 16ss. Salvus conductus in sessione XIII (11. Oct. 1551) Protestantibus datus legitur ibid. 207, 33ss.

[5] Cf. ibid. 181, 19s.; 340, adn. c.

[6] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, ibid. 182, 15–22. Canonum examinandorum exemplum omnibus patribus die 3. Octobris datum erat, ibid. 179, 11s.

[7] Vide ibid. 178, 1ss.

[8] Quos vide ibid. 111–114 et 142s.

[9] Quos in congregatione gener. die 30. Sept. habita legatus concilii nominaverat, quae nominatio ab omnibus patribus approbata erat; nomina vide ibid. 176, 32ss.

[10] Cf. *H. v. Geisau*, Der kl. Pauly III 1404. *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 5, prov. 74 (Opera II 210s.).

[11] Cf. *Des. Erasmus* ibid. I cent. 8, prov. 22 (l. c. 307 E).

[12] Cf. 1 Cor. 16, 22; Apoc. 22, 20.

[13] Vide Conc. Trid. VII, I 178, 5ss.

Digitized by Google

voculam esse recentem et vix trecentenariam[a] dicunt[14], quia latinis illis authoribus in usu non fuerit illa, sed ab illatinis inventa potius. Ne proinde sancta synodus frivole magis de verbis altercari quam de rebus graviter agere videatur, censuerim praememorata verba potius esse submovenda ex canone.

⌜Insuper reicienda pariter suaserim | verba: *aut secundum execrabiles et prophanas vocum novitates Christum impanatum esse*, cum quia sic haereticos scripsisse[b] nesciam, tum quia videantur eiusmodi scurrilia verba patrum gravitati derogare et hominibus istis levioribus ansam dare ad scurriliora quaedam adversus hoc sacratissimum eucharistiae sacramentum obloquia et ledoria[15]. Posset autem (ni fallor) ita securius legi canon: 151v

„Si quis in sacrosancto eucharistiae sacramento permanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. Iesu Christi dixerit, et mirabilem illam singularemque totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Iesu Christi (manentibus interim dumtaxat panis et vini speciebus) versionem negaverit, anathema sit"⌝[c].

Canon 3: *Si quis negaverit sub unaquaque specie* . . .[16]

Censura tertii canonis: Tertius canon quoque paulo concinnius poni legique posse censetur, si in haec verba legeretur:

„Si quis negaverit sub singulis quibuslibet speciebus et sub singulis earundem partibus integrum Christum contineri, anathema sit".

Canon 4: *Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili* . . .[17]

Censura quarti canonis: Quartus canon sub iisce verbis intelligibilius et paulo | securius legi posset: 152r

„Si quis dixerit in hoc sancto eucharistiae sacramento ante sumptionem non esse Christi corpus et sanguinem, sed quando sumitur dumtaxat, dixeritque in ipsis consecratis hostiis earundemque particulis post communionem reservatis non remanere corpus et sanguinem Domini, anathema sit".

Canon 5: *Si quis dixerit sacrosanctum eucharistiae sacramentum ob solam remissionem peccatorum* . . .[18]

Canonis quinti censura: Quintus canon videtur potius obmitti debere, cum quia nullus haeresiarcharum ea de re, quod equidem sciam, in ullam controversiam vocaverit[19], tum quia perinde [ac] superfluus videatur hominibus male feriatis perversae suspicionis et sinistrae cogitationis dare occasionem.

Canon 6: *Si quis dixerit unigenitum Dei filium* . . .[20]

Censura sexti canonis: Sextus canon nulla censetur opus habere notatione, nisi quia concinnius legi videatur: *cultu latriae etiam externo adorandum* expunctis verbis: *eo cultu, qui latriae dicitur*.

Canon 7: *Si quis dixerit non licere sacramentum eucharistiae in sacrario reservari* . . .[21] |

Censura septimi canonis: Septimus canon videtur paulo obscurius esse conceptu[s] ideoque clarius iisce sub verbis concipi et legi posse: 152v

„Si quis dixerit non licere sacramentum eucharistiae in sacrario reservari, ⌜sed ipsum statim post consecrationem consumendum et adstantibus nec idipsum sumere desiderantibus nec, ut illud sumant, praeparatis necessario distribuendum, nec item licere, ut illud ad infirmos honorifice deferatur, nec item licere, ut sacerdos sacrum faciens⌝[d] se ipsum communicet, anathema sit".

Canon 8: *Si quis dixerit necessarium esse ad salutem et divino iure praeceptum* . . .[22]

Octavi canonis censura: Octavus canon minus tumultus et concepti apud ipsos contra

[a] *Gott. corr. e* trecentariam [b] *Scb. 265r* dixisse

[c] *om. Gott. — Scb. 265r Nausea haec manu propria in marg. add. sic mutatis in priore canonis forma mutandis*

[d] *Scb. 265r Nausea supplementis ad formam priorem in marg. et supra lin. manu propria additis canonem sic mutavit*

[14] Termino *transsubstantiationis* primum Hildebertus archiep. Turonensis et Orlandus Bandinellus (Alexander III) ca. a. 1140/42 usi sunt; cf. *F. Gillmann*, Zur Geschichte des Gebrauchs der Ausdrücke „transsubstantiare" und „transsubstantiatio", Der Katholik LXXXVIII 2 (1908) 417–424. *B. Neunheuser*, LThK X² 312. Conc. Trid. VII, I 125, adn. 1.

[15] Id est *convicia;* cf. *Du Cange*, Glossar. med. et inf. latinitatis V, Graz 1954, 57.

[16] Vide Conc. Trid. VII, I 178, 12s.

[17] Vide ibid. 178, 14ss.

[18] Vide ibid. 178, 18s.

[19] Cf. vero supra p. 138, 3s. cum adn. 69s.

[20] Vide Conc. Trid. l. c. 178, 20ss.

[21] Vide ibid. 178, 25ss.

[22] Vide ibid. 178, 29ss.

Digitized by Google

ecclesiam odii movere [posset], si paulo conformior esset in suis verbis decreto Constantiensis synodi[23], nimirum ut ita legeretur:

„Si quis universalem *ecclesiae consuetudinem*, quam pro lege habendam decrevit synodus Constantiensis, qua hactenus in hoc sacratissimo eucharistiae sacramento sub una dumtaxat specie, scilicet panis, laici communicant, reprobaverit et reprobandam dixerit, et errasse ipsam ecclesiam, quod et laicos et sacerdotes non celebrantes *sub* sola *specie panis* communicaverit, anathema sit“,

obmittendo videlicet verba: *necessarium ad salutem et divino iure praeceptum*, tum quia nondum
153r definiverit ecclesia communionem | sub una vel sub altera specie de iure esse divino vel non, tum[a] ne synodus det ansam periculosiori adversus se schismaticorum et haereticorum disputationi et maledicentiae. Cuius ipsa synodus rei Constantiensis rationem et respectum dubio procul habens nullam voluit de iure divino vel humano, quod *positivum* vocant, ad maiorem contra hoc sacratissimum eucharistiae sacramentum movere controversiam et tragediam, sed eam ubique in rebus tam dubiis et sub iudice adhuc pendentibus praecavendam[b] innuit.

Canon 9: *Si quis dixerit necessarium esse de iure divino etiam parvulos* ...[24]

Canonis noni censura: Nonus canon videtur totus esse catholicus et probandus.

Canon 10: *Si quis dixerit minus sumi sub una specie quam sub utraque* ...[25]

Censura decimi canonis: Decimus canon a cavillis esse tutior videretur, si sub iisce verbis legeretur:

„Si quis dixerit minus substantiae sacramenti sub una sumi specie quam sub utraque, vel laicis quoad substantiam vel rem sacramenti fieri iniuriam, vel eos, qui sub una dumtaxat specie panis [communicant], ipsius substantiae sacramenti fructu defraudari, anathema sit“.

Sane constat laicos sub specie panis totum Christum vivum sumere, quamquam sacramen-
153v talem speciem vini, quae | fortassis suum fructum apud sumentes singulariter propter maiorem devotionem excitare possit, haud sumant[c], unde contendunt schismatici laicos ipsos non integrum, sed dimidiatum sacramentum sumere, quia sanguinem Domini non suscipiunt sub specie vini.

Canon 11: *Si quis dixerit Christum in eucharistia exhiberi spiritualiter tantum manducandum per fidem, non autem sacramentaliter, teneri iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae semel saltem in anno in paschate communicandum, anathema sit*[26].

Censura undecimi canonis: Undecimus canon videtur in verbis defectuosus et obtruncatus sibique verba aliqua deesse. Videtur autem sic legi debere:

„Si quis dixerit Christum in eucharistia spiritualiter, utpote per fidem dumtaxat, non autem sacramentaliter esse manducandum, et non teneri quemquam, ut iuxta praeceptum ecclesiae semel saltem in anno, in paschate videlicet, communicet, anathema sit.“

Canon 12: *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sacramentum eucharistiae, anathema sit*[27].

Censura duodecimi canonis: Duodecimus canon est pius idemque vere christianus.

Canon 13: *Et ne hoc sacramentum sacramentorum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur* ...[28] |

154r Censura decimi tertii canonis: Decimus tertius canon, sive potius circa reverentiam sacramenti declaratio, videtur per haec verba potius declarari debere:

„Ne autem hoc sacrum eucharistiae sacramentum indigne a quoquam et ad mortem damnationemque sumi possit, decernit et declarat ipsa sacrosancta synodus, ut communicaturus, quem peccati mortalis conscientia gravat, necessario confessionem sacramentalem praemittat, vel saltem voto et firmo proposito confiteatur tempore primo sacramentali confessioni, si tunc copiam confessoris minime habere possit. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere vel publice disputare praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat“.

[a] *Clm* tamen [b] *Sch. Clm Vat.* praecavendum [c] *Gott. Sch. Clm Vat.* sumatur

[23] Conc. Constantiense, sess. XIII (15. Iun. 1415), decr. *Cum in nonnullis*; vide supra p. 97, 6 cum adn. 7; 166, 35ss.

[24] Vide Conc. Trid. l. c. 178, 33s.

[25] Vide ibid. 178, 35s.

[26] Vide ibid. 178, 38s. et 179, 2s.

[27] Vide ibid. can. 13, pars 1, l. c. 179, 4s.

[28] Vide ibid. can. 13, pars 2–3, l. c. 179, 5–10.

Digitized by Google

27.

Balthasar [Fannemann] episcopus Misiensis, suffraganeus Moguntinus Canones de eucharistia emendati[1]

Tridenti, die 6. Octobris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 36r–37r *(copia canonum coaeva, ab auctore propria manu correcta et subscripta)*

Canones super sacramento eucharistiae Conc. 14 36r

[1.] Si quis dixerit in sanctissimo eucharistiae sacramento non contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. Iesu Christi, ac proinde non[b] totum Christum, sed tantummodo esse ut in signo vel figura[c], sit anathema. Maranatha.

[2.] Si quis dixerit in sacrosancto eucharistiae sacramento[d] substantiam panis et vini una cum corporis et sanguinis D. N. Iesu Christi remanere[b], aut secundum execrabiles et prophanas vocum novitates Christum impanatum esse dixerit, negaverit etiam[e] mirabilem illam et singularem[f] totius substantiae panis et[g] vini in ⌜corpus et⌝[b] sanguinem speciebus duntaxat manentibus[h] conversionem, quam[b] patres nostri et universa catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem nuncuparunt, a. s.

[3.] Si quis[i] sub unaquaque specie et qualibet eius parte totum Christum contineri negaverit[b], a. s.

[4.] Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili eucharistiae sacramento non esse verum[b] corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed tantum ⌜in usu⌝[k], dum sumitur, non autem ante vel post[l], et in hostiis seu particulis consecratis[m] post communionem remanentibus[n] non remanere corpus Domini, a. s.

[5.] Si quis dixerit sacrosanctum eucharistiae sacramentum ob solam remissionem peccatorum institutum esse, a. s. |

[6.] Si quis dixerit unigenitum Dei filium D. N. Iesum Christum in eucharistia non esse 36v latria[o] adorandum nec[p] externa aut[q] festiva peculiari celebritate reverendum, vel non licere secundum pium et laudabilem sanctae matris[b] ecclesiae ritum et consuetudinem in processionibus solemniter circumgestari ⌜aut ante oculos Christi fidelium publice spectandum constitui⌝[r] et eius adoratores esse idolatras, a. s.

[7.] Si quis dixerit non licere sacram eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem sumendam[s] et astantibus necessario distribuendam, aut non licere[t] sacerdoti celebranti, ut se ipsum communicet ⌜vel illam ut viaticum ad infirmos honorifice portet⌝[u], a. s.

[8.] Si quis dixerit necessarium esse ad salutem et divino iure preceptum omnes et singulos Christi fideles sub utraque specie communicare, aut errasse hactenus ecclesiam, quod laycos et non celebrantes sacerdotes sub sola panis specie communicaverit, a. s.

[9.] Si quis dixerit necessarium esse de iure divino et parvulos, antequam ad annos discretionis ⌜et usum rationis⌝[b] pervenerint, communicare, a. s.

[10.] Si quis dixerit minus sumi sub una specie quam sub utraque vel laycis iniuriam fieri aut ipso sacramenti fructu defraudari, qui sub unica specie communicant, a. s.

[11.] Si quis dixerit Christum in eucharistia exhiberi ⌜per fidem tantum⌝[k] spiritualiter manducandum[v], non autem sacramentaliter[1a], a. s. |

[a] *Massarellus f. 36r in marg. super. haec adn.:* Misiensis super canonibus sacramenti eucharistiae 6. Oct. 1551
[b] *supra lin. add.* [c] *cod. perg.:* aut virtute, *quae sunt del.* [d] *cod. perg.:* remanere, *quod est del.*
[e] *loco del.* autem [f] *cod. perg.:* conversionem, *quod est del.*
[g] *loco del.* in corpus et totius substantiae [h] *cod. perg.:* panis et vini, quam quidem
[i] *cod. perg.:* negaverit, *quod est del.* [k] *in marg. add.* [l] *cod. perg.:* sumptionem, *quod est del.*
[m] *cod. perg.:* quae *(del.)* [n] *loco del.* reservantur [o] *loco del.:* eo cultu, qui latria dicitur
[p] *loco del.:* adoratione et [q] *cod. perg.* non *(del.)*
[r] *in marg. add. loco del.:* aut publice populo spectandum proponi [s] *corr. e* consumendam
[t] *cod. perg.:* ut illa ad infirmos honorifice deferatur vel, *quae sunt del.* [u] *supra lin. et in marg. add.*
[v] *loco del.:* tantum manducandum per fidem

[1] Canones de eucharistia in hanc formam redactos, de quibus auctor in congregatione gener. die 6. Oct. habita sententiam dixerat (Conc. Trid. VII, I 183, 21–29), Massarello eodem die dedit. Quae sibi emendanda esse videbantur, addidit vel correxit vel delevit in ipso canonum exemplo ei die 3. Oct. per secretarium misso (cf. l. c. 179, 11). Cf. primam canonum formam a deputatis conceptam ibid. 178s. De auctore vide ibid. 82, adn. 5; 153, adn. 3.

[1a] Cf. supra p. 218, 33s.

Digitized by Google

37r [12.] Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae semel saltem in anno in paschate ad communicandum, a. s.

⌜Litteralis terminorum dispositio aliquo modo mutetur⌝[a].

[13.] Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae eucharistiae sacramentum, a. s. Et ne hoc sacramentum, omnium[b] sacramentorum sacratissimum[b], indigne atque ideo in iudicium[c] et condemnationem sumatur, statuit et declarat ipsa sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat[d], praemittendam esse ⌜non solum cordis contritionem verum etiam habita copia idonei confessoris sacramentalem oris confessionem, ut virtute clavium suorum peccatorum absolutionem et remissionem maiorem et certiorem habere possint⌝[e].

⌜Qui *indigne* sumit, est in morte culpe et post *iudicium*[2] sequitur *condemnatio*[3]⌝[a].

⌜Baltazar, suffraganeus Moguntinus, subscripsit⌝[f].

28.

Franciscus Manrique, episcopus Auriensis Sententia de canonibus eucharistiae[1]

Tridenti, die 6. Octobris 1551[g]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 33r *(copia coaeva)*

Conc. 14 33r Que Auriensis episcopus dicit circa canones, sunt haec:

Primus canon placet, sed in fine *maranata* aut non ponatur aut etiam in secundo poni deberet.

In secundo [canone] nollem verbum illud *impanatum* apponi, quia haec heresis antiqua est[2] et post eam complurima concilia sunt celebrata et nunquam hoc verbo patres sunt ussi[h] in condemnatione, licet ipsos hereticos *impanantes* pro contumelia vocarent.

In quarto articulo, ubi dicit: *non esse corpus et sanguinem nisi tantum, dum sumitur, non autem ante vel post sumptionem*, si adderetur: *dum permanent species sacramentales*, clarius remaneret.

In quinto si adderetur (post illud: *ob solam remissionem peccatorum*): „et non ad alios effectus institutum esse", potius placeret.

In sexto, ubi dicit: *aut non festiva peculiari celebritate venerandum*, dicerem potius: *aut festiva et peculiari celebritate non venerandum;* essetque ita oratio clarior.

In septimo, ubi dicit: *aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, vel sacerdoti celebranti, ut se ipsum comunicet*[h], quia illud verbum *deferatur* posset referri in praecedentem et sequentem clausulam, ut intelligatur non licere, quod ad infirmos honorifice deferatur nec deferatur sacerdoti celebranti, comodius[h] (credo) et distinctius intelligeretur, si diceret: *aut negaverit illam ad infirmos honorifice deferendam esse, vel non licere sacerdoti celebranti, ut se ipsum communicet*[h], *anathema sit.*

Nonus itidem canon placet.

In [un]decimo, ubi dicit: *non autem sacramentaliter*, si diceret: *non autem realiter et sacramentaliter*, magis placeret.

[a] *haec in marg. sunt adn.* [b] *supra lin. add.* [c] *loco del.* mortem [d] *cod. perg.* necessario *(del.)*
[e] *partim in marg. partim supra lin. add. loco del.:* confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere seu publice disputare praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat. *Deinde cod. perg.:* Super quibus canonibus patres dicent sententias die lunae proxima [f] *manu propria*
[g] *Massarellus in marg. super. haec adn.:* Auriensis. Super canones *[sic]* de sacramento eucharistiae die 6. Oct. 1551 [h] *cod. sic*

[2] Cf. 1 Cor. 11, 29.
[3] Rom. 5, 16. 18.
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 183, 39–41. De auctore cf. ibid. 154, adn. 1. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 410–415. Canonum formam examinandam vide Conc. Trid. VII, I 178s.
[2] Cf. *J. Betz*, Konsubstantiation, LThK VI[2] 505.

Digitized by Google

In ultimo, ubi dicit: *necessario premittendam esse confessionem sacramentalem*, addi statim deberet: *habita copia confessoris idonei*, *presertim quoad illos*, *quos necessitas et officium celebrare compellit*. Ultimam etiam orationem, scilicet *publice disputare*, prorsus tollerem.

29.

Petrus de Augustinis, episcopus Oscensis Sententia de canonibus eucharistiae[1]

Tridenti, die 6. Octobris 1551[a]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 43r–44r *(copia coaeva)*

Illmi et Rmi Domini, sanctissimi Patres. Conc. 14 43r

Canones hos numero tredecim[2] magno consilio et prudentia aeditos esse arbitror et piam atque christianam doctrinam omnes continere, quorum autores[3] summa laude et honore dignos arbitror. Quaedam tamen mihi videntur addenda et explicanda latius in eis. Quae non aliter dicta volo, quam quo magis magisque res haec vestro iudicio examinata et discussa in publicum prodeat.

Canone primo verbum illud *virtute* novum est et in damnatione huius erroris ab ecclesia hactenus non usurpatum. Ideoque, ne vel novis disputationibus aut falsis interpretationibus locus detur, oportet explicari magis, quo pacto Christum *virtute* in eucharistia existere dicant. Porro verbum *maranatha*, quia insolitum est, poni praetermittatur.

Canone secundo post verba illa: *Christum impanatum esse dixerit* iudico haec debere addi: *aut pani et vino hypostatice unitum*. Nam sine his verbis non excluditur error recentiorum quorundam et antiquorum etiam dicentium Christum pani et vino hypostatice unitum[4]. Nec deerunt, qui dicant aliud esse *impanari*, aliud *hypostatice uniri*. Quo ergo omnis errandi occasio tollatur, verba illa sunt addenda: *aut pani et vino hypostatice unitum*. Similiter eodem canone dicitur patres nostros usos verbo *transubstantiationis*. Antiqui patres videntur potius usi verbis *conversionis*, *mutationis*, *transmutationis*. Recentioribus theologis, qui floruerunt post tempora Magistri Sententiarum[5], magis placuit verbum *transubstantiationis* sicuti et synodo Lateranensi[6] sub Innocentio III. Ut ergo res haec omni scrupulo careat, ita censeo dicendum: *quam quidem conversionem recentiores theologi et universa ecclesia ante aliquot annos aptissime transubstantiationem nuncuparunt*.

Canone tertio, cum dicitur: *et qualibet eius parte*, addatur: *quantumcumque minima*. Addantur etiam haec verba: *etiam separatione facta*, quoniam in Florentino concilio[7] apposita sunt.

Canone quarto post verba illa: *et in hostiis seu particulis consecratis*, *quae post communionem reservantur*, addendum est: *et in vino seu vini reliquiis vere manere sanguinem Domini*. Aliquando enim manere solent post consecrationem seu sumptionem reliquiae aliquot, potissime apud eos, qui communicant sub utraque specie. |

Canone septimo verba illa: *vel sacerdoti celebranti*, *ut seipsum communicet*, non satis coherent caeteris huius septimi canonis particulis. Quare censeo hac de re proprium et peculiarem debere confici canonem, quoniam vetus et recens haeresis haec est, et quae Christi institutioni et usui universalis ecclesiae adversetur. 43v

[a] *Massarellus f. 43r haec adn.:* Oscensis super canonibus de sacramento eucharistiae die 6. Octobris 1551

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 184, 6–11. De auctore cf. ibid. 156, adn. 1; Conc. Trid. VI, I 30, adn. 6. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 900–911.

[2] Canonum 13 de eucharistia formam examinandam vide Conc. Trid. VII, I 178s.

[3] Videl. novem ad canones conficiendos deputati, quorum nomina vide ibid. 176, 32ss.

[4] Cf. *J. Betz*, Konsubstantiation l. c. 505.

[5] *Petrus Lomb.*, Sententiarum IV dist. 11, c. 1–2 (l. c. II[3] 802s.). *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 75, art. 4 et 8.

[6] Conc. Lateranense IV (a. 1215), c. 1 de fide cath. = c. 1 *Firmiter* X de s. trinit. I 1, § 3 (*Friedberg* I 5).

[7] Decr. pro Armenis (22. Nov. 1439), c. 5, 3 (*Mansi* XXXI 1057 C. *Denzinger-Schönmetzer*, Enchiridion[34] n. 1321. Conciliorum oecum. decreta, Bologna [3]1973, 547, 7).

Digitized by Google

Canone decimo verba illa: *minus sumi*[a] *sub una specie* sunt clarius explicanda. Cum enim articulus hic, quantum attinet ad gratiam et effectum sacramenti, sit disputatus, oportet addi verba, quae sine ambiguitate aliqua significent non minus gratiae sumi[a] sub altera specie quam sub utraque. Nam verba illa *minus sumi*[a] ambigua sunt et quae varie possunt exponi. Rursus, cum dicitur: *laicis iniuriam fieri aut ipso sacramenti fructu defraudari*, verba illa *defraudari* et *iniuriam fieri* poterunt ab aliquibus sinistre interpretari; dicent enim: Cum debitum non sit, sed gratuitum (ut illi falso putant), fraudem et iniuriam hic locum non habere. Ideo arbitror magis expedire aliis uti verbis, nempe *carere*, *privari* et similibus.

Canone undecimo, cum dicitur: *non autem sacramentaliter*, censeo addendum: *realiter et substantialiter*, quo omnis errandi occasio excludatur. Fatentur enim quidam veteres et recentiores haeretici[8] in eucharistia sumi[a] Christum *sacramentaliter*, non tamen *realiter et substantialiter*.

Canone decimotertio, cum dicitur: *necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem*, addenda sunt verba aliquot, nempe: *nec sufficere solam contritionem*, *ut digne accedat*, *cum adest copia confessoris*, quoniam quaestio haec in particulari casu disputata est a synodo[9], an scilicet necessaria sit confessio ad digne sumendam eucharistiam, an sufficiat sola contritio illi, qui conscius sibi est peccati mortalis. Hic ergo casus definiendus est a sancta synodo, non autem generaliter statuendum necessariam esse confessionem. Nam nisi casus hic specialiter declaretur, dicent illi, qui contrariam sententiam tenent, ab illo generali statuto debere excipi casum contritionis, sicut excipitur casus deffectus[b] confessoris. Praeterea cum in hoc particulari casu definitum sit a maiore parte patrum et theologorum illam opinionem esse falsam, erroneam et scandalosam, illa eadem verba addenda videntur, quoniam ita placuit maiori parti patrum.
In eodem canone dicitur: *excommunicatus existat*. Videtur potius esse dicendum: *anathema*
44r *sit*, quoniam ita in caeteris canonibus positum est. Nec diverso modo | hic est loquendum, ne quis putet diversam esse damnationem. Adhuc oriretur quaestio de genere excommunicationis et de eo, qui potest et debet a tali excommunicatione absolvere.

Dixi.

30.

Ioannes Bernardus Diaz de Lugo, episcopus Calagurritanus Sententia super canonibus sacramenti eucharistiae[1]

Tridenti, die 6. Octobris 1551[c]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 35r *(copia coaeva, ab auctore subscripta)*

Conc. 14 35r Ante omnia praemittendus videretur omnibus quintus canon, quia, dum tractat de institutione sacramenti, congruum est, ut caeteros de re instituta tractantes antecedat.

In primo canone videtur legendum: *ac proinde nec totum Christum*.

In secundo videtur postponendas esse dictiones illas *patres nostri* et omittendam illam *universa*, ita quod canon sic legeretur: *quam quidem conversionem catholica ecclesia in concilio Lateranensi*[2] *et patres nostri aptissime etc.*

In sexto post verba illa *spectandum proponi* addendum videtur: *tanquam cultus isti sint per se illiciti*.

In septimo ex verbis illis ultimis: *vel sacerdoti celebranti etc.* conficiendus videtur canon distinctus aut haec verba adiungenda in fine canonis duodecimi, ubi de communione tractatur.

[a] *cod.* summi [b] *cod. sic*
[c] *Massarellus in marg. super. haec adn.:* Calaguritanus super canonibus sacramenti eucharistiae, 6. Oct. 1551

[8] E. gr. *H. Zwingli*, De vera et falsa religione comment., art. 18 (Corp. Ref. XC 787, 6ss.). *Io. Oecolampadius*, De genuina verborum Domini: *Hoc est* ... expositione, Basileae 1525, f. D 5v et F 6r; vide supra p. 172, 40ss. cum adn. 12.
[9] Cum art. 10 de eucharistia a patribus examinaretur; cf. Conc. Trid. VII, I 144, 1s. 17s.; 145, 3s. etc.

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 184, 18–23. Canonum formam examinandam vide ibid. 178s. De auctore cf. ibid. 157, adn. 1 et Conc. Trid. VI, I 32, adn. 1. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 586–607.
[2] Conc. Lateranense IV (a. 1215), c. 1 de fide cath.; vide supra p. 221, 20s.

Digitized by Google

In decimo tercio videretur sic legendum:

declarat et statuit ipsa sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, etiam contritis, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem, neque eos, qui ex officio celebrare tenentur, hac obligatione exemptos vult, nisi cum idonei confessoris copia caruerint. Quos etiam declarat confessionem ipsam, quam primum comode[a] *possint, adhibere opportere*[a]. *Si quis autem contrarium etc.*

Nec per verba supradicta contritionis effectus negatur, cum non declaretur[b] per contritionem culpam non tolli, sed ad digne celebrandum etiam contritis necessariam esse confessionem, ne contemnentes laudabilem consuetudinem ecclesiae aut decepti in hoc, quod credant se sufficienter esse contritos, novum peccatum incurrant et sic indigne communicent aut celebrent.

⌜I[oannes] Calagurritanus[1c].

31.

Fr. Octavianus Praeconius OMConv., episcopus Monopolitanus Sentententia super canonibus de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 7. Octobris 1551[d]

Arch. Vat., *Conc. 14,* 38[r-v] *(copia coaeva ab auctore subscripta)*

Sacrosancta synodus, a[mplissimi] P[atres], in Christi Iesu, servatoris nostri, dulcissimo ac Conc. 14 38r suavissimo nomine et in eius, *qui a patre filioque procedit*[2], sanctissimo spiritu congregata individua quaeque sua spiritualia esse praesupponit, spirituales vero eos, qui *in aliquo praeoccupati fuerint delicto*[3], nedum arguere et increpare, verum etiam et eiusmodi *in spiritu lenitatis instruere*[3] simulatque, et si opus fuerit, *obsecrare in omni patientia et doctrina*[4] *vas* monet *electionis*[5].

Quamobrem circa differendos articulos expectandosque, quorum res agitur, Protestantes, filios tametsi prodigos, Ill[mi] ac R[mi] DD. mei legati, oecumenici huius almi conventus capitis eminentissimi, praeposita quecumque probo et summopere laudo. Faxit tamen Deus opt. max., ut ita resipiscant in se reversi. Itaque eorundem conversos persentiamus animos, quod nedum ad divi Pauli conversionem usque sed et ultra eiusdem martirium adventum ipsorum patres expectare delectet, quandoquidem *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*[6] magno, *qui de celis venit*[7], teste medico. Nec vocati Tridentum properavimus vocatum expectatumque *iustos, sed peccatores ad penitentiam*[8]. Insuper et nobis orandum interim opere pretium autumo, ut tales adveniant, quibus *a longe visis* laetanter occurrere possimus *cadentesque supra colla*[9] ipsorum pacis oscula praestare dulcia. Synodus enim haec sancta mater est, quae gremium redeunti claudere nescit. Atque utinam et ipsi tales evadant, quibus *quasi mater obviet honorificata*[10].

Eapropter et quoad eadem omnia praesertimque circa epistolium Christ[mo] regi responsivum ad amussim pro captu meo vafre sciteque et elegantissime compositum exaratumve Ill[mi] et R[mi] D. mei Tridentini principis clementissimi sententiae[11] adhereo atque subscribo. Verum, quemadmodum et de eorum adventu desperandum non putamus, inspirante maxime eo, *qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*[12], eorumque rebelles compellente voluntates — nam et *de quocumque impio* authore Augustino patre Aurelio *desperandum non est,* dum fuerit in via[13] —, sic et eorum promissionibus pro experientia multoties fallacibus nimium fidendum non arbitramur. Quocirca D. mei Camerinensis laudo sententiam[14], scilicet quod eisdem perhemtorius[a] praefigatur terminus.

[a] *cod. sic* [b] *cod.* declaratur [c] *manus propria*
[d] *Massarellus f. 38*[r] *haec adn.:* Monopolitanus, super canonibus de sacramento eucharistiae, 7. Oct. 1551

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 185, 3–6. De auctore cf. ibid. 158, adn. 1. Canonum de eucharistia formam examinandam vide ibid. 178s.

[2] Symbolum Nicaeno-Constantinopolit.; cf. *Denzinger*, Enchiridion[34] n. 150. De *filioque* cf. *J. Gill*, LThK IV[2] 126s.

[3] Gal. 6, 1. [4] 2 Tim. 4, 2. [5] Act. 9, 15.

[6] Matth. 9, 12; cf. Luc. 5, 31.

[7] Io. 3, 31. [8] Luc. 5, 32. [9] Luc. 15, 20.

[10] Eccli. 15, 2.

[11] Cf. Conc. Trid. VII, I 181, 23s. 29ss.

[12] 1 Tim. 2, 4.

[13] *Aurel. Augustinus*, Retractationes I, c. 18, 10 (CSEL XXXVI 94, 2s.). *Idem*, Enarrat. in Ps. 36, serm. II, c. 11 (CChr. XXXVIII 354, 32). De baptismo IV, c. 14, 21 (CSEL LI 246, 11s.).

[14] Vide Conc. Trid. VII, I 183, 1, ubi vero de Camerinensis sententia nihil dicitur nisi eum *laudavisse responsionem et concessionem*.

Digitized by Google

Quae vero a vestra benignitate pro commodiori patrum residentia oblata sunt[15], cum gratiarum actione suscipimus et acceptamus quasi pernecessaria, expectantes nihilominus iuxta D. mei Calagoricensis sententiam[16] potiora, prout ratio exigit et ipsa expostulat necessitas.

Circa canones autem sacros, ni putarem sanctissimam atque oculatissimam deputationem[17] non ita nudos eosdem praemissuram, sed prohemio quodam, ut par est, doctrina gravi, scrip-
38v ture sacre authoritatibus et sanctorum sententiis refertissimo | praemisso prius vel habito daturam, sententiam DD. meorum Castrimarensis et Syracusani[18] laudarem. Nam et eo rationabilius nostrum iudicabitur obsequium, quo canones ipsi doctrina, authoritate gravitateque compensati videbuntur, et eo facilius contra hereticos a Catholicis nostra probabitur censura, quo maiori praestantia fulgere conspicietur. Verum quia id peragendum omnino puto, subticere magis lubet.

Addere autem vel diminuere aliquid ex eisdem mihi tirunculo humili parvuloque vestro et *apostolorum minimo*[19] ita esset, ac perinde ac si vellem per ignotum luculentissime sciri aliquid praemonstratum iri vel, *ut aiunt*, *suem docere Minervam*[20]. Verum enimvero, si iuxta plurimorum patrum videre admonenda viderentur paucula, illa videlicet: In primo canone ly *aut virtute* quasi insolitum et in secundo canone ly *impanatum* quasi piarum aurium offensivum et ly *universa* quasi superfluum et loco eius ponerem: *in concilio Lateranensi*, ut videbatur Domino meo Maioricensi, et in sexto ly *eo cultu, qui latria dicitur*, ut aliis patribus visum fuit[21], placeret utique.

Placeret quoque, si in quinto canone post illud: *ob solam remissionem peccatorum* adderetur: *et non ut fructus alios plurimos consequatur digne sumens*, *anathema sit*.

Circa vero ultimum canonem cuperem pro tutela simplicium, quod adderetur expressiva illa particula a sacris doctoribus posita et iam a patribus[22] commemorata: *habita copia sacerdotis* dimittendo illud *idonei;* nam sic nebulonibus ac nequam sacerdotibus nullus erit idoneus. Ac insuper ex particula alia, scilicet *quantumcumque contritos se existiment*, et denique ut post ultimum canonis verbum, videlicet *excommunicatus*[a] *exsistat*, vel, ut aliis videtur, *anathema sit*, adderetur, a quo penitens veniret absolvendus, si personaliter ab episcopo vel a pontifice supremo. Et isthaec omnia tum, ut dubia excludantur omnia quoad canonem ipsum, tum etiam, *ut obmutescere faciamus imprudentium ora loquentium*[23].

Ceterum me meaque omnia Dominationum VV. Rmarum censure ac iudicio submitto.

ʳE[iusdem] sacratissimae deputationis servus humilis

F. Octavianus Praeconius, Siculus a Messana, episcopus Monopolitanus[1b].

32.

Ioannes Aemilianus, episcopus Tudensis
Sentencia super canonibus de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 7. Octobris 1551[c]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 40r-v *(copia coaeva ab auctore subscripta)*

Conc. 14 40r 1. In primo canone, ubi dicitur: *ac proinde totum Christum*, videtur debere dici: *nec etiam totum Christum*.

2. In secundo canone videtur posse omitti illa clausula: *aut secundum execrabiles et prophanas vocum novitates Christum inpanatum esse dixerit*, quia ex condemnatione primae partis sequitur condemnatio huius clausulae.

[a] *cod.* escommunicatus [b] *manus episcopi propria*
[c] *Massarellus f. 40r haec adn.:* Tudensis super canonibus de sacramento eucharistiae, 7. Octobris 1551

[15] Vide ibid. 180, 2ss.
[16] Vide ibid. 184, 17ss. et supra p. 222s., ubi vero nonnisi de canonibus eucharistiae mentio fit.
[17] Nomina deputatorum vide ibid. 176, 32ss.
[18] Qui cupiebant *praemitti aliquam doctrinam*, ibid. 183, 3 et 31. [19] 1 Cor. 15, 9.
[20] *Cicero*, Acad. post. I, c. 5, 18. Cf. *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer l. c. 224, n. 1118. *Dse. Erasmus*, Adagia I, cent. 1, prov. 40 (Opera II 43 E).
[21] Vide vota episc. Feltrensis, Misiensis, Auriensis, Oscensis, Conc. Trid. VII, I 182, 31; 183, 22. 26. 39; 184, 7 et supra p. 219, adn. c et o; 220, 16ss.; 221, 9ss. 13ss.
[22] Cf. vota archiep. Treverensis, episc. Viennensis, Calaritani, Feltrensis, Siracusani, Bellicastrensis, Auriensis etc., l. c. 182, 8. 22. 28. 35; 183, 31s. 37. 40; 184, 22; vide supra p. 218, 46s.; 221, 2; 223, 4.
[23] Ps. 62, 12; 1 Petr. 2, 15.
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 185, 14–21. De auctore *(Juan*

Digitized by Google

3. In **tertio** canone videtur posse omitti particula illa: *et qualibet eius parte*, sicut omittitur in concilio Lateranensi[2], tum quia non est discussa[a] a theologis nec a patribus[3], tum etiam quia de illa aut eius opposita non est facta mentio in adversariorum articulis.

4. In **quarto** canone post illam particulam: *vel post sumptionem* videtur posse addi hec particula: *quandiu manent species*.

5. In **quinto** canone post illam partem: *ob solam remissionem peccatorum* videtur posse addi hoc: *aut precipue propter illam*.

6. In **sexto** canone, ubi dicitur: *aut publice populo* videtur posse dici: *neque publice populo*.

7. In **septimo** canone, ubi habetur: *vel sacerdoti celebranti*, videtur posse dici: *neque sacerdoti celebranti*.

11. In **undecimo** canone, ubi habetur: *non autem sacramentaliter*, videtur sic posse dici: *non autem realiter et sacramentaliter*.

13. In **tertio decimo** canone, ubi habetur: *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat*, videtur posse sic haberi: *illis etiam contritis aut qui se existimant contritos, quos conscientia peccati mortalis aut dubium probabile de tali peccato gravat, necessario premittendam*[b] *esse confessionem sacramentalem habita copia sacerdotis potentis absolvere*. | Et ibidem, ubi habetur: *seu publice disputare*, 40v
videtur posse addi et dici: *aut publice disputare tanquam revocans in dubium nisi solum gratia disputationis*.

Absolutio ab hac censura videtur debere relinqui ordinariis aut eorum officialibus. Etiam videtur, quod hac censura non ligarentur sacerdotes, quibus occurrerit peccatum mortale non confessum aut dubium de huiusmodi peccato post inceptam generalem confessionem in missae celebratione[4], ad tollendam anxietatem sacerdotum vel admirationem aut scandalum praesentium.

⌜Humili cum submissione episcopus Tudensis⌝[1c].

32a.

[Antonius Codina OESA, episcopus Lacorensis suffraganeus Barchinonensis]
[Sententia de canonibus sacramenti eucharistiae[1]]

[Tridenti, die 7. Octobris 1551]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 45r *(autogr.)*

Iesus Conc. 14 45r

Ill^{mi} DD. et sanctissimi Patres.

Quae heri ab[d] Illmo D. meo[e] legato fuerunt proposita[2], placent per omnia, ⌜videlicet responsio ad regem Francorum[3]. Differatur etiam sessio[4] cum artigulis[f] usque ad profuturum tempus et detur illis accessus securus[5].

Canones[6] conversim superaditi[f] a[d] R^{mis} Dominis placent et ego subscribo⌝[1g].

[a] *cod.* discusa [b] *cod.* premitendam [c] *manus propria episcopi* [d] *cod.* ha [e] *cod.* me
[f] *cod. sic* [g] *in marg. add. loco del.:* sessio cum artigulis *(sic)* canonibus differatur

de San Millán) vide ibid. 160, adn. 8. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 706–715. Canonum formam examinandam vide Conc. Trid. VII, I 178s.

[2] Conc. Lateranense IV, c. 1 de fide cath.; vide supra p. 99, 30ss. cum adn. 4.

[3] Cf. vero votum episc. Viennensis, Conc. Trid. VII, I 182, 20, et supra p. 217, 17s.

[4] Cf. Missale Rom., ordo missae, *Confiteor*.

[1] Subscriptio auctoris deest neque Massarellus eius nomen adnotavit. Ex iis tamen, quae in Actis Massarelli de voto episcopi Lacorensis relata sunt (Conc. Trid. VII, I 185, 23–25) quaeque congruunt cum hac sententia, apparet eam ab illo episcopo conscriptam esse. De eo cf. ibid. 161, adn. 3. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 124–127.

[2] Cf. Conc. Trid. VII, I 180, 2ss.

[3] Quam vide ibid. 208–211.

[4] De concessione eorum, quae Protestantes petiverunt (videl. *ut supersedeatur a tractatione et publicatione articulorum de communione sub utraque specie et de maiori vel minori fructu sub utraque quam sub una etc. usque ad eorum adventum*), cf. ibid. 181, 8ss.

[5] Cf. salvum conductum Protestantibus in sessione XIII (11. Oct. 1551) datum, ibid. 207, 33ss.

[6] Canonum de eucharistia formam hoc die examinandam vide ibid. 178s.

Digitized by Google

Quae vero a vestra benignitate pro commodiori patrum residentia oblata sunt[15], cum gratiarum actione suscipimus et acceptamus quasi pernecessaria, expectantes nihilominus iuxta D. mei Calagoricensis sententiam[16] potiora, prout ratio exigit et ipsa expostulat necessitas.

Circa canones autem sacros, ni putarem sanctissimam atque oculatissimam deputationem[17] non ita nudos eosdem praemissuram, sed prohemio quodam, ut par est, doctrina gravi, scrip-
38v ture sacre authoritatibus et sanctorum sententiis refertissimo | praemisso prius vel habito daturam, sententiam DD. meorum Castrimarensis et Syracusani[18] laudarem. Nam et eo rationabilius nostrum iudicabitur obsequium, quo canones ipsi doctrina, authoritate gravitateque compensati videbuntur, et eo facilius contra hereticos a Catholicis nostra probabitur censura, quo maiori praestantia fulgere conspicietur. Verum quia id peragendum omnino puto, subticere magis lubet.
Addere autem vel diminuere aliquid ex eisdem mihi tirunculo humili parvuloque vestro et *apostolorum minimo*[19] ita esset, ac perinde ac si vellem per ignotum luculentissime sciri aliquid praemonstratum iri vel, *ut aiunt*, *suem docere Minervam*[20]. Verum enimvero, si iuxta plurimorum patrum videre admonenda viderentur paucula, illa videlicet: In primo canone ly *aut virtute* quasi insolitum et in secundo canone ly *impanatum* quasi piarum aurium offensivum et ly *universa* quasi superfluum et loco eius ponerem: *in concilio Lateranensi*, ut videbatur Domino meo Maioricensi, et in sexto ly *eo cultu*, *qui latria dicitur*, ut aliis patribus visum fuit[21], placeret utique.

Placeret quoque, si in quinto canone post illud: *ob solam remissionem peccatorum* adderetur: *et non ut fructus alios plurimos consequatur digne sumens*, *anathema sit.*
Circa vero ultimum canonem cuperem pro tutela simplicium, quod adderetur expressiva illa particula a sacris doctoribus posita et iam a patribus[22] commemorata: *habita copia sacerdotis* dimittendo illud *idonei;* nam sic nebulonibus ac nequam sacerdotibus nullus erit idoneus. Ac insuper ex particula alia, scilicet *quantumcumque contritos se existiment*, et denique ut post ultimum canonis verbum, videlicet *excommunicatus*[a] *exsistat*, vel, ut aliis videtur, *anathema sit*, adderetur, a quo penitens veniret absolvendus, si personaliter ab episcopo vel a pontifice supremo. Et isthaec omnia tum, ut dubia excludantur omnia quoad canonem ipsum, tum etiam, *ut obmutescere faciamus imprudentium ora loquentium*[23].

Ceterum me meaque omnia Dominationum VV. R[marum] censure ac iudicio submitto.

⌜E[iusdem] sacratissimae deputationis servus humilis

F. Octavianus Praeconius, Siculus a Messana, episcopus Monopolitanus⌝[b].

32.

Ioannes Aemilianus, episcopus Tudensis
Sentenția super canonibus de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 7. Octobris 1551[c]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 40[r-v] *(copia coaeva ab auctore subscripta)*

Conc. 14 40r 1. In primo canone, ubi dicitur: *ac proinde totum Christum*, videtur debere dici: *nec etiam totum Christum.*

2. In secundo canone videtur posse omitti illa clausula: *aut secundum execrabiles et prophanas vocum novitates Christum inpanatum esse dixerit*, quia ex condemnatione primae partis sequitur condemnatio huius clausulae.

[a] *cod.* escommunicatus [b] *manus episcopi propria*
[c] *Massarellus f. 40*[r] *haec adn.:* Tudensis super canonibus de sacramento eucharistiae, 7. Octobris 1551

[15] Vide ibid. 180, 2ss.
[16] Vide ibid. 184, 17ss. et supra p. 222s., ubi vero nonnisi de canonibus eucharistiae mentio fit.
[17] Nomina deputatorum vide ibid. 176, 32ss.
[18] Qui cupiebant *praemitti aliquam doctrinam*, ibid. 183, 3 et 31. [19] 1 Cor. 15, 9.
[20] *Cicero*, Acad. post. I, c. 5, 18. Cf. *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer l. c. 224, n. 1118. *Dse. Erasmus*, Adagia I, cent. 1, prov. 40 (Opera II 43 E).
[21] Vide vota episc. Feltrensis, Misiensis, Auriensis, Oscensis, Conc. Trid. VII, I 182, 31; 183, 22. 26. 39; 184, 7 et supra p. 219, adn. c et o; 220, 16ss.; 221, 9ss.13ss.
[22] Cf. vota archiep. Treverensis, episc. Viennensis, Calaritani, Feltrensis, Siracusani, Bellicastrensis, Auriensis etc., l. c. 182, 8. 22. 28. 35; 183, 31s. 37. 40; 184, 22; vide supra p. 218, 46s.; 221, 2; 223, 4.
[23] Ps. 62, 12; 1 Petr. 2, 15.
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 185, 14–21. De auctore *(Juan*

Digitized by Google

3. In tertio canone videtur posse omitti particula illa: *et qualibet eius parte*, sicut omittitur in concilio Lateranensi[2], tum quia non est discussa[a] a theologis nec a patribus[3], tum etiam quia de illa aut eius opposita non est facta mentio in adversariorum articulis.

4. In quarto canone post illam particulam: *vel post sumptionem* videtur posse addi hec particula: *quandiu manent species.*

5. In quinto canone post illam partem: *ob solam remissionem peccatorum* videtur posse addi hoc: *aut precipue propter illam.*

6. In sexto canone, ubi dicitur: *aut publice populo* videtur posse dici: *neque publice populo.*

7. In septimo canone, ubi habetur: *vel sacerdoti celebranti*, videtur posse dici: *neque sacerdoti celebranti.*

11. In undecimo canone, ubi habetur: *non autem sacramentaliter*, videtur sic posse dici: *non autem realiter et sacramentaliter.*

13. In tertio decimo canone, ubi habetur: *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat*, videtur posse sic haberi: *illis etiam contritis aut qui se existimant contritos, quos conscientia peccati mortalis aut dubium probabile de tali peccato gravat, necessario premittendam*[b] *esse confessionem sacramentalem habita copia sacerdotis potentis absolvere.* | Et ibidem, ubi habetur: *seu publice disputare*, 40v
videtur posse addi et dici: *aut publice disputare tanquam revocans in dubium nisi solum gratia disputationis.*

Absolutio ab hac censura videtur debere relinqui ordinariis aut eorum officialibus. Etiam videtur, quod hac censura non ligarentur sacerdotes, quibus occurrerit peccatum mortale non confessum aut dubium de huiusmodi peccato post inceptam generalem confessionem in missae celebratione[4], ad tollendam anxietatem sacerdotum vel admirationem aut scandalum praesentium.

⌜Humili cum submissione episcopus Tudensis⌝[c].

32a.

[Antonius Codina OESA, episcopus Lacorensis suffraganeus Barchinonensis]
[Sententia de canonibus sacramenti eucharistiae[1]]

[Tridenti, die 7. Octobris 1551]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 45r *(autogr.)*

Iesus Conc. 14 45r

Illmi DD. et sanctissimi Patres.

Quae heri ab[d] Illmo D. meo[e] legato fuerunt proposita[2], placent per omnia, ⌜videlicet responsio ad regem Francorum[3]. Differatur etiam sessio[4] cum artigulis[f] usque ad profuturum tempus et detur illis accessus securus[5].

Canones[6] conversim superaditi[f] a[d] Rmis Dominis placent et ego subscribo⌝[g].

[a] *cod.* discusa [b] *cod.* premitendam [c] *manus propria episcopi* [d] *cod.* ha [e] *cod.* me
[f] *cod. sic* [g] *in marg. add. loco del.:* sessio cum artigulis *(sic)* canonibus differatur

de San Millán) vide ibid. 160, adn. 8. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 706–715. Canonum formam examinandam vide Conc. Trid. VII, I 178s.

[2] Conc. Lateranense IV, c. 1 de fide cath.; vide supra p. 99, 30ss. cum adn. 4.

[3] Cf. vero votum episc. Viennensis, Conc. Trid. VII, I 182, 20, et supra p. 217, 17s.

[4] Cf. Missale Rom., ordo missae, *Confiteor.*

[1] Subscriptio auctoris deest neque Massarellus eius nomen adnotavit. Ex iis tamen, quae in Actis Massarelli de voto episcopi Lacorensis relata sunt (Conc. Trid. VII, I 185, 23–25) quaeque congruunt cum hac sententia, apparet eam ab illo episcopo conscriptam esse. De eo cf. ibid. 161, adn. 3. *C. Gutiérrez*, Españoles en Trento l. c. 124–127.

[2] Cf. Conc. Trid. VII, I 180, 2ss.

[3] Quam vide ibid. 208–211.

[4] De concessione eorum, quae Protestantes petiverunt (videl. *ut supersedeatur a tractatione et publicatione articulorum de communione sub utraque specie et de maiori vel minori fructu sub utraque quam sub una etc. usque ad eorum adventum*), cf. ibid. 181, 8ss.

[5] Cf. salvum conductum Protestantibus in sessione XIII (11. Oct. 1551) datum, ibid. 207, 33ss.

[6] Canonum de eucharistia formam hoc die examinandam vide ibid. 178s.

Digitized by Google

Tercius decimus canon[a] tres habet partes: Prima probatur per omnia; secunda vero et tertia non mihi placent, ne alteretur sancta consuetudo confitendi, ne etiam generentur scrupuli et perplexitates a conscientiis timoratis. Iudicio meo ita canon[a] posset componi, si fieri debet:

„Decrevit sancta sinodus, [ut] in communione sanctissimi sacramenti eucharistie sancta observetur consuetudo, videlicet premitendam[b] esse primo sacramentalem confesionem[b], et afirmantes[b] existentibus[c] cum conscientia peccati mortalis suficere[b] ad receptionem tanti sacramenti contricionem et confesionem[b] in voto temerarios et escandalossos[b] iudicat sancta sinodus. Et per presens decretum inponit silentium perpetuum huiusmodi a cerciori etc. Si qui aliter docuerint[d], per ordinarios graviter puniantur autoritate propria vel tamquam delegatos sedis apostolice".

Hec dixi, ut mee satisfaciam conscientie, et volo, ut ita fiant.

33.

Vincentius de Leone OCarm., episcopus Bosanensis
Sentential super canonibus de sacramento eucharistiae[1]

Tridenti, die 7. Octobris 1551[e]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 42r *(autogr.)*

Conc. 14 42r

Sententia episcopi Bosanensis

Concurrit cum patribus[2], qui dixerunt praemittendam esse aliqualem doctrinam, a qua dependeant canones tanquam conclusiones a praemissis.

Circa ordinem canonum et titulos apponendos concurrit cum D. Virdunensi[3].

Cuperet fieri unum canonem post primum immediate locandum huiusmodi seriae[b] vel tenoris, scilicet:

„Si quis dixerit, docuerit, predicaverit, disputaverit vel crediderit verba illa salvatoris D. N. Iesu Christi: *Hoc est corpus meum*[4] tropice fuisse dicta aut tropice esse intelligenda, anathema sit".

Et quia verba illa in ultima parte septimi canonis posita, scilicet de *sacerdote celebrante, ut se ipsum communicet*, sunt magnae necessitatis, cuperet, ut ex illis verbis fieret unus canon de per se et ab aliis separatus.

Circa canonem undecimum ad verbum illud *sacramentaliter* iudicat addendum esse aliud verbum, scilicet *et realiter*. Nam qui negant realem existentiam, dicunt se sumere etiam sacramentaliter.

In ultimo canone, ut salvetur efficacia contritionis et statuatur confessio, iudicat apponenda esse illa verba, scilicet: *quantumcunque se putaverint esse contritos*. Addenda sunt etiam illa verba: *habita copia confessoris*.

Caetera placent, prout proposita sunt ab Illmo et R^{mo} D. legato.

[a] *cod.* conon [b] *cod. sic* [c] *cod.* existentes [d] *in marg. add. loco del.* facerint
[e] *Massarellus in marg. super. add.:* super canonibus de sacramento eucharistiae die Oct. 7. 1551

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 185, 37–41. Canonum de eucharistia formam examinandam vide ibid. 178s. De auctore cf. ibid. 167, adn. 9.

[2] Videl. episc. Castellimaris, Syracusanus, Monopolitanus, Legionensis, Virdunensis ibid. 183, 3 et 31; 185, 3s. 8. 27. Cf. supra p. 213, 1s. cum adn. 2; 224, 4–10.

[3] Vide ibid. 185, 26s.

[4] Matth. 26, 26 et par.

Digitized by Google

34.

Friderici Nauseae, episcopi Viennensis super praefatis et denuo revisis et recognitis canonibus [de eucharistiae sacramento] censura[1]

[Tridenti, die 9. Octobris 1551]

Schaffhusiae, Biblioth. civitatis, cod. *gener. 40*, 249r–250r *(censura a Nausea manu propria in marg. ad singulos canones adnotata)* et 154r–155v *(copia coaeva)* — Monachii, Biblioth. rei publ., cod. *lat. 11053*, 52r–53r *(copia coaeva)* — Arch. Vat., *Conc. 106*, 210–211 *(copia saec. XVIII)*

Schaffhusiae gen. 40

Rmi Patres etc. Cum iam tandem videam Rmos et ornatissimos patres et Dominos deputatos magna ex parte mecum in ipsis super divinissimo eucharistiae sacramento denuo revisis et recognitis [canonibus[a]] convenire, non est, quod in praesentia dicam aliud, quam quod maiori et saniori huius | sacrosanctae synodi parti et sententiae perquam lubenter et coacta perinde voluntate subscripturus sim, futurus deinde plane contentus, ubi prius paucula eadem[que] minutula quasi scholia quaedam adnotavero. 154r 154v

Circa primum canonem: Loco voculae *anima* ⌜velim substitui *humanitate*⌝[b] ita, ut abstractum cum abstracto magis quadraret[c].

Circa secundum canonem: Magnopere cuperem[d] removendam totam hanc clausulam: *quam catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem adpellat.* Ego ipse[e] enim ipsam catholicam ecclesiam puto[f] conversionem substantiae in substantiam magis coacte quam apte *transsubstantiationem* contra sectarios adpellasse[g]. Atque ego *transsubstantiationem* existimo[f] vocem barbaram et non latinam esse et ansam cavillationis dare sacramentariis.

Circa tertium canonem: Post voculam *separatione* adderem ego *etiam.*

Circa quartum canonem: Hic puto legendum: *non autem ante nec post usum.* |

Circa quintum canonem: Hunc canonem obmittendum esse putarem, ne videremur fateri eucharistiam institutam vel exhiberi communicaturis *in remissionem peccatorum*, id quod nulla dicit scriptura, quamvis aliquo modo (sicut superius in sententia[h] articulorum a me data dixi[2]) ad remissionem peccatorum cooperari possit. 155r

Circa sextum canonem: Hic ante dictionem[i] *externo* praeponi velim *eo quidem*, ut legeretur: *et eo quidem*, id quod declararet[k] paulo tersius cultum latriae.

Circa septimum canonem: Post participium *adstantibus* censerem poni debere: *et fortassis non praeparatis nec sumere cupientibus.*

Circa octavum canonem: Censeo deponendum *de* propter barbariem vitandam; latinius enim legitur *iure divino* sine propositione *de*. Coniunctionem[l] *etiam* delendam esse arbitror propter implicationem.

Circa nonum canonem: Et ex hoc canone dictionem *etiam* eiiciendam esse quasi superfluam puto sive[m] certe pro *etiam* substituendam esse voculam *autem*, et semoveretur quoque coniunctio *et*, ut legeretur: *non autem* submoto *et*.

Circa decimum canonem: Decimus canon nulla censetur opus habere notatione.

Circa duodecimum canonem: Hunc ego canonem de confessione sumptioni eucharistiae praemittenda constanter adhuc suadeo bene ponderandum, ne is contrarius esse possit canoni 155v

[a] *om. Scb. Clm* [b] *Scb. 249r loco del.:* vellem pro *anima* poni *humanitate*, quo cum
[c] *Scb. 249r Nausea perg.:* pro ipsum *dumtaxat* recepto termino *tantummodo*, obmisso vocabulo *substantialiter* barbaro uti etiam superfluo et contentioso, *quae omnia sunt del.* [d] *Clm* velim
[e] *Scb. 249r loco del.* equidem [f] *om. Scb. 249r* [g] *Scb. 249r* adpellationem vocasse
[h] *Scb. 249r Nausea perg.:* super articulis, ex quibus canones extractae *[sic]* sunt, a me data diximus
[i] *Scb. 249v loco del.* clausulam [k] *Clm* declarat
[l] *Scb. 249v Nausea perg.:* Coniunctionem *etiam* ex contextu huius canonis demptum (*loco del.* expunctum) iri velim, *loco del.:* uti superfluum expungi debere *etiam*
[m] *Scb. 249v perg.:* addendam potius vocem *(del.)*

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 188, 18s. Canones reformatos examinandos vide ibid. 187, canones in sessione XIII publicatos ibid. 203s.

[2] Videl. in congregatione gener. die 21. Sept. habita; vide supra p. 151, 10ss.; 157, 27ss.; 217, 28ss.

Digitized by Google

quinto paulo supra subinsinuanti hoc sacratissimum eucharistiae sacramentum operari *remissionem peccatorum*. Possit dein dari ansa abolendae[a] confessionis sacramentalis. Atque ideo cuperem et nunc articulum quintum[3] obmittendum esse.

34a.

Sentententia et iudicium magistrorum theologiae per Caes. M^{tem} missorum ex ditionibus Inferioris Germaniae ad sacrum generale oecumenicum concilium Tridentinum super tribus articulis [eucharistiae] sibi per R^{mum} et Ill^{mum} D. legatum propositis, quod R^{mae} Suae D^{tioni} et patribus huius sanctae synodi unanimiter submittunt[1]

[Exhibitum legato concilii die 9. Octobris 1551]

Vindobonae, Tabularium publ. *(Haus-, Hof- u. Staatsarchiv)*, *Religionsakten, fasc. 14, C n. 152*, 15^r–22^r *(copia coaeva)*

Vindobonae 15^r

Primus articulus

An expediat hoc tempore concedere aut permittere Germanicae nationi communionem sacrae eucharistiae sub utraque specie?

Haec questio supponit id, quod re vera ab omnibus supponendum est, nimirum communionem sub utraque specie non esse iure divino quibusvis Christianis praeceptam. Alioquin, 15^v si iure divino praecepta esset, | numquam recepisset consuetudo publica catholicae ecclesiae communionem sub altera tantum specie, quia in his, quae diserti iuris divini sunt, non est penes ecclesiam ulla potestas quicquam immutandi[2]. Nec iam opus est solvere argumenta e

[a] *ibid.* aboliendae

[3] Potius art. 4, quem *propter futuram cavillationem rectius obmitti posse* Nausea iam die 21. Sept. dixerat; vide supra p. 155, 36s.

[1] Theologi Inferioris Germaniae Ruardus Tapper, decanus, aliique doctores universitatis Lovaniensis die 24. Sept. 1551 Tridentum applicuerunt (Conc. Trid. VII, I 157, 23ss.), postquam examinatio articulorum de sacramento eucharistiae per theologos minores iam antea ibi congregatos (die 16. Sept.) absoluta est. De origine huius sententiae *Carolus de Langhe* haec memoriae tradidit: „Cum autem inter patres controversa quaedam constituerentur ac inter alia de ratione exhibendae eucharistiae, paucis sustinentibus [eam] sub utraque specie iure divino dandam, pluribus id negantibus, haberetque iam pridem tota synodus spem et existimationem magnam de iis theologis, qui ab Inferiore Germania per Caes. M^{tem} missi erant, illique non multo ante, serius tamen appulerant, quam ut ordine sententiam suam cum caeteris dicere potuerint, legatus concilii per oratorem eiusdem Caes. M^{tis} D. Wilelmum a Pictavia [cum quo quattuor illorum theologorum, videl. Tapper, Hasselt, Sonnius, Ravestein Tiletanus, cohabitabant, Conc. Trid. XI 754, 3] requisivit, ut supradicti Inferioris Germaniae doctores theologi in scriptis iudicium suum ederent super iam dicta controversa questione aliisque duabus, ac id ipsum legato exhiberi curarent. Quod quidem ab eis sedulo factum est exhibitumque VII Idus Octobris sub eam formam, quae sequitur: *Sententia et iudicium*... [ut supra]", Vindobonae, Tab. publ., *Relig.-Akten fasc. 14, C n. 152*, 15^r. Tres articuli seu quaestiones, ad quas theologi Inferioris Germaniae respondent, iidem esse videntur atque illi tres articuli *en que basta entonces havia variedad de votos*, de quibus in litteris Caroli V die 8. Oct. ad oratores suos datis mentio fit, Conc. Trid. XI 658, 5.

Ludovicus Braeckmans, cui roganti, ut sibi concederem Acta concilii a me collecta inspicere, paucis ante annis licentiam petitam permiseram, postea me nesciente neque consentiente, hoc minime opinante plurimas particulas ex exemplaribus manu mea propria ex ipsis codicibus descriptis excerptas in lucem edidit in libro inscripto „Confession et communion au moyen âge et au concile de Trente" (Gembloux 1971) 208–229 (=Appendice I, n. 1–10; II, n. 1–13; III, n. 1–7; IV; V). Quam iniuriam excusare conatus est ibid. p. 207 praetexens maiorem horum textuum partem a Stephano Ehses descriptam esse, qui re vera nonnullis tantum codicibus Vaticani archivi usus erat eosque parum claris litteris exscripserat, quas neminem fere legere potuisse constat; cf. *S. Merkle*, Zum 50jähr. Jubiläum des histor. Instituts der Görres-Ges. in Rom, in: *S. Merkle*, Ausgewählte Reden u. Aufsätze, Würzburg 1965, 332. Ceteros codices, in primis eos, qui nunc Romae in Bibl. Angelica, Schaffhusiae et Vindobonae exstant, St. Ehses neque cognovit neque ex imaginibus lucis ope expressis descripsit. Omnia ergo, quae *L. Braeckmans* l. c. edidit, ex exemplaribus non a St. Ehses relictis, sed a me ipso scriptis sibi assumpsit. Raptim describenti non pauca menda irrepserunt. Praesertim dolendum est, quod in media hac sententia theologorum Lovaniensium festinantius exscribenda complures versus omisit, ut intuenti apparebit. Cf. *Braeckmans* l. c. 227, lin. 2 et 15; 228, lin. 2 cum hac editione infra p. 232, 48s.; 233, 10s. 36–234, 3.

[2] Eodem fere argumento iam die 8. Sept. Alf. Salmeron usus est, Conc. Trid. VII, I 119, 3ss.

Digitized by Google

scripturis quibusdam sumpta, quibus praecipi videri posset communio sub utraque specie. Hoc tantum in genere dicimus omnium harum scripturarum certissimum et irrefutabilem interpretem esse consuetudinem catholicae ecclesiae, quae recepit communionem sub altera tantum specie. Neque in his solum scripturis recte intelligendis debemus consulere hoc consuetudinis catholicae magisterium et interpretationem, sed etiam in multis aliis scripturis recte intelligendis, quae ad alia dogmata pertinent, de quibus nunc non est dicendi locus. Adde, quod consuetudini dictae accesserunt definitiones conciliorum Basiliensis[3] et Constantiensis[4], ut apud orthodoxos homines nullum dubium de hac re possit ullo modo remanere. Ergo supposito, quod non sit iuris divini, sed per ius divinum liberum sit ecclesiae de communineo vel sub utraque vel sub altera tantum specie statuere, prout postulat dispensationis fides, respondemus ad questionem nobis nullo modo videri expedire, ut hoc tempore concedatur vel permittatur Germanis dicta communio, quia certo constat Germanos, qui hoc tempore concedi vel permitti hoc sibi requirunt, id requirere ex affectu et errore haeretico, cum post tam expressam et iteratam conciliorum definitionem iudicant adhuc communionem talem sacrae eucharistiae sub ambabus speciebus esse iure divino praeceptam aut non totum Christum sub qualibet specie contineri. Quare sic ex magistrorum suorum mendacium persuasione affectis concedere aut permittere talem communionem nihil aliud est quam errori dicto | (qui eorum 16r
animis imprimis evellendus erat) fomentum praebere.

Quod si vero eo res apud Germanos per gratiam Dei rediisset, ut depositis omnibus suis erroribus, nominatim autem errore, de quo iam dictum est, confiterentur communionem sub utraque specie non esse iuris divini et sese persuaderi sinerent non maiorem ex ea fructum existere quam communione sub altera specie, et sub qualibet specie Christum contineri totum[5], si eo, inquam, res rediisset, iam nostro iudicio desinerent talem communionem requirere. Si enim eam tunc quoque requirere pergerent, id proficisceretur non tam ex errore haeretico, sed ex infirmitate collecta ex hac paucorum annorum consuetudine, quibus utraque specie vulgo usi sunt. Verum haec consuetudo necdum apud eos ita est inolita, quin relinquere eam aequissimis animis facile possent, si religiose aspicerent diversam consuetudinem maiorum suorum, imo totius populi christiani fuisse et esse longe magis inolitam et tot annis, approbantibus etiam, ut dictum est, duobus conciliis, in ecclesia retentam, ut studiosissimis etiam hominibus vix eius appareat initium, econtraque suam annorum paucorum consuetudinem vere novitiam esse in ecclesia Christi et nonnisi ab haereticis authoribus, et quorum errores alios ipsimet iam damnarunt, inductam, reclamantibus interim omnibus reliquis christiani orbis nationibus.

Denique hoc etiam est providendum, ne, si quid Germanis hic concedatur vel permittatur, id alii apud alias nationes haeresibus hodiernis affectas pro se facere iactent et populo imperito persuadeant, ut quod facere hactenus in communicando solitus est, id facere suo iure pergat, quandoquidem id Germanis facere a | concilio Tridentino permissum iam sit aut concessum[6]. 16v
Qua quidem in re utile fuerit legere b. Gregorii papae consultum, quod scriptum extat lib. 1 epist. 41 epistola ad Leandrum apud Hispanos episcopum[7], ut ad verbum recitatur in concilio IV Toletano[8]. Censet enim Gregorius morem antiquissimum ecclesiae, quo in baptismo ter in aquas baptizandus mergitur (qui apud plerosque, qui tunc in Hispania catholici erant et non Arriani, etiam tum observabatur), quamquam alii nonnulli catholici unica mersione uterentur, quae celebrandi baptismatis diversitas causa fuit consulendi Gregorium, propterea retinendum non esse, ne eius regni Arriani morem hunc pro se facere contenderent: *ne, dum mersiones*, inquit, *numerant*, *divinitatem dividant*. Abutebantur enim Arriani trina hac immersione ad commendationem haeresis suae, ut, sicut tres numero immersiones essent, ita significaretur in divinitate tres numero esse substantias. Quod si Gregorius morem antiquissimum ac pene apostolicum (siquidem meminerunt eius prisci illi theologi) et apud catholicos tunc in Hispania adhuc obtentum tamen intermittendum censet *ad vitandum haeretici dogmatis usum*[8] (sic enim concilium Toletanum loquitur), quanto magis novicius hic et nuper apud Germanos natus communicandi mos semel abiciendus est et repudiandus ad vitandum non unius tantum haeretici dogmatis, sed tot aliorum dogmatum usum, fomentum et commendationem.

[3] Sess. XXX, decr. *Ut lucidius;* vide supra p. 97, 7 cum adn. 8.

[4] Sess. XIII, decr. *Cum in nonnullis;* vide supra p. 162, 7ss. cum adn. 83.

[5] Eadem condicione Germanos astringendos esse episcopus Castellimaris die 22. Sept. dixerat, Conc. Trid. VII, I 151, 12. Cf. *H. Jedin*, Geschichte d. Konzils von Trient III (Freiburg 1970) 276. 501.

[6] Ad eandem rem iam die 23. Sept. episcopus Lancianensis animos patrum adverterat, ibid. 152, 25.

[7] *Gregorius I*, Reg. epist. I 41 (MG Epist. I 57, 17ss.). *Jaffé*, Reg. 1111.

[8] Conc. Toletanum IV (a. 633), can. 6 (*Bruns* I 224. *J. Vives*, Conc. Visigót. l. c. 192).

Digitized by Google

Secundus articulus

An ex ambabus speciebus sacrae eucharistiae maior fructus existat in communicante quam ex altera tantum? — Articulus seu questio secunda.

Dubium nobis non est, quin respondendum sit non existere maiorem. Neque difficultas magna sita nobis hic esse videtur in re ipsa intuentibus in factum luculentissimum catholicae 17r ecclesiae, quae voluit laicos specie | altera contentos, numquam hoc factura, si iudicasset maiorem fructum ad ipsos rediturum ex ambabus speciebus. Ergo de re ipsa (sicut dicere coeperamus) dubium nobis non est. Verum in hoc sita difficultas maxima videtur, ut seposito interim facto ecclesiae claris verbis idem ostendatur ex natura, conditione et qualitate eorum, quae in sacra eucharistia communicantibus exhibentur. Hic autem inter caeteros explicando modos unus praecipue nobis probatur, scilicet ut vigilanter discernamus res, quae ad efficaciam adhibentur fructumque sacrae eucharistiae percipiendum ab eis rebus, quae exhibentur ad precandum. Et quidem species huius sacramenti inter efficaces res non numerantur, sed inter significativas symbolaque sunt et typi sacri. Similiter ritus sumendi hoc sacramentum nihil aliud quam typicus est, puta quod idem licet, Christus tamen primum sumitur sub specie panis, deinde vero denuo sub specie altera. Quoties igitur de fructu maiori quaeritur, nemo iam intueatur in hoc genus symbolorum, sed oculos potius connectat ad rem, ex qua sola existit huius sacramenti in communicantibus efficacia, nimirum ad Christum ipsum, qui in eo sumitur. Hic vero quoniam sub qualibet specie aequaliter sumitur, nihilo magis efficax est sumptus sub ambabus quam sub altera specie.

Dicat aliquis: Ergo Christus a sacerdote sumptus sub specie sanguinis otiosus est et inefficax. — Respondemus: Quantum in ipso Christo sumpto est, similiter in sacramento sanguinis quoque efficax est. Sed quia sub specie panis iam ante sumptus praestitit totum, integrum et perfectum fructum et refectionem, ad quam hoc sacramentum institutum est, ideo mirum videri non debet, si denuo sumptus maiorem vel novum non efficiat. Perfecta enim et integra spiritus refectio est, quam praestat Christus sub specie panis tantum sumptus. Is nobis ibi 17v semel cibus est et potus, ut hic quoque usurpare Christi | illa verba liceat: *Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam*, etiamsi non ignoramus verba ista Ioannis 6 [35] posita necdum pertinere ad sanctae eucharistiae tractatum movente nos ita d. Chrysostomo[9]. Verumtamen clare verbis his movemur interim eundem Christum semel nobis et cibum esse posse et potum, hoc est et esuriem spiritus in nobis sistere et sedare sitim, adeoque unicam et eandem rem hic esse esuriem et sitim nominibus tantum diversis, id quod etiam Augustinus locum hunc tractans docendum putavit: „Quod dixit", inquit, „*non esuriet*, hoc est intelligendum: *non sitiet unquam*. Utroque enim illa significatur aeterna satietas, ubi nulla est egestas"[10]. Quin etiam Christum simul nobis et cibum esse et potum, esuriem pariter et sitim extinguere et omnino plenam spiritus refectionem esse liquido nobis testatur ipse eodem apud Ioannem capite, ubi iam tremendum illum sanctae eucharistiae tractatum ingressus est. Posteaquam enim dixisset: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*[11] aliaque ad hunc eucharistiae tractatum pertinentia, addidit: *Sicut misit me vivens pater et ego vivo propter patrem, et qui manducat me, vivet propter me*[12], hoc est me authore et effectore, ut interpretatur d. Chrysostomus[13]. Rursum infra: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum*[14]. Vivus igitur Christus manducatus tam cibi officium implet quam potus. Ac ne quis imaginetur Christum, ut est in sacramento, esse quidem et cibum et potum, sed ita, ut sub specie panis cibi officium, sub specie vini potus officium expleat, (nam ad eam imaginationem imperitum lectorem ducere etiam ea verba possent: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*[15]), ne quis ergo hoc imagi-18r netur, vide, quam memorabiliter post absolutum pene eucharistiae tractatum continuo | atque in finali clausula eiusdem tractatus subiecerit: *Sicut misit me pater vivens et ego vivo propter patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum*[16]. His verbis non obscure docemur effectum huius sacramenti, quem paulo antea varie Christus expresserat: *habere*, inquit, *vitam in vobis, in me manere*[17], *vitam aeternam habere*. Vides, inquam, hunc effectum attribui Christo, cum sub panis tantum specie manducatur. Ex eisdem verbis hoc etiam vides, quod [ei], qui efficaciam fructus in hoc sacramento quaerit, necesse esse, ut in Christum demum

[9] In Io. 6, 33ss. hom. 45, c. 1s. (*Migne*, PG LIX 252s.).
[10] In Ioannis evang. tract. 25, c. 14 (CChr. XXXVI 255, 4–6).
[11] Io. 6, 56.
[12] Io. 6, 58.
[13] In Io. 6, 58 hom. 47, c. 1–2 (*Migne* l. c. 263s.).
[14] Io. 6, 59.
[15] Io. 6, 54s.
[16] Io. 6, 58s.
[17] Io. 6, 57.

Digitized by Google

manducatum intueatur. Postremo vides *manducandi* verbum hic solitarium esse et non coniunctum cum verbo *bibendi*, quapropter laicos, cum manducant tantum sic, ut sub specie non bibant, accipere nihilominus totum fructum, quibuscunque tandem verbis ille in hoc Ioannis capite exprimitur, quique in hoc sacramento quoque modo expectari potest.

Quaerat aliquis: Cur igitur sic distincte dicit Christus *manducare*, *bibere*, *cibus*, *potus*, *caro*, *sanguis?* — Duas apud scriptores causas invenimus. Prior est: Quia Christus voluit hoc modo proponere non distinctas in hoc sacramento efficacias aut fructus, sed distinctas et expressiores significantias, itaque voluit hic plura symbola esse pluresque et distinctos typos, qui quasi picturae quaedam ob oculos quotidie versarentur, qui tremendis his mysteriis quotidie interessent. Exempli causa magna res est refectio haec spiritualis, integra et perfecta. Eam igitur quasi pingunt panis et vini coniuncta symbola. Magna res est passionis Christi inaudita acerbitas. Eam pingunt corporis et sanguinis nobis praebiti coniuncta symbola. Atque ita de aliis typis etc. — Posterior causa auctore | Chrysostomo[18] est: Quia voluit Christus hoc modo expres- 18v
sius demonstrare nobis amoris sui erga nos incomparabilem vehementiam, dum non contentus impendere se nobis sub specie corporis voluit insuper idem facere sub specie sanguinis. Hanc explicandi rationem, quam hactenus proposuimus, illustrat illud etiam, si cogitemus Christum sub specie panis iam nunc sumptum non statim recedere a nobis, sed tantisper manere, dum manet species panis. Quamdiu autem illa manet, tandiu operari pergit et efficax est. Quare, cum postea Christus idem sumitur sub specie sanguinis, iam (quia manet adhuc species panis) aut nihil operatur ille, operaturus tamen, quantum in ipso est, ut supra diximus, aut certe, si quid operatur, non alium effectum operatur, sed eundem non aliter, quam si sumpta una hostia sumat aliquis ex certa causa alteram aut hostiae relictam in altari particulam aut tertiam illam hostiae partem, quae iuxta ritum ecclesiasticum in calice cum sanguine miscetur. Eodem prorsus modo corporis sacramentum non alium effectum operatur, sive corporis sumptionem sequitur sumptio sanguinis sive non. Nec quicquam spiritualis fructus adfert sacramentum sanguinis, quod non operetur sacramentum corporis.

Hic si argumenteris: Per sumptum corporis sacramentum augetur in communicante gratia et per hoc requiritur in eo maior dispositio et praeparatio; ergo in tali communicante magis sic disposito maiorem fructum gratiae spiritualis efficit adveniens postea sacramentum sanguinis. Nam sacramenta operantur secundum dispositionem et devotionem eius, qui eis communicat. — Ad hoc argumentum iam dictum est eundem hunc maiorem effectum aeque consecuturum fuisse ex solo corporis sacramento adhuc sub specie panis in eo, qui nunc antea sic sumpserat, existente, etiamsi non subsecuta fuisset sumptio sacramenti sanguinis.

Rursum si argumenteris: Ad symbolum sanguinis Domini Nostri | Iesu Christi excitatur 19r
memoria illius eiusdem sanguinis, quem in cruce et reliqua passione sua amantissime et benignissime pro nobis effudit Christus. Nam ob hanc causam Cyprianus scribit[19], quod olim qui ad martyrium rapiebantur, iis sanguis Christi sumendus praebebatur, quo pro Christo suum ipsi sanguinem fundere non dubitarent, qui modo sanguinem illum sub sacramento hausissent, quem fide certa Christum pro ipsis fudisse scirent. Ad sanguinis igitur symbolum cum excitetur talis memoria et ad memoriam talem cum merito inardescat bene institutus Christianorum animus, videtur hic ipse ardor magnus fructus esse sacramenti sanguinis. — Respondemus fructum hunc non esse ex opere operato sacramenti, sed ex consyderatione actuali et contemplatione devota communicantis. Quare ex simili contemplatione similis fructus existere potest vel sine sumpto sacramento sanguinis.

Articulus tertius

Utrum qui de peccato mortali, quod post baptismum susceptum admisit, est contritus, possit fretus sua contritione sine confessione ad sacram communionem accedere? — Questio tertia.

Haec questio solide et certo definiri posse non videtur, nisi in primis hoc discussum sit et clare constitutum, utrum de confessione necessario facienda ante sacram communionem praeceptum aliquod iuris divini aut saltem traditio aliqua apud ecclesiam constanter et ubique custodita extet an non. Sententia de praecepto iuris humani et positivi nunc non quaeritur, cum certum sit tale nusquam de confessione necessario post admissum mortale peccatum

[18] In Io. 6, 52s. hom. 46, c. 3 (*Migne* l. c. 260s.).

[19] Ad Cornelium epist. 57, c. 2: „Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?" (CSEL III 652, 5–7). Ad plebem Thibari consist. epist. 58, c. 1: „considerantes idcirco se cotidie calicem sanguinis Domini bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere; hoc est enim velle cum Christo inveniri" (l. c. 657, 2–5).

Digitized by Google

facienda extare. Nisi ergo certum aliquod demonstretur iuris divini praeceptum, dispositio, ordinatio aut manifesta aliqua observatio tanquam per manus ecclesiae tradita, aut contra
19v demonstretur nulla talis extare traditio, | observatio aut praeceptum, incerta erit et ambigua omnis de proposita questione definitio.

Primum igitur, quod ex apostoli Pauli priore epistola ad Corinth. c. 11 [28] proferri hic fere consuevit tanquam continens divinum de facienda ante sacrae eucharistiae perceptionem confessione praeceptum: *Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat*, per se quidem non ita perspicuam et certam secum adfert interpretationem, ut divinum et apostolicum praeceptum de facienda ante sacram communionem confessione necessario et evidenter insinuet. Potest enim dubitari, an probatio sui ipsius, quam a percepturo sacrum cibum et sacrum calicem requirit apostolus et praecipit, confessionem necessario includat et exigat, cum videatur et illa esse vera et syncera sui probatio et diiudicatio, qua per se veritatem assumptae ultro poenitentiae de admisso peccato peccator usque adeo conteritur, ut Deo vere reconcilietur et ad statum gratiae reponatur, antequam confiteatur. Unde Paulinam illam sententiam sic accipit Caietanus, ut eiusmodi probationem et diiudicationem fuisse intellectam a Paulo arbitretur tanquam sufficientem ad sacrorum mysteriorum dignam perceptionem[20]. Imo ex eo loco quidam persuadere conantur contritionem adducentes etiam Theophilacti interpretationem[21].

Sed diligenter expositus hic locus neutram partem sufficienter probat. Disquirendum igitur adhuc relinquitur, utrumne rectius aliquod et magis perspicuum praeceptum sive in divinis litteris expressum sive per ecclesiasticam traditionem aut observationem insinuatum reperiatur.

Certe sanctissimus ille et eruditissimus Leo pontifex, quem tum ob vitae sanctimoniam
20r tum ob eximiam eruditionem venerata est Chalcedonensis synodus, | ut illum ter sanctum acclamarit[22], in epistola, quam scripsit ad Theodorum episcopum Foroiuliensem, id quod quaeritur indicare videtur. Exponens enim huic episcopo, *quid de statu poenitentium ecclesiastica habet regula:* „Multiplex", inquit[23], „misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut, qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinae bonitatis ordinatis praesidiis, ut indulgentia nisi supplicatione sacerdotum nequeat obtineri. *Mediator* enim *Dei et hominum Christus Iesus*[24] hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent et salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui utique operi salvator ipse incessabiliter intervenit nec unquam ab eis abest, quae ministris suis exequenda commisit, dicens[25]: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*". Quibus verbis insinuat eruditissimus ille pontifex *divinam bonitatem praesidia* quaedam misericorditer instituisse, quibus subveniret lapsis post baptismi regenerationem, nempe voluntarie poenitentiae medicinam et reconciliationis sacramentum ad remissionem peccatorum obtinendam, verum haec quidem praesidia ita ab eo disposita et ordinata, ut nisi per sacerdotis supplicationem Dei indulgentia ad poenitentiae ultroneae medicinam non possit obtineri; deinde et hoc ita disposuisse et ordinasse divinam bonitatem, ut relapsi post baptismum non prorsus arcerentur a sacramentorum communione, sed de peccatis poenitentes et salubri satisfactione purgati et reconciliati ita demum ad communionem sacramentorum *per ianuam reconciliationis admitterentur*. Sicut igitur nondum regeneratus per baptismum ex divina ordinatione
20v et institutione non potest ad sacramentorum | ecclesiasticorum communionem accedere nisi per ianuam regenerationis — *quoniam* enim *unum corpus multi sumus* (inquit apostolus[26]), *omnes de uno pane participamus*, item: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*[27] —, ita tradit Leo ordinatum et dispositum esse divinitus, ut, qui post regenerationem lapsi essent, restitui quidem adhuc possent *ad remissionem* peccati et *sacramentorum communionem*, sed *per ianuam reconciliationis*. Vides Leonem incunctanter affirmare prolapsum in peccatum mortale post baptismum posse quidem *admitti ad communionem sacramentorum*, sed *per ianuam reconciliationis*, idque

[20] *Thomas de Vio*, card. *Caietanus*, Comment. in 1 Cor. 11, 28: „Probare enim seipsum est discutiendo purgare seipsum vel potius discutiendo seipsum probum decernere ... et sic significat, quod ad non indigne sumendum sufficit, quod homo seipsum probaverit. Et hinc trahitur argumentum, quod non est necessarium simpliciter et absolute hominem probatum esse a confessore ad hoc, ut sumat non indigne eucharistiam" (Epistolae Pauli ... enarratae, Venetiis 1531, 60r).

[21] Expositio in 1 Cor. 11, 28 (*Migne*, PG CXXIV 707/08 B).

[22] Concilii Chalcedonensis epistola ad Leonem I: τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ τῆς Ῥωμαίων ἀρχιεπισκόπῳ Λέοντι (Acta conc. oecum. t. II, vol. I, p. 3, 116, 17; vol. III, p. 2, 96: versio Rustici: *sanctissimo ac beatissimo Leoni*).

[23] *Leo I* ad Theodorum Foroiul. episc. epist. 108 (a. 452), c. 2 (*Migne*, PL LIV 1011 Bs.) = c. 49 *Multiplex* de poenit. dist. 1. *Jaffé*, Reg. 485.

[24] 1 Tim. 2, 5.

[25] Matth. 28, 20.

[26] 1 Cor. 10, 17.

[27] 1 Cor. 12, 13.

Digitized by Google

non ex humana aliqua ordinatione, sed divina. Hanc autem divinam ordinationem consequitur ius divinum hunc ordinem servandi, ne, dum eum violamus, divinae resistamus ordinationi.

Eandem sententiam tradit Augustinus lib. 1 De dogmatibus ecclesiasticis c. 53 scribens in hunc modum: „Omnibus diebus dominicis communicandum suadeo et hortor, si mens tamen sine affectu peccandi est. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico eucharistiae perceptionem quam pacificari. Et ideo quamvis peccato quis mordeatur, peccandi de cetero non habeat voluntatem et communicaturus satisfaciat lachrymis et orationibus et confidens de Domini miseratione, qui peccata piae confessioni donare consuevit, accedat ad eucharistiam intrepide et securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia et mortalia non gravant; nam quem mortalia delicta post baptismum commissa premunt, hortor prius publica poenitentia satisfacere et ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium et condemnationem sui eucharistiam percipere“[28]. Vides Augustinum requirere, ut is, qui de mortali crimine post | baptismum admisso poenitentiam egit, ita demum eucharistiam percipiat, 21r si *sacerdotis iudicio reconciliatus* sit et *communioni sociatus*. Verum quidem est, quod Augustinus de peccatis mortalibus, quae in scandalum aliorum admissa erant, hic agit adhortans, ut publica poenitentia poenitens satisfaciat et post eam peractam tandem iudicio sacerdotis reconciliatus et communioni ecclesiae sociatus eucharistiam percipiat. Sed certe, si post publicam satisfactionem ad eucharistiam percipiendam admittendum non putavit poenitentem nisi *iudicio sacerdotis reconciliatum*, satis insinuavit nec eum, qui de criminibus secreta satisfactione satisfecisset, prius ad percipiendam eucharistiam admittendum, quam *iudicio sacerdotis reconciliatus* saltem secreto esset.

Et his multo vetustior b. Cyprianus palam testatur illos quoque poenitentes, qui de mortalibus quidem, sed *minoribus poenitentiam agebant*, ita demum *ius communicationis accipere*, si *per manus impositionem episcopi et cleri* essent reconciliati, ut videre licet in epist. 14[29] et 16[30] lib. 3.

Eundem quoque ordinem tanquam divinitus institutum secutus d. Thomas cum aliis multis locis tum Quodlibeto primo art. 11[31], similiter Petrus de Palude dist. 17 Quarti Sententiarum[32] atque cum eis alii plerique doctores concorditer docent praemittendam necessario ante sacrae eucharistiae perceptionem confessionem, nisi iusta, legitima et rationabilis causa excuset et aliud suadeat, quamquam inter eos non ita conveniat, quaenam censenda sit hic rationabilis et iusta causa, an videlicet sola necessitas an etiam alia. Quin et cardinalis Caietanus, qui in commentariis, quos scripsit in tertiam partem D. Thomae, propositam quaestionem in dubium revocare videtur[33], in libello, quem inscripsit *Summulam peccatorum*, sententiam suam aperte explicans dicit, quod, si is, cui adest opportunitas | confessoris, sine praemissa confessione 21v eucharistiam percipiat absque rationabili causa, *graviter peccet*, idque propterea, quod *ad ecclesiasticae unionis sacramentum sine ecclesiastica reconciliatione accedat*[34].

Postremo antiquissimam fuisse apud ecclesiasticos consuetudinem et observationem, ut ad communionem mysteriorum non pro sua quisque conscientia accederet, sed facta prius apud presbyterum peccatorum confessione, palam testatur Socrates Historiae suae ecclesiasticae lib. 5 c. 19, in quo refert ad Eudaemonis cuiusdam presbyteri consilium Nectarium Constantinopolitanum episcopum abrogatis presbyteris poenitentiariis, qui ad id temporis in ecclesia deputati

[28] Potius *Gennadius Massil.*, De eccles. dogmatibus c. 23, al. 53 (*Migne*, PL XLII 1217).

[29] Ad presbyteros et diac. epist. 16, c. 2: „nam cum in minoribus peccatis agant peccatores paenitentiam iusto tempore ... et per manus inpositionem episcopi et cleri ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore ... ad communicationem admittantur“ (CSEL III 518, 17ss.).

[30] Ad fratres in plebe epist. 17, c. 2: „nam cum in minoribus delictis ... paenitentia agatur, ... nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab episcopo et clero manus fuerit inposita“ (l. c. 522, 7ss.).

[31] *Thomas Aqu.*, Quodlibetum I, qu. 6, art. 11: „Tempus implendi praeceptum de confessione videtur, quando imminet aliquis casus, in quo necesse est homini, quod sit confessus, puta si immineat ei mortis articulus vel necessitas accipiendi eucharistiam ... vel aliquid huiusmodi, ad quod oportet hominem per confessionem purgatum praeparari. Unde si aliquid horum immineat et aliquis confiteri praetermittat, peccat, dummodo debita oportunitas adsit“ (Opera IX, Parmae 1859, 466).

[32] In IV Sent. dist. 17, qu. 2, art. 5: „cum confessio sit preceptum affirmativum, non obligat ad statim confitendum nisi in quinque casibus. Primus propter sacramentum, scil. quando habet recipere vel ministrare aliquod sacramentum, quia tunc debet prius confiteri de mortali. Nec sufficit conteri, nisi quando necessitas urget et potens absolvere abest“ (Venetiis 1493, 81v). Cf. vero Conc. Trid. VII, I 126, adn. 7.

[33] *Thomas de Vio*, card. *Caietanus*, Comment. in Thomae Aqu. Summam th. III qu. 79, art. 3: „dubium occurrit de veritate differentiae positae inter suscipientem baptismum et suscipientem eucharistiam quoad hoc, quod est esse vel non esse in peccato mortali. Et est ratio dubii, quia utrobique suscipiens cum conscientia et affectu peccati mortalis indigne suscipit ... Suscipienti autem eucharistiam non sufficit non ponere obicem, sed oportet probare se ipsum“ (Opera Thomae Aqu. XII, Romae 1906, 222s.).

[34] *Idem*, Summula de peccatis, sub voce *communio* Lugduni 1539, 30v); vide supra p. 140, 26 cum adn. 106, et p. 141, 20s. cum adn. 115 et Conc. Trid. VII, I 126, adn. 4.

Digitized by Google

erant poenitentibus, ut post exomologesin peractam secundum eorum arbitrium poenitentiam et satisfactionem ad mysteriorum sacrorum perceptionem admitterentur, permisisse, ut *pro sua quisque conscientia ad communionem mysteriorum accederet*[35]. Quod Eudaemonis consilium et ad id factam a Nectario observatae consuetudinis immutationem probare se non potuisse palam quoque ipse Socrates scribit, cum canonem illum et observationem diligenter retinerent et pleraeque haereticorum ecclesiae[36]. Eandem historiam refert et Zozomenus Historia ecclesiastica lib. 7 c. 16[37]. Verum Nectarii episcopi novatio non diu in ecclesia obtinuit, sed antiquissima illa de facienda confessione sacerdoti et post eam communione sacramentorum percipienda consuetudo et observatio revocata est[38], quae etiam nunc in catholica ecclesia apud pios et religiosos fideles observari ubique conspicitur.

Sed contra hunc, quem tradit Leo divinitus institutum, ordinem obiciet fortassis quispiam confessionem ante eucharistiae communionem praemitti, ut dignificetur suscipiens sacramentis, quae suscipit. Alia autem est via et ratio, per quam dignus reddi potest suscipiens sacramentis suscipiendis, quam confessio, nempe contritio. Non igitur propter ordinationem aliquam divi-
22r nam necessario praemittendam [esse] confessionem, | sed solum propter dignificationem.

Rursus sacramentum poenitentiae non est *secunda tabula post naufragium*[39], sine qua non remittatur praevaricatio nec salus pateat naufraganti, nisi ratione poenitentiae interioris et contritionis, quam includit.

Ad primum respondemus, quod ratio ea petit principium. Sicut enim baptismus non praemittitur sacramentorum susceptioni, ut eis dignum faciat suscipientem, sed ut ordo divinitus institutus servetur, ita docet b. Leo et patres de sacramento poenitentiae et confessione.

Secunda ratio falsum assumit. Nam sacramentum poenitentiae, ut includit confessionem, est *secunda tabula post naufragium*, sine qua nulla est spes salutis sic, quod non sufficiat contritio, si adsit copia confessoris, nec a confessione necessitas excusat. Eadem itaque est necessitas confessionis post peccatum mortale admissum et baptismi, ut ad salutem perveniatur. Falsum est igitur, quod in secunda ratione assumitur.

Finis.

35.

Friderici Nauseae, episcopi Viennensis Sententia super decreto in praememoratos [de reformatione] canones concepto[1]

[Tridenti, die 10. Octobris 1551]

Schaffhusiae, Biblioth. civit., *cod. gener. 40*, 156r-v *(copia coaeva)*
Monachii, Biblioth. rei publ., *cod. lat. 11053*, 69v–70r *(copia coaeva)*
Arch. Vat., *Conc. 106*, 213 *(copia saec. XVIII)*

Schaffhusiae gen. 40 156r Decretum, quod perinde atque proloquium et instar cuiusdam doctrinae canonibus praefatis praeponendum[a] venit, quemadmodum nunc per Dominum concilii secretarium praelectum est[2], ita puto suis esse numeris utpote docte, pie, religiose diserteque compositum, ut nec mihi nec aliis facile in aliqua sui parte displicere possit ac[b] debeat, maxime quia[c] tam com-
156v posite et apte in singulos et universos canones docendo praeloquatur[d]. |

Denuo interrogatus dico: *Quod*, ut iuris regula[3] habet, *semel* mihi *placuit*, *amplius displicere nec potest* nec debet. Quum proinde decretum sive proemium una cum doctrinis et canonibus

[a] *Clm* proponendum [b] *Clm* et [c] *Clm* quod [d] *Clm* praeloquitur

[35] *Socrates*, Hist. eccl. V, c. 19 (*Migne*, PG LXVII 617/18 A). Cf. *G. Rauschen*, Eucharistie u. Bußsakrament in d. ersten sechs Jahrh., Freiburg 1908, 133. 182. Vide Sententiam Ioannis ab Hasselt *super facto Nectarii*, infra p. 262–272.

[36] Ibid. (l. c. 615/16 A).

[37] Hist. eccl. VII, c. 16, 1ss. (*Migne* l. c. 1457/58 D. GrChrSchr. 50, 322, 17ss.).

[38] Cf. *G. Rauschen* l. c. 147ss.

[39] Cf. infra p. 240, 28s. cum adn. 12s.

[1] Vide quae Massarellus in Actis congregationis die 10. Oct. 1551 habitae de hac sententia rettulit, Conc. Trid. VII, I 191, 7s. Decretum et canones super reformatione vide ibid. 204–206.

[2] Vide ibid. 190, 37: „Deinde ego legi canones et decretum super reformatione".

[3] Reg. 21 in VIto de regulis iuris V 12 (*Friedberg* II 1122).

Digitized by Google

mihi heri placuit[4], hoc et hodie mihi placet. Quod vero attinet ad articulos reformationis[a], aio, quia sto et stabo sententiae R[mi] et amplissimi D. card. Tridentini, ita ut in sexto articulo dignitatis habeatur episcopalis ratio[5].

36.

[Petrus de Augustinis, episcopus Oscensis]
[Censura super doctrina de eucharistia[1]]

[Tridenti, die 10. Octobris 1551]

Arch. Vat., *Conc. 14*, 74[r-v] *(autogr.)*

1. Capitulo secundo, cum dicitur: *beneficia omnia reliquit*[2], videtur his verbis insinuari effectus omnium sacramentorum in eucharistia contineri. Atqui effectus baptismi et poenitentiae principales in eucharistia non continentur sicut nec *aleviatio*[b] extremae unctionis[3]. Quare verba haec sunt magis declaranda. Conc. 14 74[r]

2. In eodem capite, cum dicitur: *de uno pane*[2], addendum est: *et de uno calice*, quoniam ita legit vulgata versio[4], quae ilivata[b] servari iussa est ab hac sancta synodo[5]. Fateor autem Grecos quosdam ita legere, ut hic citatum est.

3. Capitulo tertio, cum dicitur: *sed etiam ante*[2], addendum est: *et post*. Paulo etiam inferius, ubi dicitur: *ante usum*[2], addenda sunt eadem verba: *et post*, quo magis res ipsa explicetur.

4. In fine eiusdem capitis, ubi dicitur: *separatione facta*[6], verba haec tollenda sunt aut particula *etiam* addenda est aut dicendum est: *ante et post separationem existere*.

5. Capitulo quarto, cum dicitur: *nec ullus unquam in ecclesia*[2], constat id tenuisse Rupertum Tuitensem[b] [in] commentariis in Ioannem[7]. Ideo haec verba tam generalia moderanda sunt.

6. Eodem capite, cum dicitur: *et non solius eius formae*[2], verba haec aut delenda sunt aut dicendum potius: *tam formae quam materiae*, ut sic omnes omnium errores tollantur.

7. Capitulo septimo, cum dicitur: *illi vero, qui sacramentalem communionem*[2], quamvis illa ratio videatur probabilis, incertum tamen est, an ea sola illi moti fuerint. Imo, ut ex scriptis veterum colligi potest, magis id faciebant propter verba Io. 6 [54]: *Nisi manducaveritis* non satis intellecta. Quare ratio illa aut tollatur aut temperetur, ut non ea sola fuisse credatur.

8. Capitulo octavo, cum dicitur: *quibus ex officio*[8], verba illa *ex officio* et *frequentius* tollantur penitus. Nam verbum *frequentius* posset generare scrupulum in frequentius celebrante[c], qui sepe non indiget confessione. | Et verbum: *etiam ex officio* prestabit errandi occasionem illis, qui ex devotione et non ex officio celebrant, quasi illis non sit necessarium confiteri. Tollantur ergo haec verba et generaliter de omni sacerdote celebrante, qui admissi peccati mortalis sibi conscius est, doceatur esse intelligendum. 74[v]

Dixi.

[a] *Schaffb. Vat.* reformandos [b] *cod. sic* [c] *supra lin. add.*

[4] Vide sententiam die 9. Oct. datam, supra p. 227, 1ss.

[5] Vide Conc. Trid. VII, I 191, 2s.; 206, 25ss.

[1] Titulus, datum, subscriptio auctoris in codice desunt neque Massarellus eius nomen adnotavit. Ex iis tamen, quae Massarellus in Actis congregationis die 10. Oct. 1551 habitae de voto episcopi Oscensis rettulit (Conc. Trid. VII, I 192, 4–8) quaeque congruunt cum hac censura, apparet eam ab illo episcopo conscriptam esse. De auctore cf. ibid. 156, adn. 1 et supra p. 221, adn. 1. Forma doctrinae prior, qua auctor usus est, desideratur; cf. formam in sessione XIII (11. Oct.) publicatam (ibid. 200–203), quae vero ita variata est, ut loci ab auctore allegati ibi vix inveniri possint.

[2] Quae verba in forma doctrinae publicata non inveniuntur.

[3] Cf. Iac. 5, 15.

[4] Cf. 1 Cor. 11, 26–28.

[5] Sess. IV, decr. *Insuper* (Conc. Trid. V 91, 35ss.).

[6] Quae verba non in forma doctrinae publicata leguntur, sed in can. 3 reformato, Conc. Trid. VII, I 187, 11.

[7] *Rupertus Tuitiensis*, Comment. in evang. Ioannis VI, c. 6, 52 b: „sic idipsum Verbum iam dudum caro factum panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo et in unitatem personae suae transferendo panem“ (CChr. Contin. mediaev. IX 357, 2214–2217). Cf. *J. Betz*, Konsubstantiation, LThK VI[2] 505.

[8] Quae in forma doctrinae publicata leguntur in c. 7 (Conc. Trid. VII, I 202, 36).

Digitized by Google

37.

[Articuli quinque de communione sub utraque specie et parvulis danda a praesidentibus concilii theologis propositi[1]]

[Tridenti, die 10. et 11. Octobris 1551[a]]

Bruxellis, Arch. reg. *[Algemeen Rijksarchief]*, *Papiers d'état et de l'audience n. 490, concile de Trente I*, 53r *(copia coaeva)*

53r 1. An ex Dei praecepto ad salutem necessario omnes vel singuli Christi fideles utramque speciem suscipere teneantur sacratissimi eucharistiae sacramenti?

2. An rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuique sit permittendus?

3. An honestis et christianae charitatis consentaneis rationibus concedendus alicui nationi vel regno calicis usus videatur sub aliquibus conditionibus concedendus[2], et quaenam sint illae?

4. An minus aliquid sumat, qui sub una tantum specie hoc sacramento utitur, quam qui sub utraque?

5. An divino iure necessarium sit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, altissimum hoc sacramentum porrigere?

Dicant theologi, quae tanquam vera sive catholica recipienda, quae tanquam falsa sive haeretica reiicienda [sint]!

[a] *in marg. haec sunt annotata:* Annexe de la lettre du 11. Oct. 1551

[1] Cf. Conc. Trid. VII, I 181, 8ss. cum adn. 3; 193, 7ss. 16. 22; 207, 4ss. 9ss., ubi vero de quattuor tantum articulis, videlicet de art. 1. 2. 4. 5, mentio fit, non de art. 3. Quid theologi ad has quaestiones responderint, ex Actis concilii non apparet, nisi fortasse *P. Severini Dani* Assertio de eucharistia sub utraque specie non administranda laicis (supra n. 11 a) huc spectat; cf. supra p. 146s.

[2] Cf. supra p. 151, 29ss.; 153, 1ss.; 156, 8ss.; 163, 37ss.; 165, 22s.; 228, 4ss.

III.

VOTA DE SACRAMENTIS POENITENTIAE ET EXTREMAE UNCTIONIS

Digitized by Google

Digitized by Google

1.

Sentententia et iudicium

quod venerabiles Domini D. Ruardus **Tapper** ab Enchusia, decanus S. Petri Lovaniensis, D. Ioannes **Leonardi** ab Hasselt, D. Franciscus **Sonnius,** D. Iodocus a **Ravestein** Tiletanus, sacrae theologiae doctores, concorditer ediderunt et exhibuerunt praesidentibus sanctae synodi

super articulis [de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis][1]

Tridenti, die 21. Octobris 1551

Vindobonae, Tabularium publ. *(Haus-, Hof- u. Staatsarchiv), Religionsakten fasc. 14, C n. 152, 45ʳ–61ᵛ (copia coaeva Caroli de Langhe)*

R[mi] et Ill[me] Domini, D. legate ac praesidentes[a]. Vindobonae 45ʳ

Propositi sunt nobis per R[mas] D[tiones] VV. duodecim articuli de sacramento poenitentiae et quatuor de extrema unctione[2] discutiendi non quidem, an sint erronei, scandalosi[b], temerarii aut piarum aurium offensivi, sed an sint haeretici, et ita haeretici, ut veniant per sacrosanctum oecumenicum hoc concilium in spiritu sancto congregatum quasi haeretici condemnandi.

Grandis est provincia super singulis articulis[c] de utroque istorum disserere et facere censuram. Ubi enim disceptatur, quid est haeresis, difficilis est disputatio, ut ait b. Augustinus in epistola ad Quodvultdeum[d], quae praeponitur libro eius De haeresibus, quod hoc argumento ostendit: „Nam Philastrius, episcopus Brixiensis, scripsit", inquit, „de haeresibus librum nec illas quidem haereses praetermittens, quae in populo Iudaeo fuerunt ante adventum Domini, easque | viginti et octo commemoravit et post Domini adventum centum viginti et octo. 45ᵛ Scripsit etiam graece[e] de haeresibus episcopus Cypri Epiphanius in doctrina fidei laudabiliter diffamatus. Sed ipse utriusque temporis haereses colligens, octoginta[f] complexus est"[3]. Magna haec numeri differentia certum est documentum, quod *aliud uni eorum videtur haeresis, aliud alteri. Neque putandum est*, quod *aliquas ignoraverit Epiphanius, quas noverat Philastrius, cum Epiphanium longe Philastrio doctiorem* invenerimus[4]. Minus itaque docti saepe clamant propositiones esse haereticas, quae diligenter excussae tales non invenirentur, prout teste Augustino hoc contigit ex imperitia Philastrio 28 et 38 plures enumeranti, quam complexus est Epiphanius longe illo doctior, ut testatur s. Augustinus.

Nec tamen quaelibet sententia haeretica protinus tanquam damnanda est; nam cum propositio haeretica sit, quae fidei orthodoxae adversatur, poterit solum probabili argumento ex scripturis vel his, quae fidei sunt, desumpto hoc constare. Nec tamen credimus, quod solae illae[g] sententiae sunt damnandae ut haereticae, quae evidenter sunt haereticae. Sed hic opus

[a] *Le Pl.* praesides [b] *ibid.* fraudulosi [c] *ib.* singulos articulos
[d] *om. Le Pl., ubi patet lacuna* [e] *om. Le Pl.* [f] *cod. Le Pl.* nonaginta [g] *Le Pl.* istae

[1] Ruardus Tapper aliique theologiae doctores Lovanienses missi a Maria, regina Hungariae, et universitate Lovaniensi Tridentum advenerant die 24. Sept. 1551, Conc. Trid. VII, I 157, 25ss. Hanc sententiam ex eodem codice Vindobonensi (qui olim in tabulario regio Bruxellensi asservabatur, *Le Plat*, Monumentorum ... collectio IV 277) edidit *Le Plat* l. c. IV 279–301. Vide quae excerpta e voto Ruardi Tapper die 21. Oct. prolato Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. l. c. 248–250. De theologis Lovaniensibus et praesertim Ruardo Tapper decano cf. *P. F. X. de Ram*, Mémoire sur la part que le clergé de Belgique, et spécialement les docteurs de l'Université de Louvain, ont prise au concile de Trente (= Mémoires de l'Académie royale de Belgique XIV), Bruxelles 1841, 17–45. *H. de Jongh*, L'ancienne faculté de théologie de Louvain au premier siècle de son existence, Louvain 1911, 180–186 (Ruard Tapper). *H. de Vocht*, Inventaire des Archives de l'Université de Louvain 1426–1797 aux Archives gén. du royaume à Bruxelles, Louvain 1927, n. 745. 1626. 1681. 2739. 2929. *J. Wils*, Les professeurs de l'ancienne faculté de théologie de l'Université de Louvain, in: Ephemerides theol. Lovanienses IV (1927), 346. 357. *J. Étienne*, Ruard Tapper, interprète cath. de la pensée protestante sur le sacrement de pénitence, in: Revue d'hist. eccl. XLIX (1954), 770–807. *Idem*, Un théologien Louvaniste Ruard Tapper (1487–1559), in: Scrinium Lovaniense. Mélanges hist. É. van Cauwenbergh, Louvain 1961, 381–392. *Idem*, LThK IX [2]1297.

[2] Quos articulos vide Conc. Trid. l. c. 233–240.

[3] *Augustinus*, ad Quodvultdeum epist. 222, c. 2 (CSEL LVII 446, 13–447, 5. CChr. XLVI 276, 8–15).

[4] Ibid. (CSEL l. c. 447, 8–10. CChr. l. c. 276, 18–21).

Digitized by Google

est prudentia, non humana, sed quam inspirat spiritus Christi, cuius directione et gubernatione sacrosancta concilia oecumenica reguntur et disponuntur. *Visum est*, inquiunt apostoli, *spiritui sancto et nobis*, Act. 15 [28]. ⌜At quia[1a] disceptatio haec imposita est nobis, an articuli sint haeretici, praescindere oportet omne genus probationum, quod non ex scripturis vel his, quae certa fide credenda sunt, deducitur. Rationes igitur naturales et probabiles vel figurae veteris testamenti (quarum significatio ex scripturarum interpretatione non constat) locum in hac disputatione habere non possunt, sed potissimum scripturae (quas fere solas adversarii recipiunt) cum patrum concordi interpretatione, simul et traditiones apostolicae et conciliorum ac sedis apostolicae definitiones. |

46r Quibus praemissis declarandum est, quales sint articuli propositi. Quod priusquam exordiamur, submittimus omnia[b], quae dicturi sumus, censurae et iudicio huius sanctae synodi parati revocare, si quid etc.

[Super articulis de sacramento poenitentiae]

Primus articulus est: *Poenitentiam non esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum a Christo institutum* . . .[5]

Hic articulus quatuor partes continet. Prima est, quod non est aliquod *sacramentum a Christo pro relapsis post baptismum proprie institutum*.

Secunda est, si est aliquod tale, ut habet Apologia Confessionis Augustanae, non est a Christo institutum ad relapsi reconciliationem, sed ad testificationem bonae voluntatis Dei pro nobis[6], qua ob filii sui mortem omnia peccata nobis remisit[7] vel ob finem alium. Et quia duo et diversi sunt errores adversariorum nostro hoc seculo — nam Ioannes Calvinus[8] post Martinum Lutherum in fine Babylonicae captivitatis[9] negat esse aliquod sacramentum pro relapsis a Christo proprie institutum et Apologia[10] et Philippus[11] admittunt sacramentum aliquod tale a Christo institutum, sed non ad reconciliationem —, ideo, ut intelligantur ambo errores damnari, posset in articulo addi: *neque hoc modo poenitentiam non esse proprie sacramentum neque ad reconciliationem etc.*

Tertia huius articuli pars sub metaphora habet, quod, si est aliquod tale sacramentum a Christo institutum, non est tamen ad salutem necessarium; nam naufragium passo[c] non est spes salutis nisi arrepta tabula, ut ferri posset per eam ad littus. Et[d] hoc sensu b. Hieronymus[12] et patres[13] dixerunt poenitentiam *esse secundam tabulam post naufragium* factum per mortale peccatum post baptisma admissum.

Quarta pars est ipsum *baptisma vere esse sacramentum poenitentiae*, sic scilicet, quod non
46v alio sacramento indigeant lapsi ab innocentia baptismali | quam ipso baptismo et promissionum in eo factarum recordatione, sic scilicet, quod per baptismum relapsis subvenitur quoad peccata post baptismum admissa[e], sicut abstulit universa peccata ante ea admissa, et ita, ut nulla sit secunda tabula, sed primum remedium efficax maneat usque ad finem vitae non minus, quam dum administrabatur. Ita enim habet Martinus in fine Captivitatis Babylonicae: quia, inquit, poenitentia *caret signo visibili* et promissione remissionis peccatorum, ideo non est sacramentum, sed *via et reditus ad baptismum*[14].

[a] *om. Le Pl.* [b] *ib.* vestrae [c] *ib.* passa [d] *ib.* de [e] *ib.* commissa

[5] Cf. Conc. Trid. VII, I 233, 10ss.

[6] Apologia Conf. Aug., art. XII, n. 43: „Haec ratio poenitentiae plana et perspicua et auget dignitatem potestatis clavium et sacramentorum et illustrat beneficium Christi" (Die Bekenntnisschriften I 259, 33ss.).

[7] Ibid. art. IV, n. 97: „Ergo propter Christum iusti reputamur, cum credimus nobis Deum placatum esse propter ipsum" (l. c. 180, 38ss.).

[8] *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 19, De quinque falso nominatis sacramentis, de poenitentia n. 17: „Ne tamen animos tollunt, quacunque in parte sacramentum posuerint, nego iure haberi pro sacramento" (Corp. Ref. XXIX 1077).

[9] De captivitate Babylon.: „Nam poenitentiae sacramentum, quod ego his duobus [baptismo et pani] accensui, signo visibili et divinitus instituto caret et aliud non esse dixi quam viam ac reditum ad baptismum" (WA VI 572, 15–17).

[10] Apologia Conf. Aug., art. XIII, n. 4: „Vere igitur sunt sacramenta baptismus, coena Domini, absolutio, quae est sacramentum poenitentiae. Nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem gratiae, quae est propria novi testamenti" (l. c. I 292, 24ss.). Ibid. art. XII, n. 99: „Nam et nos confessionem retinemus praecipue propter absolutionem, quae est verbum Dei" (l. c. 272, 42ss.).

[11] *Phil. Melanchthon*, Loci theologici (tertia aetas) XIII de numero sacramentorum: „Cum vocabulum sacramenti ceremoniis intelligitur institutis in praedicatione Christi, numerentur haec sacramenta: baptismus, coena Domini, absolutio, quae sunt externi ritus et sunt signa totius evangelii, et quidem proprie sunt testimonia remissionis peccatorum seu reconciliationis" (Corp. Ref. XXI 849s.).

[12] Epist. 84 ad Pammachium, c. 6, 3. Epist. 117 ad matrem et filiam, c. 3, 2 (CSEL LV 128, 5; 425, 14ss.). Epist. 130 ad Demetriadem, c. 9, 2 (l. c. LVI 189, 4s.).

[13] E. gr. *Tertullianus*, De paenitentia 4, 2–3 (CChr. I 326, 9ss.).

[14] Vide supra adn. 9.

Digitized by Google

Duae partes priores articuli manifeste adversantur scripturis canonicis et ideo palam haereticae sunt et ut tales condemnandae. — Tertia adversatur eisdem secundum consentaneam patrum intelligentiam interpretatis; ideo et haec haeretica est. — Quarta est contra scripturas secundum evidentem argumentationem ex eis deductam.—Adversantur autem duae priores partes scripturae Io. 20 [21–23]: *Sicut misit me pater, et ego mitto vos. Quae cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur etc.* Nam cum sacramentum sit signum efficax gratiae sensibile, quod scilicet habet promissionem vel ordinationem Christi de gratia exhibenda ei, cui administratur, ex dicta salvatoris sententia clare habetur, quod ibi instituitur a Christo aliquod sacramentum pro relapsis. Nam signum sensibile indicatur in verbo: *remiseritis;* nam remissio aut absolutio seu sententia voce pronuntiatur. Et promissionem gratiae habent haec verba: *remittuntur eis.* „Nam ineffabiliter", inquit beatissimus Leo in epistola ad Theodorum, episcopum Foroiuliensem, „semper intervenit Christus, nec unquam his abest, quae ministris suis exequenda commisit"[15]. Remissio autem est in finem reconciliationis, et ut redeat peccator in gratiam patris, quem offenderat. In quo autem consistit hoc sacramentum et an ex partibus vel quibus constet, impertinens est huic articulo, qui proponit nullum esse *sacramentum a Christo pro relapsis institutum.* Appellatur[a] tamen aptissime a poenitentia sacramentum poenitentiae, quia[b] ex actibus poenitentis constat saltem | tanquam necessariis, ut effectum suum plenarie habeat, ut articulo sequenti dicetur, 47r vel potius quia[c] solis poenitentibus ministrandum est. Nec ratio huius sacramenti salva est, si nulla sit poenitentia vel dolor de peccatis in eo, qui confitetur et absolvitur. Si obiiciatur, quod verba absolutionis non habent ex Christi institutione significationem, sed ex impositione nominum, ex quibus constant, respondetur, quod efficacem significationem habent ex Christi promissione vel ordinatione, quam indicant verba ista: *remissa sunt*, speculativam vero ex nominum impositione. Ex dictis his patet, quod in his verbis salvator instituit vel explicavit sacramentum ordinis quoad actum suum secundarium et sacramentum poenitentiae explicite secundum eius formam. Nec mirum, quando forma huius sacramenti in usu et exercitio potestatis ordinis consistit et eius efficacia et fructus ab ordinis potestate dependet.

Manifestum igitur est, quod poenitentia est sacramentum a Christo institutum pro relapsis post baptisma. Nam et Novatiani ab ecclesia iudicati sunt haeretici et ab ea reiecti[16], quia negabant potestatem remittendi peccata esse apud sacerdotes in ecclesia, et ita esse ad reconciliationem; ligabant enim poenitentes, quos nunquam a peccatis absolvebant, sed ad Deum absolvendos remittebant. De quo late d. Ambrosius lib. 1 De poenitentia c. 2 et 7[17] et lib. 2 c. 2: „Impossibile", inquit, „videbatur per poenitentiam peccata dimitti; concessit hoc Christus apostolis suis, quod ab apostolis ad sacerdotum officium transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur"[18]. Nec habent adversarii, quod hic respondeant, nisi corrumpant[d] verba salvatoris pro suo instituto et claves ac remissionem peccatorum contra omnium maiorum sententiam et verborum proprietatem ad ministerium verbi referant, de quo postea circa articulum septimum. |

Tertia pars insinuat sub nomine metaphorae sententiam scripturae eidem secundum con- 47v sentientem patrum sensum intellectae adversantem, quod scilicet sacramentum istud non est ad salutem necessarium. Nam sacramentum dicitur ab effectu, ad quem est institutum, necessario. Remissio autem peccatorum et reconciliatio, ad quam institutum est, necessaria est ad salutem sicut regeneratio, ad quam institutum est baptisma; nec baptismus proprie est omnibus necessarius, quia praecipitur in evangelio. Nam verba salvatoris: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*[19], pueros complectuntur, qui non sunt praecepti capaces. Et ideo non tam praeceptum significant quam Christi ordinationem immobilem et generalem omnes homines complectentem, quod scilicet per baptismum est accipienda regeneratio, sine qua non est possibile introire in regnum Dei. Et sicut ordinavit fixe et immobiliter, quod sine baptismo saltem in voto accepto (si articulus necessitatis ipsum excludit) non est regeneratio, ita in his verbis Io. 20 [23] cap. poenitentiae sacramentum ordinavit esse medium, per quod quaerenda est omnibus peccatorum post baptismum admissorum remissio.

Sic enim dicit sanctissimus Leo in epistola superius citata, quod ita *praesidia divinae bonitatis* sunt *ordinata, ut nisi sacerdotum supplicatione indulgentia obtineri nequeat*[20]. Intelligunt enim con-

[a] *ib.* appellavit [b] *ib.* quae [c] *ib.* quod [d] *ib.* corrumpent

[15] *Leo I*, ad Theodorum Foroiul. epist. 108, c. 2 (*Migne*, PL LIV 1012 A).

[16] Cf. *Augustinus*, De haeresibus c. 38 (CChr. XLVI 307, 1s.). *Cyprianus*, ad Antonianum epist. 55, c. 6 (CSEL III 628, 5s.).

[17] De paenitentia I, c. 2, 7 et c. 7, 32 (CSEL LXXIII 122, 21ss.; 135, 26s.).

[18] Ibid. II, c. 2, 12 (l. c. 169, 77–80).

[19] Io. 3, 5.

[20] Epist. 108, c. 2 (l. c. 1011 B).

Digitized by Google

corditer maiores nostri, scriptores ecclesiastici, Christum hic et Matth. 16 [19] et 18 [18] constituisse tribunal in sua familia, ad quod omnium domesticorum causae et excessus non solum, qui domum[a] turbarent, sed potissimum qui contra Deum committerentur, referrentur coram hoc tribunali tractandi. Loquitur enim apud Ioannem salvator de peccatis, ut in Deum committuntur. Eisdem enim[b] fere verbis Ioannes in Apocal. testatur Christum suam accepisse potestatem a patre, quibus Matthaeus refert Christum promisisse[c] potestatem, quam ei contulit. 48r *Habet*, inquit Apocalypsis, *clavem*[d] *David, aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*[21]. | Petro autem dixit: *Dabo tibi claves regni coelorum*[22]; non dubium, quin easdem, quas a patre acceperat; nam b. Chrysostomus explicans verbum Matth. 16 [19] dictum Petro: *Quodcunque ligaveris super terram etc.* lib. 3 De dignitate sacerdotali: „*Omne*", inquit, „*iudicium dedit pater filio*[23]. At hoc video totum sacerdotibus esse commissum"[24]. Cui enim[b] angelorum aut archangelorum aliquando dixit: *Quodcunque ligaveris etc.* Et ex[e] eisdem his verbis Domini salvatoris b. Cyprianus epist. 2 lib. 1[25], divus Hilarius in Matth.[26] et divus Bernardus in sermone de beatis apostolis Petro et Paulo pronuntiare audent, quod *sententia Petri praecedit sententiam coeli*[27] quodque in coelis non remittitur peccatum, nisi prius ministerio sacerdotum fuerit remissum. Ponderant enim coniunctivam *et*, cum dicit salvator: *Soluta erunt et in coelis.*

Ex his itaque scripturis[f] maiores nostri patres et scriptores ecclesiastici docent sacramentum poenitentiae esse necessarium relapsis ad reconciliationem et remissionem peccatorum sicut primo intrantibus in societatem ecclesiae baptismum. „Quae baptismatis", inquit d. Augustinus lib. 1 c. ult. De adulterinis coniugiis, „eadem et reconciliationis est causa, si forte poenitentes finiendae vitae periculum praeoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine pace exire velle debet mater ecclesia"[28]. Et similem sententiam habet lib. 2 De civitate cap. 9[29] et in epistola ad Honoratum tractans, an tempore persecutionis fugere possunt ministri ecclesiae, pro eodem habet cathecumenum mori sine baptismo et poenitentem sine sacramento poenitentiae. „Si ministri", inquit, „desint, an non cogitamus, quantum sequatur exitium eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt[g] vel ligati"[30]. Et homelia 49: „Nemo sibi dicat: Occulte ago poenitentiam, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa", inquit, „dictum est: *Quaecumque ligaveritis in terra, ligata erunt et in coelo; et quaecumque* 48v *solveritis etc.* et sine causa claves | datae sunt. Frustramus verbum Christi, frustramus evangelium Dei. Si promittimus vobis[h] quod ille[i] negat, nonne vos[k] decipimus?"[31] Et conformiter loquitur b. Leo in epistola ad Theodorum episcopum Foroiuliensem[32] et alii patres graeci et latini de baptismo et poenitentia.

Nec refert, quod Tertullianus, Hieronymus et alii loquuntur fortassis, quando dicunt poenitentiam *esse secundam tabulam post naufragium*[33], de poenitentia, ut virtus est vel actus virtutis, sine quo nec tempore legis, imo nec ante legem remitti potuit peccatum, quia haec poenitentia tempore evangelii[l] includit sacramenti votum sicut ante baptisma ⌜votum suscipiendi baptisma⌝[m], quod, nisi suscipiatur, quando suscipi potest, non est spes salutis. — Paulo diutius hic circa necessitatem huius sacramenti immorati sumus, quia ex ea et altero principio, quod scilicet absolutio sacramentalis est actus iudicialis, quasi ex principiis plurimi articuli deducuntur et sequuntur, ut patebit.

Quarta pars deducitur scripturis adversari, quando ex eis deduximus aliquod esse sacramentum proprie pro relapsis institutum, aliud a baptismo, quod iterari non potest. Adversatur igitur scripturis, quod baptismus sit ipsum sacramentum poenitentiae sic, quod non sit aliud institutum quam baptismus. Nec patrocinatur Augustinus huic parti articuli cap. 30 De fide ad Petrum, quem[n] in patrocinium suum[o] et huius partis adducit Calvinus[34]. Vocat enim

[a] *ib.* Deum [b] *ib.* autem [c] *ib.* permisisse [d] *ib.* et quae [e] *ib.* ut
[f] *ib.* scriptores [g] *ib.* essent [h] *ib.* nobis [i] *ib.* iste [k] *ib.* nos
[l] *ib.* quadragesimali [m] *in marg. add.* [n] *Le Pl.* quam [o] *om. Le Pl.*

[21] Apoc. 3, 7. [22] Matth. 16, 19. [23] Io. 5, 22.
[24] *Io. Chrysostomus*, De sacerdotio III, c. 5 (*Migne*, PG XLVIII 643).
[25] Ad Cornelium epist. 57, c. 1 (CSEL III 651, 4s.).
[26] Comment. in Matth. 16, 19 (*Migne*, PL IX 1010 A).
[27] *Bernardus Claraevall.*, serm. 1 in festo Petri et Pauli c. 2 (*Migne*, PL CLXXXIII 406 D).
[28] De adulterinis coniugiis I, c. 28, 35 (CSEL XLI 382, 4–7).
[29] De civitate Dei XX, c. 9 (CChr. XLVIII 717, 62ss. 76ss.).
[30] Ad Honoratum epist. 228, c. 8 (CSEL LVII 491, 3–5).
[31] *Augustinus*, sermo 392 (alias 49 inter Homilias 50), c. 3 (*Migne*, PL XXXIX 1711).
[32] Epist. 108, c. 2: „per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent ... ad remissionem criminum pervenirent" (l. c. 1011 B).
[33] Vide supra adn. 12 et 13.
[34] Institutio relig. christ. c. 19, n. 17: „Aptissime itaque dixeris, si baptismum vocaveris poenitentiae sacramentum, quum in consolationem iis datus est, qui poenitentiam meditantur ... Nam in libello De fide ad Petrum, qui Augustino inscribitur, sacramentum fidei et poenitentiae dicitur" (l. c. 1078).

Digitized by Google

Augustinus hoc loco baptismum *sacramentum poenitentiae et fidei*, sed quo sensu, ipse interpretatur, ideo scilicet, quia poenitentiam et fidem exigit in adulto baptisando. Sic enim habet: „Firmissime tene et nullatenus dubites exceptis his, qui pro nomine Christi in suo sanguine baptisantur, nullum hominem accepturum vitam aeternam, qui non hic a malis suis fuerit per poenitentiam fidemque conversus et per sacramentum fidei et poenitentiae, id est", inquit, „per baptismum liberatus"[35]. Et se declarans addit: „Et maioribus quidem est | [49r] necessarium de malis suis agere poenitentiam et fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere"[35]. Praeterimus, quod hic articulus damnatus[a] est in concilio Florentino[36] et in c. [9] *Ad abolendam* [X] de haeret. [V 7], ubi excommunicantur, *qui aliter sentiunt de matrimonio et confessione et aliis sacramentis* ecclesiae, *quam Romana* docet *ecclesia*[37].

Secundi articuli, qui sic habet: *Non esse tres poenitentiae partes, contritionem, confessionem et satisfactionem ...*[38]

prior pars distinguenda est. Nam si intelligatur de partibus proprie sacramenti, prout eam deducit b. Thomas[39], probabiliter pro utraque parte apud doctores disputatur. Et ideo non est damnanda tanquam haeretica; sunt enim, qui dicunt sacramentum poenitentiae constare ex confessione et absolutione[40], et alii, quod sola absolutio est totum hoc sacramentum[41], quia ipsa sola videtur habere Dei promissionem de remissione peccatorum, non autem confessio, satisfactio vel contritio, quae praecedit confessionem, sine quibus etsi non fiat plena peccatorum remissio, dubitatur tamen, an per ea quasi instrumenta vel partes sacramenti remissio illa fiat vel solum ⌜se teneant⌝[b] tanquam dispositiones subiecti, quas sacramentum requirit, ut suum operetur effectum. Si vero intelligantur partes non proprie, ex quibus constat vel integratur sacramenti substantia, sed requisita et necessaria ad ipsum vel eius effectum antecedenter vel consequenter intelligantur nomine partium, sic est questio fidei, et negare hoc sensu tres partes poenitentiae scripturis adversatur et haereticum est. Nam cum sacramentum hoc sit iudiciale, necessaria sunt ad eius subsistentiam ea, quae requiruntur ad processum iudiciarium, qui exigit accusationem, testimonia vel confessionem rei, iudicem et | [49v] sententiae executionem. Oportet igitur haec[c] ipsa concurrere in sacramento poenitentiae. Satisfactio autem ad arbitrium sacerdotis pertinet, ad executionem sententiae eius et potestatem ligandi, confessio, ut iudex cognitionem accipiat super materia iudicii. Nam cum circa occulta iudicium hoc exerceatur, oportet esse confessionem rei et illam spontaneam, ut sit verus poenitentiae actus, per quem iudex, qui offensus est, placandus speretur et reconciliandus. Ut autem talis sit, praerequiritur contritio, quae est dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero; complectitur enim contritio attritionem, quando ponitur pars sacramenti poenitentiae.

Haec igitur tria requirit hoc sacramentum ex eo, quod iudicium est, et hoc fide tenendum est; sed, an ut partes aut ut dispositiones aut conditiones ex parte rei poenitentis, sine quibus non est iudicium perfectum, apud doctores varie disputatur nec proprie ad fidem pertinet. Et ideo prudentissime in concilio Florentino haec tria nominantur non *partes* sacramenti, sed *quasi materia;* sic enim habet: „Quartum sacramentum est poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Confessio etc."[42] Non enim ea vocat *partes* sacramenti poenitentiae nec materiam, sed *quasi materiam.* Nam dispositiones subiecti ad causam materialem reducuntur, atque eodem sensu intelligitur materia, quando omnia sacramenta novae legis dicuntur constare ex materia et forma; satis enim est, quod cum forma sacramentali concurrat materia vel aliquid cum ea similitudinem

[a] *ib.* declaratus [b] *ib.* si teneantur [c] *ib.* et

[35] *Ps.-Augustinus,* potius *Fulgentius* episc. *Ruspensis,* De fide ad Petrum c. 73, 30 seu reg. 27 (CChr. XCI A 755, 1293–1300).

[36] Decr. pro Armenis e bulla *Exultate Deo* c. 5: „Per baptismum spiritualiter renascimur ... Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur" (*Mansi* XXXI 1054 D. *Denzinger-Schönmetzer,* Enchiridion l. c. n. 1311).

[37] *Friedberg* II 780.

[38] Vide Conc. Trid. VII, I 233, 14ss.

[39] Summa th. III, qu. 90, art. 2.

[40] *Durandus a S. Portiano,* In IV Sent. dist. 14, qu. 3, n. 5: „Ex quo patet ..., quod hoc sacramentum magis proprie diceretur sacramentum confessionis et absolutionis quam poenitentiae, quia in confessione et absolutione consistit hoc sacramentum tanquam in sua materia et forma. Poenitentia autem si accipiatur pro habitu vel actu interiore, est ad hoc sacramentum tanquam praevia dispositio suscipientis. Si autem accipiatur pro executione poenae satisfactoris, sic est consequens ad hoc sacramentum" (Venetiis 1571 [Ridgewood 1964] II 328v). Cf. *P. Schanz,* Die Lehre von d. hl. Sacramenten, Freiburg 1893, 536s.

[41] *Io. Duns Scotus,* In IV Sent. dist. 14 qu. 4, n. 2: „Poenitentia est absolutio hominis poenitentis facta certis verbis ... significantibus absolutionem animae a peccato" (Opera XVIII, Parisiis 1894, 139). Ibid. dist. 16, qu. 1, n. 7; vide supra p. 200, adn. 89.

[42] Decr. pro Armenis (*Mansi* l. c. 1057 E. *Denzinger* l. c. n. 1323).

Digitized by Google

habens; nam hoc sensu ipsum concilium Florentinum sese interpretatur[43]. Et iudicaremus formam sermonis concilii Florentini sequendam esse, si canon aliquis fiat de partibus poenitentiae, ne probabiles doctorum sententiae damnentur.

50r Secunda pars articuli, quae habet: *sed duas tantum etc.*, | obnoxia videtur iustae querimoniae et reprehensioni adversariorum, quod eorum sententiae non intellectae damnentur et in alio sensu, quam eas docent. Nam articulus hic loquitur de poenitentiae sacramento; hoc enim constat ex his tribus tanquam partibus, non autem poenitentia, quae actus virtutis est et omni tempore etiam ante legem ad salutem necessaria et in sola contritione consistit, si perfecta est. Et tempore novi testamenti alia duo, scilicet confessio et satisfactio, ab[a] ea imperantur; ex Christi enim[b] institutione accedunt virtuti poenitentiae. Adversarii vero, qui agnoscunt sacramentum poenitentiae, ipsum totum ponunt in absolutione[44], et hanc solam intelligerent, si de sacramenti partibus loquerentur, et ideo non poenitentiae, ut sacramentum est, has duas esse partes docent, sed poenitentiae, quae est actus virtutis, ad quam ab orbis conditione peccatores Deus invitavit primum per patriarchas, deinde per prophetas et alios suos ministros.

Videtur itaque, quod hanc propositionem mutare oportet in canone et decreto, quae facere oportet contra hunc errorem omnium pestilentissimum. Seducit enim peccatores a vero ordine et modo poenitendi, per quem solum est peccatorum remissio, hoc est a[b] vera poenitentia, et substituit falsum, pestilentem[c] et haereticum ⌜poenitendi modum⌝[d] contra aperta scripturarum testimonia. Partitionem autem hanc poenitentiae in terrores et fidem bene improbat Ioannes Calvinus ex c. 20 [21] Act., ubi b. Lucas scribit, quod Paulus testificabatur *Iudaeis et gentibus poenitentiam in Deum et fidem in Dominum Iesum Christum*, a poenitentia in Deum discriminans fidem in Dominum Iesum: Non igitur, inquit[45], potest haec fides esse pars poenitentiae; nam contra totum partes non distinguuntur. Et fidem hanc certae remissionis peccatorum ex absolutione conceptam efficaciter impugnat Svinglius[46] et post eum Bucerus in Commentariis
50v super c. 3 Matth.: Quidam, inquit[47], imprudentiores privatam confessionem | et absolutionem per se aliquam virtutem habere arbitrantur. Et hoc fortiter praedicant ignari, quid[e] dicant aut affirment, quasi si frater mihi dicat: Confide. *Ego te absolvo a peccatis tuis*, plus haberet momenti, quam si in genere praedicetur: Fiditote. Dominus per Christum perdonavit vobis omnibus peccata. Et quia nulla scriptura evangelica vel apostolica dicit, quod mihi sunt remissa peccata, ideo, nisi fiat super hoc revelatio, temerarium est et stultum hoc[f] firma fide credere, prout prudenter et erudite definitum est in decreto de iustificatione per hoc sacrosanctum concilium[48].

Tertius articulus: *Contritionem, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum non praeparare ad gratiam Dei . . .*[49]

Hic articulus mutilus est et non integre collectus ex sermone Lutheri de poenitentia[50], imo nec eam contritionem docet, sicut hic ponitur, nec locum habet ratio, ob quam ipsam[g] asserit,

[a] *ib.* ad [b] *om. Le Pl.* [c] *ib.* pestilens [d] *ib.* poenitentiae medium [e] *ib.* quidam
[f] *ib.* haec [g] *ib.* ipsum

[43] Ibid.: „omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri" (*Mansi* l. c. 1054 E. *Denzinger* l. c. n. 1312).

[44] Vide supra adn. 10.

[45] Institutio relig. christ. c. 9 de poenitentia, n. 4: „Nam quod fidem sub poenitentia complectuntur, pugnat cum eo, quod Paulus in Act. [20, 21] dicit se Iudaeis ac gentibus testificatum in Deum poenitentiam et fidem in Iesum Christum, ubi tanquam duo diversa poenitentiam et fidem enumerat ... Verum etsi separari non possunt, distingui tamen debent ... Equidem nec me latet, sub poenitentiae nomine totam ad Deum conversionem comprehendi, cuius pars non postrema fides est; sed quo sensu, facillime apparebit, ubi vis ac natura eius explicata fuerit" (l. c. 688).

[46] De vera et falsa religione art. 19: „His iunge audacium quorundam dogmata, qui perhibuerunt clavibus hominem certum fieri, qui nisi per fidem intus certus est, frustra dices: Liber es. Non enim tuo verbo ipsum potes magis certum reddere quam muscam elephantum facere ... Hanc fidei certitudinem nisi quisque habeat, frustra sexcenties a sacerdote absolvetur" (Corp. Ref. XC 821, 22–32).

[47] *Mart. Bucerus*, In sacra quatuor evangelia enarrationes, in Matth. 3 [6]: „quidam eos gehennae addicunt, qui non quotannis vel semel peccata sua singula cum singulis circunstantiis ... enuntiaverint ... Hac enim confessione crediderunt peccata prorsus deponi, etiam sine vera in Christum fide atque solida resipiscentia, ita perniciosissime suo facto fisi sunt et non uno Christo" (Basileae 1536), 54). Ibid.: „Quibus respondendum: Istam solutionem a peccatis et remissionem peccatorum Petro nomine ecclesiae primum atque inde reliquis pariter promissam et collatam esse publicam in ecclesiam admissionem ... Ad quod haudquaquam opus est sacerdoti singula peccata enarrare; Deus enim omnia simul condonat ... Sicut ergo ille simul cuncta condonat, quid impedit simul etiam universa condonata pronunties eoque simul etiam in genere omnia, non ordine singula cognoscas?" (l. c. 55).

[48] Decr. de iustificatione, c. 9: „nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti et in ea sola quiescenti peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, cum apud haereticos et schismaticos possit esse, immo ... praedicetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia" (Conc. Trid. V 794, 21–25).

[49] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 3ss.

[50] *M. Luther*, Sermo de poenitentia (WA I 319, 12ss.). Vide Conc. Trid. VII, I 234 adn. 8.

Digitized by Google

nisi hoc ipsum addatur, quod ex eodem sermone in ipsa bulla Leonis X appositum est. Ait enim: „Contritio[a], quae paratur per discussionem, collationem[b] et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando[c] scilicet gravitatem peccatorum, damnum[d], foeditatem, multitudinem, deinde amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis acquisitionem, facit hypocritam, imo magis peccatorem"[51]. Hac enim forma damnatur in bulla Leonis praedicta. Addit autem Martinus suae assertionis causam, quia solum timore praecepti et dolore damni id facit, quae locum non habent in verbis, quae proponit articulus.

Valde cavendum est, ne adversariis imponamus sententias, quas non asserunt, ne eis similes simus; nam ipsi | multa falsa, absurda et blasphema dicunt nos docere, super quibus falso 51r nos diffamant, quae tamen ut ipsi et nos damnamus et improbamus. Et fundatur haec assertio Martini de contritione super eo, quod docet timorem poenae ex genere esse peccatum, quod falsum esse clarissime ostendit Ioannes episcopus Roffensis circa assertiones Martini de purgatorio[52], de quo non est nunc[e] locus et tempus disserendi. Oporteret ergo huic articulo addere, quae habet bulla Leonis, vel saltem dicere: *Contritionem, quae paratur ex timore praecepti vel dolore damni per discussionem etc.* Hic articulus sic intellectus scripturis adversatur, quae comminatione poenarum utuntur, quando ad poenitentiam peccatores invitant. Sic Ioannes Baptista: *Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*[53]. Et[f] Dominus salvator: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*[54]. Et ideo b. Augustinus tractatu 9 in epistolam primam b. Ioannis dicit: „Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur[g], seta prius intrat; sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primo occupat mentem, ⌜non autem⌝[h] ibi remanet, quia ideo introivit, ut introduceret charitatem"[55], cui locum praeparet[i]. Contritio igitur, quae ex metu poenae concipitur, praeparat ad gratiam Dei. De praeparatione autem non est opus hic disserere, cum in decreto et canonibus de iustificatione ex scripturis de ea facta sit definitio[56].

Sed hic difficultas est, quomodo haec contritio metu poenae vel transgressionis praecepti concepta remittere possit peccata? Videtur nobis hoc fieri non posse, nisi fortassis accedente sacramento. Et sentire ita videtur b. Augustinus libro De cathechizandis rudibus[57] et Rupertus abbas Tuiciensis[k] in locis multis[58]. Sed articulus hic non videtur respectum habere ad sacramentum, quando dicit, quod non remittit peccata, sicut nec in ea parte, quae habet, quod et ad gratiam praeparat; praeparat enim sine dubio sacramento etiam secluso. Et ideo haec particula omittenda est vel articulus aliter ordinandus. | Contritio tamen[e], quae secundum Deum 51v est et ob Dei offensam odit peccatum, vere peccata dimittit; nam *cor contritum et humiliatum Deus non* potest *despicere*[59]. Et ait Dominus apud Esaiam [66, 2]: *Ad quem autem aspiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu?*

Quod autem in fine articuli dicitur, quod huiusmodi *dolor est coactus*, putamus magis dicendum esse verbis Lutheri eamque[l] [contritionem] esse violentam[m] ex vi praecepti factam. Ita enim habent verba eius: „Si vis poenitere de luxuria, non incipias numerare vitia, foeditates, damna; nam haec non diu tibi durabunt, cum sit violenta contritio ex vi praecepti facta. Sed intende in speciem castitatis atque ad commoda eius pulcherrima, et quo magis haec tibi placent, eo magis odies vitia contraria"[60]. Quae suasio etsi pessima sit, ut passim peccatoribus proponatur, quae tamen miscet, non multum[n] a viro[o] abhorrent[p], et magis consuleremus hanc particulam omittendam.

[a] *cod. Le Pl.* contritionem [b] *ib.* collectionem [c] *Le Pl.* ponderans
[d] *ib.* eorum [e] *om. Le Pl.* [f] *ib.* dicit [g] *ib.* seritur [h] *ib.* nostram aut
[i] *ib.* praeparat [k] *ib.* Tinciensis [l] *ib.* eaque [m] *ib.* violenta [n] *ib.* multa
[o] *ib.* vero [p] *ib.* abhorrentia

[51] *Leo X*, bulla *Exsurge*, errores M. Luther damnati n. 6 (*Mansi* XXXII 1051 E. *Mirbt-Aland*, Quellen z. Gesch. d. Papsttums I[6] 506. *Denzinger* l. c. n. 1456).

[52] *Io. Fisher*, *Roffensis* episc., Assertionis Lutheranae confutatio, art. 38: „Verum timor poenarum absolutus non solum cum perfecta charitate stare potest, verum etiam cum summa charitate. Nam ipse Christus ..., in quo fuit summa charitas, nihilominus expavit mortem" (Opera, Wirceburgi 1597, 735).

[53] Matth. 3, 10.

[54] Luc. 13, 3.

[55] In epist. Ioannis ad Parthos tract. 9, c. 4 (*Migne*, PL XXXV 2047s.).

[56] Decr. de iustificatione, c. 5–6 (l. c. 792, 39ss.). Canones de iustificat. 7–9 (ibid. 798, 11–19).

[57] De catechizandis rudibus c. 14, 22, 12: „Sicut ergo si periclitaremur incendio, ad aquam utique curreremus ..., ita si de nostro foeno aliqua peccati flamma surrexit et propterea conturbamur, ... tamquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud, quod exarserat, opprimatur" (CChr. XLVI 146, 58–64).

[58] *Rupertus Tuitiensis*, In Ioannis evang. III, in Io. 3, 5 (CChr. Contin. IX 144, 985ss.).

[59] Ps. 50, 19.

[60] *M. Luther*, Sermo de poenitentia (l. c. 319, 31–34; cf. ibid. 320, 26ss.).

Digitized by Google

Quartus articulus, qui sic habet: *Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non esse . . .*[61]

Huius secunda particula non pertinet ad dogmata sive articulos fidei; nam facti quaestio est, non fidei, an secretae confessionis mentionem faciant veteres. Interea prodit haec particula apologistarum vel insignem inscitiam vel malitiosam dissimulationem. Ac de simulatione quidem inde licet iudicare, quia multi inter ipsos affirmare et scribere non dubitant secretam confessionem sublatam esse Constantinopoli sub Nectario[62], qui Lateranense concilium[63], quod sub Innocentio III celebratum est, praecessit annis plus octingentis, quamquam quid sub Nectario sublatum sit, an confessio secreta, quod isti volunt, an publica, quod visum est aliis quibusdam, an secrete confessorum apud unum et solum presbyterum publica postea per
52r episcopum recitatio, quod | alio loco ex ipsa historiae[a], quae apud Socratem[62] et Sozomenum[64] est, serie[b] demonstrasse confidimus, quid, inquam, ibi sublatum sit, non est huius loci proprium. Hoc interim dixisse sufficiat in illa[c] historia clarissime conspici confessionem secretam et eam[d], quae ante Nectarium in usu erat et quae sub ipso fuit et quae post ipsum, praesertim si historiae illi addas c. 44 lib. 6 Eusebii[65]. De inscitia autem licet iudicare primum ex epistola Leonis papae, quae est ad episcopos per Campaniam, Samnium et Picenum constitutos. In ea enim secretae confessionis nominatim quoque mentio est his verbis: „Reatus conscientiarum sufficit solis sacerdotibus indicari[e] secreta confessione. Et quia sufficit illa confessio, quae primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis“[66]. Deinde inscitiam istorum arguit Origenes in Ps. 37, qui post confessionem secreto apud sacerdotem, quem[f] ad hoc elegeris ut idoneum, factam deliberandum ⌜cum sacerdote tibi⌝[g] relinquit, „an in conventu“, inquit, „totius ecclesiae exponi debeat peccatum tuum, si inde ceteri sperentur aedificandi“[67]. Omittimus hic allegare Dionysium in epistola ad Demophilum[68]. Item Augustinus hom. 50: „Iudicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius, ne, cum iam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino iudicetur. Et cum in se protulerit severissimae medicinae sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in ecclesia claves ministrantur, et tanquam bonus incipiens iam esse filius maternorum membrorum ordine custodito a praepositis sacrorum accipiat satisfactionis suae modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex id tamen agat, quod non solum ipsi[h] prosit ad recipiendam salutem sed etiam ceteris ad exemplum, ut, si peccatum eius non solum in gravi eius malo sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere poenitentiam
52v non recuset, | non resistat, non laetali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem“[69]. Vides hic, quod supra in Origene primum secreto confitebantur. Restabat videre, an praeterea opus esset recitatione sine expositione publica vel poenitentia publica.

Prior vero huius articuli pars, scilicet *confessionem sacramentalem secretam etc.*, dupliciter intelligi potest: primum ex parte eius, quod dicitur *secreta*, secundo ex parte eius, quod habet *iuris divini non esse*, etsi uno sensu haeretica est, in altero vera. Nam quod confessio sacramentalis secrete fiat, nec a Christo institutum est nec praeceptum; sed liberum reliquit, ut secundum arbitrium sacerdotis vel publice fiat vel privatim[i] salvo iure naturae, quod non sine iusta causa occultum fratris peccatum manifestetur. Nam aperta est sententia Origenis in hom. 2 super Ps. 37, quod exponi possit peccatum secretum confessum *in conventu totius ecclesiae*, si sit *in aedificationem* aliorum[70] et ipse poenitens sic possit faciliter sanari. Nam facilius remissionem consequetur peccator, quando pluribus in spe veniae confitetur, ut dicit b. Augustinus[69]. ⌜Et olim in usu erat publica confessio, ut constat ex homelia Origenis circa Ps. 37[70], quam Leo papa abolevit in epistola 57[71], quae est ad episcopos per Campaniam etc.⌝[k] In cap. vero *Omnis*[l]

[a] *ib.* historia [b] *ib.* prius [c] *ib.* ista [d] *ib.* etiam [e] *ib.* iudicari [f] *ib.* quam
[g] *ib.* omni sacerdoti sibi [h] *ib.* illi [i] *ib.* privative [k] *in marg. add.* [l] *Le Pl.* omnes

[61] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 8ss.
[62] Anno 391. Vide *Socrates*, Hist. eccl. V, c. 19 (*Migne*, PG LXVII 617/18 A). *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripartita IX c. 35 (CChr. LXXI 553, 1ss.). Cf. *G. Rauschen*, Eucharistie und Bußsakrament l. c. 133s. 147ss.
[63] Conc. Lateranense IV (a. 1215).
[64] Hist. eccl. VII, c. 16, 9 (GrChrSchr. 50, 324, 4).
[65] Hist. eccl. VI, c. 44, 4, ubi narratur de Serapione lapso, cui *in exitu reconciliationis solacia* denegata non sunt (GrChrSchr. 9 II. Eusebius II, II 624, 21ss.).
[66] *Leo I*, ad episc. per Campaniam etc. constit. epist. 168, c. 2 (*Migne*, PL LIV 1211 A–B).
[67] *Origenes*, in Ps. 37 hom. 2, c. 6 (*Migne*, PG XII 1386 B).
[68] *Ps.-Dionysius Areopag.*, epist. 8 ad Demophilum, c. 1 (*Migne*, PG III 1087/88 B).
[69] *Augustinus*, sermo 351 (alias 50 inter Homilias 50), c. 4, 9 (*Migne*, PL XXXIX 1545) = c. 85 *Iudicet* de poenit. dist. 1 (*Friedberg* I 1183).
[70] Vide supra adn. 67.
[71] Vide supra adn. 66.

Digitized by Google

utriusque sexus, quando dicitur, quod *solus omnia sua confiteatur peccata*[72], particula *solus* est modificatio, extra quam praeceptum non obligat, non autem praecipitur, ut solus confiteatur omnia peccata. Confessio tamen sacramentalis, quae nunc ex more ad aures fit sacerdotis et ex causa fieri aliter potest, maxime de peccatis publicis, a Christo est instituta et praecepta iure divino non verbis expressis, sed insinuatione. Nam cum Christus institueret in sua familia (ut circum[a] articulum primum dictum est[72a]) tribunal, apud quod sumatur cognitio et iudicium in omnibus causis domesticorum et cum Deo offenso, cum hoc fieri non possit sine peccatorum confessione, ex eodem iure, quo institutum est hoc tribunal, necesse est fieri peccatorum remissionem. Ex natura igitur iudicii Io. 20 [23] cap. a Christo instituti necessaria est peccatorum confessio, supposita huius sacramenti | necessitate. Et hoc sensu huius articuli primam partem damnasse 53r dicitur tanquam haereticam Xistus IV inter assertiones magistri Petri Oxomensis[b][73].

Quintus articulus, videlicet: *Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam ad illorum remissionem . . .*[74]

plures partes habet, quarum prima scripturis manifeste adversatur, ut ex dictis manifestum est. Nam si sacramentum poenitentiae est necessarium, sic quod non fiat peccatorum remissio nisi per ipsum, sicut non fit regeneratio nisi per baptismum, remissio autem fieri non possit, nisi per sacerdotem, sacramenti ministrum, accepta fuerit ex propria confessione poenitentis peccatorum cognitio, necessario sequitur, quod necessaria est et non libera peccatorum distincta et sigillata enumeratio, ut dimittantur. Non enim potest iudex pronuntiare absolvendo vel condemnando, nisi de quibus iudicialiter cognovit. Et quod utilis est et fuit semper, imo necessaria ad peccatorum remissionem, manifeste docent verba salvatoris. Nam ad eundem finem fit remissio (cuius meminit salvator, dum dicit: *Quorum remiseritis peccata etc.*[75]) et confessio. Alii autem fines, scilicet erudire et consolari, accedere possunt primario fini institutionis sacramenti, quae proprie et principaliter propter illos facta non est. Et quod dicit articulus: *peccatorum enumerationem olim fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam*, verum est, sed impleta poenitentia sequebatur absolutio | sacramentalis, per quam peccata remittebantur. Nam propter 53v hoc damnati sunt Novatiani in ecclesia, ut dictum est superius, quod ligabant et poenitentiam imponebant nunquam absolventes. Pastores autem ecclesiae imponebant poenitentiam canonicam, hoc est secundum canones poenitentiales praescriptam, et hac impleta impendebant[c] absolutionem, propter quam confessio, impositio et actio poenitentiae factae fuerant.

Et quod *necessarium est confiteri omnia peccata mortalia, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta*[74], clare convincit verbum salvatoris, cuius frequenter meminimus. Nam cum indefinite et indistincte dicat Dominus: *Quorum remiseritis peccata etc.*[75], non determinando ad publica nec ad ea, quae fiunt contra duo ultima decalogi praecepta, temerarium est distinguere, quod indistincte dicit Dominus. Et eadem ratio est de *circumstantiis*, quae ad *aliam speciem peccati trahunt*[76], ut si quis virginem stupravit invitam et reluctantem vel sanctimonialem. Nec *homines otiosi circumstantias peccatorum excogitarunt*, sed ex scripturis eas didicimus, quae gravius aestimant, si quis *patrem vel matrem percusserit*[77], quam si alium, et si cum matre commixtus fuerit vel cum bestia[78]. Et patres Chrysostomus[79], Augustinus[80], Hieronymus in commentariis super cap. 16 Matth.[81] et alii ex scripturis multa de his circumstantiis scribunt.

Ultimam vero huius articuli partem melius esset ponere, sicut habent verba Lutheri[82] et damnantur in bulla Leonis[83].

[a] *ib.* contra [b] *ib.* Oxoniensis [c] *ib.* impertiri debent

[72] C. 12 *Omnis utriusque* X de poenit. et remiss. V 38 (*Friedberg* II 887).
[72a] Vide supra p. 242, 1ss.
[73] *Sixtus IV*, bulla *Licet ea* (9. Aug. 1478), errores Petri de Osma damnati n. 4: „Quod confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis" (*Du Plessis d'Argentré*, Collectio iudiciorum I, II 298. *Denzinger* l. c. n. 1414).
[74] Conc. Trid. VII, I 235, 4ss.
[75] Io. 20, 23.
[76] Cf. *Io. Eck*, De poenitentia III, c. 13 (Prima pars operum, Augustae Vind. 1530, 187r).
[77] Exod. 21, 15.
[78] Lev. 18, 7. 23; 20, 15s.
[79] De sacerdotio III, c. 6 (*Migne*, PG XLVIII 644).
[80] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 14, 29 (*Migne*, PL XL 1124).
[81] Comment. in Matth. III, c. 16, 19 (CChr. LXXVII 142, 97ss.).
[82] Sermo de poenitentia (a. 1518): „duo sunt notanda. Primum, ut nullo modo praesumas confiteri peccata venialia" (WA I 322, 21s.).
[83] *Leo X*, bulla *Exsurge*, errores M. Luther n. 8: „Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia" (*Mansi* XXXII 1051 E. *Mirbt–Aland* l. c. 506. *Denzinger* l. c. n. 1458).

Digitized by Google

Sextus articulus, videlicet: *Confessionem omnium peccatorum, quam ecclesia praecipit, esse impossibilem* ...[84]

54r intelligitur de praecepto confessionis dato in c. *Omnis*[a] *utriusque sexus*, quod | quisque fidelis *omnia sua peccata solus proprio sacerdoti semel in anno confiteatur*[85]. Quod re vera, si ad litteram intelligatur, quibusdam est impossibile. Qui enim[b] ab annis viginti confessi non sunt et perdite ac sine timore Dei vixerunt, non possunt omnia peccata mortalia confiteri specifice, quae admiserunt, eo quod multorum sunt obliti. Et praeceptum generaliter loquitur de peccatis omnibus, in quibus etiam venialia comprehenduntur, quae impossibile est universa distincte cognoscere et confiteri. Sed hac parte, qua *impossibile* est, praeceptum non obligat[86]. Nec fuit mens concilii illorum peccatorum confessionem praecipere. Nam omne praeceptum intelligitur de actu humano, qui est in nostra potestate, et eatenus solum, quatenus in nostra potestate est. Et ideo concilium Florentinum praeceptum Dei et ecclesiae interpretatur de peccatis, *quorum habetur memoria*[87] post diligens conscientiae examen. Et expedit populo christiano, quod praecepti divini de confitendo fiat determinatio ad tempus, hoc est in anno semel, ut invitetur et praeceptive moneatur ad confessionem, qui alias magna parte suam salutem et confessionem negligeret, sicut praeceptum divinum et naturale de colendo Deo determinatum est ad diem dominicam.

Quod in fine articuli dicitur: *neque confitendum esse tempore quadragesimae*, non video falsum esse, cum nec de hoc sit praeceptum divinum nec ecclesiae. Alicubi fortassis est bona et laudabilis consuetudo. Et quod semel in anno fiat confessio, est traditio humana, hoc est ecclesiastica, non tamen abolenda, quia multum utilis est et necessaria.

Septimus articulus, videlicet: *Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti* ...[88], |

54v manifeste rationi nominis adversatur et sententiae salvatoris, qui absolutionem exprimit verbis iudicialibus, videlicet: *remittere*, *retinere*[89], *ligare* et *solvere*[90], ut in coelis rata habeatur sententia, quae lata est in terris, de quo citavimus sententias b. Chrysostomi, Cypriani, Hilarii circa tertiam partem primi articuli[91]. Et re vera aliud est *solvere* et *remittere*, aliud *declarare* aut *pronuntiare remissa esse peccata*. Non sunt autem impropriianda[c] vel ad tropum trahenda verba salvatoris, quando in proprio sensu concorditer scriptores ecclesiastici ea intelligunt. Super isto aperta est definitio in concilio Florentino, quod dicit: „Minister huius sacramenti est sacerdos habens potestatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris"[92]. Et idem habet[d] concilium Constantiense[93] et Lateranense[94] sub Innocentio III.

Particula vero huius articuli: *etiamsi non sit contritus* usque in finem fundatur super particula praecedenti et ideo aeque scripturis adversatur.

Octavus articulus: *Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi* ...[95]

Quoad primam partem olim damnatus est in Donatistis, qui dicebant inutilia et irrita esse sacramenta, quae a malis ministrabantur[96]. Contra quam haeresim scribit b. Augustinus libris tribus Contra epistolam Parmeniani[97] et[e] septem libris, quos scribit De baptismo adversus
55r Donatistas[98]. | Et a sententia b. Cypriani, quam tradit de sacramentis ab haereticis ministratis[99], olim ecclesia catholica recessit[100]. Et si haereticorum et manifestorum peccatorum vera et efficacia sunt sacramenta, nihil dubitandum est de sacramentis, quae ab aliis, occultis scilicet peccatoribus, ministrantur. Et maxima esset incertitudo salutis fidelium, quam a Christo in sacramentis exspectant, si soli charitate praediti ligandi et solvendi potestatem haberent. Nam ex Christi promissione, qualiscumque fuerit minister, non ex eius sanctimonia efficacia sunt

[a] *Lo Pl.* omnes [b] *ib.* tamen [c] *ib.* impropriatim [d] *ib.* hoc [e] *ib.* uti et

[84] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 3s.
[85] Vide supra adn. 72.
[86] Reg. 6 *Nemo* in VI^to de regulis iuris V 12 (*Friedberg* II 1122).
[87] Decr. pro Armenis, c. 5, 4 (*Mansi* l. c. 1057 E. *Denzinger* l. c. n. 1323).
[88] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 7ss.
[89] Matth. 9, 2; Luc. 7, 47s.; Io. 20, 23.
[90] Matth. 16, 19; 18, 18.
[91] Vide supra p. 242, 9ss. cum adn. 24–26.
[92] Decr. pro Armenis, c. 5, 4 (*Mansi* l. c. 1058 A. *Denzinger* l. c. n. 1323).
[93] *Martinus V*, bulla *Inter cunctas*, interrogationes Wicleffitis et Hussitis propon. n. 20 (*Mansi* XXVII 1212 C. *Denzinger* l. c. n. 1260).
[94] Conc. Lateranense IV, c. 21 = c. 12 *Omnis utr.* X de poenit. et remiss. V 38.
[95] Conc. Trid. VII, I 236, 14ss.
[96] De quibus cf. *J. Ratzinger*, Donatismus, LThK III² 504s.
[97] Contra epist. Parmeniani (rec. *M. Petschenig*, CSEL LI 19–141).
[98] De baptismo (rec. *M. Petschenig*, ibid. 145–375).
[99] *Cyprianus*, epist. 71, c. 1 (CSEL III 771, 11ss.); epist. 74, c. 12 (ibid. 809, 15ss.).
[100] Cf. *B. Neunheuser*, Handbuch d. Dogmengesch. IV 2, Freiburg 1956, 44ss. *I. Finkenzeller*, LThK VI² 131s.

Digitized by Google

sacramenta. Et damnata est haec pars articuli in concilio Constantiensi inter articulos Ioannis Wiclefi art. 4[101].

Particula vero: *et non eos solos esse ministros absolutionis* innititur primae parti articuli praecedentis et ita haeretica est ut illa. Nam eisdem, quibus dixerat: *Sicut misit me pater etc.*[102], ⌜dicit etiam⌝[a]: *Quorum remiseritis peccata etc.*[103] Et hi soli habent potestatem ligandi et solvendi in foro conscientiae. Non autem omnes misit, *sicut misit* eum *pater*. Quod autem salvator dicit apud Marcum: *Quod vobis dico, omnibus dico*[104], intelligitur de his, quae sunt pietatis christianae, ut sunt vigilare, sobrium esse, sperare ac Deum diligere, non autem illa, quae sunt officii vel potestatis. Quod autem *absolvere* sit solum *declarare peccata esse remissa*, ut huius ita multorum pestilentissimorum errorum fons est et principium.

Nonus articulus: *Absolutionis ministrum, etsi contra prohibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere coram Deo* . . .[105],

intelligitur, ut putamus, de prohibitione reservante iusta subexistente causa et tunc erronea est, etiamsi episcopus fuerit minister absolutionis. Nam nisi sic intelligamus, non videmus, quomodo falsa sit prima pars articuli. Nam excommunicatus generali iuris sententia prohibitus est absolvere et sacramenta ministrare. | Vere tamen absolvit iuxta concessionem con- 55v
cilii Constantiensis[106] et Basiliensis[107] et in c. [10] *Si celebrat*[108] [X] de clerico excomm. ministrante [V 27] dicitur, quod *excommunicatus minore excommunicatione peccat sacramenta ministrando*, et tamen efficacia esse. Quando vero non subest causa reservandi, peccat superior reservans. Et quoad ordinarios ut episcopum vel parochos putamus regulariter esse invalidam reservationem et valere absolutionem coram Deo in casibus sic reservatis. Est autem causa reservandi legitima, quando saluti fidelium expedit casum esse reservatum. Quod[b] si contra charitatem militet, ut diximus, invalida est, cum non sit *data potestas ad destructionem*, sed *ad aedificationem* tantum[109].

Et quia multus est excessus et exorbitantia in his casibus, qui reservantur a[a] S^mo^ D. N. episcopis et aliis praelatis et quos episcopi reservant pastoribus, bene consuleretur ecclesiae, si per sacrum concilium fieret moderatio et declaratio huiusmodi casuum. Expediret enim, quod casuum[c], in quibus passim peccatur, ut est nunc peccatum haeresis in Germania superiore et inferiore, non ⌜fieret reservatio⌝[d], sed relinqueretur episcopis et fortassis pastoribus ecclesiarum. Expediret etiam, quod peccata occulta non reservarentur nec aliqua ante annum vigesimum aut vigesimum secundum vel tertium commissa. Quantum vero animarum detrimentum sequatur multam hanc casuum reservationem, per experientiam noverunt pastores parochiales, qui meras perplexitates et angustias conscientiae ex hac reservatione patiuntur. Et quia prima pars articuli vera est, si ⌜prohibitio generaliter⌝[e] intelligatur, melius esset ponere *reservationem* loco *prohibitionis* et dicere: *si contra reservationem superioris etc.*

Et similiter secunda pars articuli erronea est, si intelligatur de reservatione, quae est ex iusta causa et in aedificationem ecclesiae.

Decimus articulus: *Totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem* . . .[110] |

Hic videndum est, an sic generaliter doceant Protestantes. Scimus[f] Philippum Melanchtho- 56r
nem in Locis[g][111] et alibi[112] docere, quod poena huius seculi Deus vindicat peccata etiam quoad culpam remissa, sicut David multam vindictam et poenam sustinuit post peccatum remissum, hoc est postquam dixerat ei Nathan propheta: *Transtulit Deus peccatum tuum*[113]. Nam et praedicebat ei flagella, quae erat ob peccatum suum adhuc passurus. Et ideo videtur, quod addi debeat: *totam poenam in futuro seculo peccatis*[h] *debitam*. Satis tamen credimus Ioannem Calvinum

[a] *om. Le Pl.* [b] *ib.* quae [c] *ib.* casus [d] *ib.* foret reservatus
[e] *ib.* prohibetur, donec aliter [f] *ib. add.* enim [g] *ib.* concionibus [h] *cod.* peccata

[101] Conc. Constantiense, sess. VII, errores Io. Wiclef damn. n. 4 (*Mansi* XXVII 632 E. 1207 E. *Denzinger* l. c. n. 1154).
[102] Io. 20, 21.
[103] Io. 20, 23.
[104] Marc. 13, 37.
[105] Vide Conc. Trid. VII, I 237, 6ss.
[106] *Martinus V*, bulla *Inter cunctas*, interrogationes n. 22 (*Mansi* l. c. 1212 C. *Denzinger* l. c. n. 1262).
[107] Cf. articulos a card. Iuliano Caesarini Basileae die 28. Ian. 1433 Bohemis propositos, n. 16 (*Mansi* XXX 258 E. *Hefele-Leclercq* VII, II 771).
[108] *Friedberg* II 832.
[109] 2 Cor. 10, 8; 13, 10.
[110] Vide Conc. Trid. VII, I 237, 11ss.
[111] Loci theologici, de fide: „David vero rursus ad Deum conversus est, sed tamen sensit onus poenarum corporalium et scandalorum tota vita“ (Corp. Ref. XXI 888). Ibid. de satisfactione: „monstratur discrimen remissionis culpae et remissionis poenarum temporalium, recitantur poenae temporales, in quibus vult Deus iram suam adversus peccata conspici, ut in poena Davidis“ (l. c. 901s.).
[112] Apologia Conf. Aug., art. XII, n. 56 (Die Bekenntnisschriften I 262, 26ss.).
[113] 2 Reg. 12, 13.

Digitized by Google

dicere, quod nec huius temporis poena relinquitur, sed disciplina quaedam castigatoria[114]. Sed verbis ludit. Nam poenam huius seculi nos ferre peccato remisso testantur calamitates, quas patimur, et mors ipsa; nam *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum et per peccatum mors*[115]. Imo et futuri seculi poenas nos sustinere remissa culpa testatur longa patrum mora in tenebris inferni sive in limbo et dilatio resurrectionis corporum, quae poena est sequens, scilicet poenam mortis. Et scripturae palam repugnant primae parti huius articuli, intellectae etiam de poenis futuri seculi. Nam Ioannes Baptista hortatur *facere dignos fructus poenitentiae*[116], ubi Gregorius[117], Augustinus[118], Chrysostomus[119] et omnes veteres docent concorditer, quod a quibusdam licitis debeat abstinere, qui illicita se meminit admisisse; nam alios, inquiunt, esse fructus poenitentiae aliosque virtutum. Et tanta est in isto patrum consensio, ut ipse Calvinus scribat: „Parum", inquit, „me movent, quae in veterum scriptis passim de satisfactione occur-
56v runt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes fere, quorum libri extant, | hac in parte lapsos esse aut nimis aspere et dure locutos", cap. 5 Institutionis suae de poenitentia[120].

In probationem autem falsitatis huius partis adducemus solum duos, Chrysostomum et Augustinum, ex scripturis palam docentes non semper remitti alterius seculi poenam remissa culpa. Nam alter[a] 4 homilia de poenitentia: „Poenitentiam", inquit[b], „exhibuit David ita dicens: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo*[121]. Et olim patratum peccatum post tot tempora, quasi nuper accidisset, lugebat etc."[122] Et Augustinus in Enchiridio c. 71: „Delet", inquit, „oratio quotidiana fidelium minima et quotidiana peccata et pro eis satisfacit. Delet et illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit"[123]. In melius quippe est vita mutanda et per eleemosynas de peccatis praeteritis propitiandus est Deus. Miserando delet iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Quod *satisfactio poenitentium sit fides*, non meminimus legere apud Protestantes. Nec verisimile est eos hoc dicere, cum *odiant nomen satisfactionis*[124]; nam optat Martinus, quod nunquam eius usus fuisset in ecclesia[125]. Verum est tamen, quod fide apprehendente iustitiam et satisfactionem Christi omnia peccata docent remitti quoad culpam et poenam. Docent enim[c], quod per fidem nostra fiat satisfactio Christi, ut non minus condonentur nobis omnia peccata, quam si ipsi eadem passi essemus[126].

Et[b] *causa exempli, disciplinae vel probandi fideles institutas fuisse* et poenitentibus impositas poenas canonicas pro publicis peccatis credimus verum esse, sed ⌜quod tantum⌝[d] ob has causas et non ob remissionem poenae palam reclamant patres[e] tractantes verbum Ioannis Baptistae: *Facite dignos fructus poenitentiae*[116]. Et quia haec pars articuli de facto et intentione patrum[f] loquitur, erronea est, non haeretica.

57r Et satisfactiones non esse primum *ortas* | *in concilio Nicaeno*, quamvis et tunc vetustissimus esset earum usus[127], testantur canones apostolorum[128] et praecedentium conciliorum, Tertullianus[129] et Cyprianus[130], qui saepe de his satisfactionibus loquuntur.

[a] *Le Pl.* Chrysostomus [b] *om. Le Pl.* [c] *ib.* etiam [d] *ib.* quia tamen
[e] *ib.* peccatores [f] *ib.* peccatorum

[114] *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 9 de poenitentia, n. 53: „Hoc est, dum nos filii Dei manu coelestis patris affligimur, non haec poena est, qua confundamur; sed castigatio duntaxat, qua erudiamur" (l. c. 726).

[115] Rom. 5, 12.

[116] Matth. 3, 8.

[117] *Gregorius I*, hom. 20 in evang. Luc. 3, 1ss., c. 8 (*Migne*, PL LXXVI 1163 D).

[118] De civitate Dei XXI, c. 27 (CChr. XLVIII 800, 48ss.). Cf. De utilitate ieiunii c. 5, 6 (*Migne*, PL XL 711).

[119] In Matthaeum hom. 10, c. 6 (*Migne*, PG LVII 190).

[120] Institutio relig. christ., secunda recensio (1539–1554) c. 9 de poenit., n. 58 (l. c. 729); in prima recensione (a. 1535) c. 5 (l. c. 174).

[121] Ps. 6, 7.

[122] Potius in epist. ad Hebr. hom. 31, c. 3 (*Migne*, PG LXIII 215/16). Cf. De paenitentia hom. 7, c. 5 (*Migne*, PG XLIX 331).

[123] Enchiridion c. 19, 71 (CChr. XLVI 88, 10–15).

[124] *M. Luther*, Assertio omnium articulorum, art. 5: „Vehementer autem odi et sublatum vellem hoc vocabulum *satisfactio*, quod non modo in scripturis non invenitur, sed et periculosum habet sensum" (WA VII 113, 16s.).

[125] *Idem*, De captivitate Babylon.: „Primum eam sic docuerunt, ut populus veram satisfactionem non intelligeret unquam, quae est innovatio vitae" (WA VI 548, 20s.).

[126] Apologia Conf. Aug., art. IV, n. 56–57: „Sentiendum est igitur, quod reconciliati fide propter Christum iusti reputemur... Longe supra nostram munditiem... collocari debent mors et satisfactio Christi, nobis donata, ut statuamus nos propter illam satisfactionem habere propitium Deum" (l. c. I 195, 40ss.). Cf. ibid. n. 86 (l. c. 178, 27ss.) et art. XII, n. 116ss. (l. c. 276, 1ss.).

[127] Cf. conc. Nicaenum I, can. 5 (*Bruns* I 15. *Lauchert* 38, 13s.).

[128] Cf. canones apostolorum 2, 5–7 etc. (= Constitutiones apost. VIII 47, 2, 5–7 etc., *Funk*, Didascalia I 564, 7. 17ss.), quos vero non ante finem saec. IV collectos esse constat.

[129] De paenitentia c. 8, 9 et 9, 2 (CChr. I 336, 6s. 35s.).

[130] De lapsis c. 34 (CChr. III 240, 662s.). Ad Antonianum epist. 55, c. 27, et ad Fidum epist. 64, c. 1 (CSEL III 646, 4 et 717, 13s.).

Digitized by Google

Undecimi articuli, qui sic habet: *Optimam poenitentiam esse novam vitam poenisque temporalibus a Deo inflictis minime satisfieri* ...[131]

prima pars haeretica est excludens satisfactionem et poenitentiam. Non enim satis est ad hoc, quod remittantur peccata et pro eis satisfiat, quod bonam vitam instituat, qui vixit male, ut puta[a], quod adulter caste vivat et ebriosus sobrie. Suasit enim Petrus Simoni mago, quod *poenitentiam ageret a sua nequitia*[132], et in Apocalypsi *angelo* cuiusdam *ecclesiae* dicitur: *Poenitentiam age*[133] et salvator in evangeliis: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*[134]. Et Eccli. 21 [1] cap.: *Fili, peccasti? Non adicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.*

Reliquae partis[b] articuli de satisfactione ex praedictis est manifesta falsitas, eo quod nititur super illo, quod tota poena futuri seculi simul cum culpa semper remittitur, et sanctorum exempla et monitiones aliud docent, ut diximus circa articulum praecedentem. Poenae tamen electis a Deo inflictae proprie non sunt satisfactiones, ut ait b. Thomas[135], sed vindictae et flagella, quibus expiatur reatus ex[c] peccato dimisso relictus.

Duodecimi articuli, qui habet: *Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et vero Dei cultu atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes* ...[136] |

prima pars vera est proprie et per se loquendo. Nam cultus Dei est actus religionis, satisfactio vero potius est iustitiae vindicativae, cum sit executio iustae sententiae iudicis quoad poenitentiam impositam. Potest tamen referri sicut aliarum virtutum actus ad finem religionis et Deum colendum, et tunc fiet cultus Dei et Deo placet, quod facimus iudicium, sicut eius cultus. Nam dicit Dominus Mich. 6 [8]: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam etc.* Et satisfactiones non sunt *traditiones hominum*, quasi ex sola hominis essent institutione, sed sunt ex iure naturae et divino. Nam quod filius placet patrem, quem offendit, et ab eo suscipiat *disciplinam* vel emendam, iuris naturae est, ut b. Paulus insinuat cap. 12 [5] epist. ad Hebr. In specie tamen satisfactiones poenitentiales imponuntur ex arbitrio sacerdotis et ex natura et institutione sacramenti, et ita ex iure divino impositas implere oportet. Quae autem[d] sponte assumuntur, vel sunt praeceptae, dum dicitur: *Facite dignos fructus poenitentiae*[116], secundum patrum interpretationem, vel saltem consulte, ut graviorem Domini manum fugiamus iuxta sententiam apostoli: *Si nos ipsos iudicaremus etc.*[137] Et tantum abest, ut obscuretur gratia Christi, *beneficium mortis* eius et *verus Dei cultus* per satisfactiones, ut potius illustrentur plurimum. Nam per Christi gratiam et beneficium mortis eius tam *divites facti* sumus[138] *in omnibus* donis spiritualibus, ut ipsi ex nostro thesauro, quem a Christo accepimus, satisfacere possimus pro debitis, quae contraximus. Nec mirandum, quando[e] Christus suo spiritu sicut caput in nobis, membris eius, operatur. Idem enim spiritus charitatis et fidei, per quem patri gratus fuit filius, in nobis habitat et operatur, ex quo est dignitas, gratia et valor, ut opera nostra satisfacere possint, | Deum placare et mereri vitam aeternam; non autem a nobis, ut nostra sunt, hunc valorem et gratiam habent nostra opera.

Et fictiones esse, quod virtute clavium etc., probabile est, si haec commutatio fieri intelligatur in temporalem alterius rationis, ut doctores communiter docent. Nam probabiliter b. Thomas in III parte quaest. 86 art. 4 contrariam sequitur sententiam, quod scilicet maneat poena debita conversioni, quae fuit in peccato mortali. Solum tollatur eiusdem aeternitas et alia, quae hostilitatem sequuntur, ut sunt desperatio et odium Dei. Credimus sensum articuli esse, quod remissa culpa mortali solum debeatur poena temporalis, et ideo nobis videtur, quod nomen *commutationis*, super qua, ut dixi, apud doctores est disputatio, omitti debeat et aliud eius loco substitui.

Ultima pars contrariatur verbo salvatoris: *Quodcumque ligaveris etc.*[139]; nam ad claves pertinet ligare et poenas imponere sicut absolvere, ut aperte convincunt verba salvatoris et natura iudicii, ut saepe diximus superius.

[a] *ib.* utpote [b] *ib.* partes [c] *om. Le Pl.* [d] *ib.* tamen [e] *ib.* quod

[131] Conc. Trid. VII, I 238, 1ss.
[132] Act. 8, 22.
[133] Apoc. 2, 5. 16; 3, 3. 19.
[134] Luc. 13, 3.
[135] Summa th. III, Suppl. qu. 15, art. 2.
[136] Conc. Trid. VII, I 238, 7ss.
[137] 1 Cor. 11, 31.
[138] Cf. 1 Cor. 1, 5. [139] Matth. 16, 19.

Digitized by Google

Articuli de extrema unctione

Primus: *Extremam unctionem non esse sacramentum etc.*[1]

Huius articuli pars prior, nempe *extremam unctionem non esse sacramentum novae legis, sed ritum tantum acceptum a patribus aut humanum figmentum*, haeretica est, quia palam et manifeste contrariatur sacrae scripturae, quae extat apud s. Iacobum c. 5 [14–15]: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, ut orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus et, si in peccatis sit, remittentur ei.* Quae d. Iacobi verba visa sunt olim ipsi Luthero ita aperte statuere extremae unctionis sacramentum, ut, cum ipsi
58v tollendum hoc sacramentum et reiciendum pro suo haeretico spiritu videretur, | hoc potissimum consilium invenerit, quo doctrinam hanc d. Iacobi illuderet, ut contra ecclesiae sententiam et generalium conciliorum apertas et perspicuas determinationes negaret epistolam, quae d. Iacobi nomine censetur, esse *apostolico spiritu* conscriptam et vel non esse d. Iacobi vel certe, si eius sit, eum excessisse suae legationis mandatum, dum instituit sacramentum aliquod, cuius instituendi mandatum non haberet[2]. Quae Lutheri de auctoritate dictae epistolae doctrina et assertio cum eius discipulis videretur manifeste repugnare universorum patrum atque adeo totius ecclesiae catholicae sententiae et determinationi, recepta epistolae authoritate commentum aliud aeque Martini Lutheri sequuntur, quo aperte doctrinae Iacobi falsum sensum affingunt, videlicet d. Iacobum in dictis verbis non agere de aliquo sacramento extremae unctionis, sed de unctione infirmorum, de qua scribit Marcus c. 6 [13] evangelii sui, apostolis scilicet a Domino datam fuisse potestatem sanandi infirmos a variis languoribus, quibus detinebantur[3], ad confirmationem videlicet doctrinae, quam praedicabant, eaque potestate apostolos usos adhibita olei unctione, sicut Dominus ipse salvator in curandis infirmis legitur interdum adhibuisse aut luti inunctionem aut sputi aut contactus manuum usum[4]. Verum hoc quoque impium commentum convellit sanctorum patrum constans doctrina, sicut videre licet apud d. Chrysostomum in l. 3 De dignitate sacerdotali[5], apud Innocentium I in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum[6], item apud Innocentium III [X] de sacra unctione [I 15] c. [un.] *Cum venisset*[7], apud Augustinum l. 2 De visitatione infirmorum[8], denique apud d. Bernardum in vita Malachiae[9] et alios quamplurimos patres, qui constanter hunc Iacobi locum docent intelligendum esse de sacramento extremae unctionis. Quin et in concilio Florentino extat manifesta definitio patrum doctrinam comprobans per haec verba: „De hoc sacramento inquit b. Iacobus apostolus: *Infirmatur quis in vobis etc.*“[10] Et certe ex verbis ipsis d. Iacobi satis manifeste colligitur
59r unctionem, de qua agit Iacobus, non pertinere ad illam[a] inunctionem | olei, quam adhibebant apostoli, dum per *gratiam curationum*[10a] *sanabant infirmos*[11]; nam iubet Iacobus ad infirmos induci non qui *gratiam curationum* habebant, sed *presbyteros ecclesiae*, quos passim fuisse praeditos dono *curationum* apud scriptores ecclesiasticos non legitur.

Loquitur igitur d. Iacobus de unctione, quae constitutis in extremis vitae in Christi ecclesia adhibetur. At eam fuisse vere ac proprie sacramentum novae legis satis insinuat, dum et signum externum et visibile exprimit, nempe inunctionem olei, et promissionem divinam huic externo signo coniunctam his verbis: *Et oratio fidei salvabit infirmum* inunctum *et alleviabit eum Dominus et, si in peccatis sit, remittentur ei*, et effectum multiplicem his verbis: *salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus et, si in peccatis est, remittuntur ei.* Et Innocentius I[6] et III[7] et concilium Constantiense[12] et Florentinum[10] nominant extremam unctionem inter sacramenta ecclesiae. Et b. Ber-

[a] *ib.* istam

[1] Vide Conc. Trid. VII, I 239, 4s.

[2] *M. Luther*, De captivitate Babylon.: „Omitto enim, quod hanc epistolam non esse apostoli Iacobi nec apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant ... Tamen si etiam esset apostoli Iacobi, dicerem, non licere apostolum sua autoritate sacramentum instituere“ (WA VI 568, 9–13).

[3] *Ph. Melanchthon*, Loci theol. XIII, de unctione: „Hunc veterem morem renovavit Christus, cum misit apostolos, iussit eos mederi aegrotis et instruxit dono sanandi ... Sed ritus unctionis, qui nunc est, tantum est superstitiosa ceremonia“ (l. c. 853).

[4] *Io. Calvinus*, Institutio c. 19, n. 18: „Refert Marcus (6, 13) apostolos in prima sua missione iuxta mandatum, quod a Domino acceperant, ... infirmos sanasse, in curatione autem aegrorum oleum adhibuisse ... Huc respexit Iacobus, quum iussit accersi presbyteros ad ungendum infirmum ... Dominus caeco redditurus visum ex pulvere et sputo lutum composuit (Io. 9, 6); alios tactu sanavit, alios verbo. Ad hunc modum apostoli alios morbos solo verbo, alios tactu, alios unctione curarunt“ (l. c. 1079).

[5] De sacerdotio III, c. 6 (l. c. 644).

[6] *Innocentius I*, ad Decentium epist. 25, c. 8, 11 (*Migne*, PL XX 560 A).

[7] *Friedberg* II 131s.

[8] *Ps.-Augustinus*, De visitatione infirmorum II, c. 4 (*Migne*, PL XL 1154).

[9] *Bernardus Claraevall.*, Vita s. Malachiae c. 24 (*Migne*, PL CLXXXII 1104 A).

[10] Decr. pro Armenis (*Mansi* l. c. 1058 C. *Denzinger*, Enchiridion l. c. n. 1325).

[10a] Cf. 1 Cor. 12, 28. 30.

[11] Marc. 6, 13.

[12] *Martinus V*, bulla *Inter cunctas*, interrogationes n. 19 (*Mansi* l. c. 1212 C. *Denzinger* l. c. n. 1259).

Digitized by Google

nardus scribit de Malachia episcopo, quod suscitata a morte muliere *gratias agens benedixit Dominum*[a] *et unxit eam, sciens in hoc sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei salvet infirmum*[9].

Quod autem haeretici obiciunt Iacobum non agere de sacramento extremae unctionis[13], quod videlicet nonnisi extreme laborantibus administrari consuevit in ecclesia, primum ex eo, quod Iacobus loquitur non tantum de extreme laborantibus, sed de quibuslibet infirmis[14], dum dicit generali sermone: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae* ad infirmum etc. Secundo ex eo, quod effectus unctionis et orationis describitur a Iacobo *alleviatio* infirmi etc. et sub conditione remissio peccati, cum tamen principalis effectus sacramenti sit spiritualis, utpote remissio peccati, et non corporalis, qualis est alleviatio infirmi[15]. Denique etiam ex eo, quia[b] sacramentum quodlibet requirit certam et firmam promissionem de effectu aliquo spirituali donando ei, qui sacramentum suscipit; sed effectus alleviationis et remissionis peccatorum | hic insinuatur expectandus ex ore vel deprecatione presbyterorum inungentium[16], quae [59v] gratiae divinae innititur et non infallibili assistentiae divinae virtutis.

Has calumnias ipsae circumstantiae sententiae Iacobi satis reiciunt. Nam quod de extreme laborantibus loquitur, satis insinuat particula illa: *et si in peccatis sit, remittuntur ei;* nisi enim de eo loqueretur, qui iam per poenitentiae sacramentum susceptum et per eucharistiae sacrosanctae cibum et viaticum communitus diligenter expurgatus a peccatis merito censendus esset, ut illo protectus possit tutus ex hac vita emigrare, non ita suspense dixisset de infirmo: *et si in peccatis est, remittuntur ei.* Sed si generaliter de quolibet infirmo sensisset, palam professus fuisset cum d. Ioanne infirmum quoque *sine peccato*[17] non esse et proinde non suspense, sed diserte dixisset: et peccata, in quibus est, *remittentur ei.* Similiter effectum spiritualem huius sacramenti non suspense, sed absolute expressit Iacobus, dum dixit: *et oratio fidei salvabit infirmum.* Salus enim illa intelligenda est spiritualis salus et *mentis sanatio,* ut habet definitio concilii Florentini[18]. Et deinde inducatur et corporalis effectus, sanatio sive *alleviatio* corporalis: *inquantum expedit* infirmi saluti, quanquam fieri non possit, quin infirmus per gratiam divinam quantum ad mentem iam perfecte sanatus a peccatis simul ac peccatorum reliquiis abolitis, per quandam redundantiam corporaliter quoque sanetur et allevietur. Postremo ex verbis apostoli Iacobi satis insinuatur certissimam promissionem de effectu spiritualis sanationis esse adiunctam orationi ac deprecationi inungentium, dum dicit Iacobus: *et oratio fidei salvabit infirmum.* Perinde enim hoc valet, ac si dixisset: et orationi presbyterorum sic assistet Deus, ut per eam largiatur certissime sanitatem desyderatam et petitam. |

Secunda pars primi articuli: *unctionem extremam non esse sacramentum a Christo institutum* [60r] similiter haeretica est, quia affirmat hoc sacramentum non habere virtutem sanctificandi animam ex Christi institutione et authoritate, sed esse sacramentum a d. Iacobo citra mandatum Christi institutum. Satis enim constat ex verbis divi Iacobi, quod non suis verbis instituerit novum sacramentum, sed quod sacramentum a Christo institutum exhortetur infirmis administrandum. Nam adhortantis verba sunt, non sacramentum aliquod novum instituentis; dicit enim: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros etc.*

Articulus secundus: *Unctionem extremam non conferre gratiam nec remissionem peccati, sed nec alleviare infirmos*[19].

Haeretica est haec pars secundi articuli utpote repugnans manifestae[c] doctrinae apostoli Iacobi docentis, quod *oratio fidei salvabit infirmum,* hoc est, ut interpretatur concilium Florentinum[18], conferet *mentis sanationem,* quae non fit nisi per gratiam divinam, *et alleviabit infirmum* quantum ad corpus, si ita expediat saluti infirmi, et peccata remittet ei, si modo peccatum habeat. Et sicut tradidit ac definivit concilium Florentinum *effectum* huius sacramenti esse *mentis sanationem* simul *et corporis, inquantum* tamen saluti infirmi hoc *expediat*[18], iuxta apostoli

[a] *ib.* Dominus [b] *ib.* quod [c] *ib.* manifeste

[13] *Io. Calvinus,* Institutio c. 19, n. 21: „Iacobus, dum simpliciter ungi infirmos iubet, non aliam unctionem mihi significat quam vulgaris olei; nec aliud habetur in Marci narratione“ (l. c. 1080).

[14] Ibid.: „Iacobus omnes infirmos vult inungi; isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, quum iamiam anima in primoribus labris laborat vel, ut ipsi loquuntur, in extremis“ (l. c. 1080). *M. Luther,* De captivitate Babylon.: „Cur faciunt ipsi extremam et singularem unctionem ex ea, quam apostolus voluit esse generalem? Neque enim apostolus extremam esse voluit et solum morituris dandam“ (WA VI 568, 21ss.).

[15] Cf. *M. Luther* ibid. (l. c. 568, 31ss.).

[16] *M. Luther* ibid.: „Et hoc ipsum ... Iacobus providit, dum promissionem sanitatis et remissionis peccatorum non tribuit unctioni, sed orationi fidei ... Sacramentum enim non exigit orationem aut fidem ministri ..., sed nititur in sola promissione et institutione Dei, exigens fidem suscipientis“ (l. c. 570, 11–17).

[17] Io. 8, 7.

[18] Decr. pro Armenis c. 5, 5 (*Mansi* l. c. 1058 C. *Denzinger* l. c. n. 1325).

Digitized by Google

Iacobi doctrinam, ita ante concilium Florentinum incunctanter tradiderunt sacri et antiqui ecclesiae doctores. Nam Chrysostomus lib. 3 De dignitate sacerdotali scribit de potestate sacerdotum in hunc modum: „Neque enim solum, cum nos regenerant, sed postmodum etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. *Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis? Accersat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et obsecratio fidei salvum reddet laborantem, et eriget eum Dominus*[a], *et si in peccatis sit, remittentur ei*"[20]. Simi-
60v liter | Bernardus in vita Malachiae episcopi palam testatur Malachiam episcopum sensisse sacramentum extremae unctionis conferre gratiam; nam *contestatus est* Malachias *nullam se recepturum consolationem, nisi, quam tulerat, liceret restituere gratiam; sibi* enim *imputabat*, ut scribit b. Bernardus[21], *quod fraudata gratia sacramenti obierat*, scilicet non ministrando extremam unctionem.

Secunda pars articuli secundi: *qui olim per gratiam etc.*, haec pars non videtur satis exprimere sententiam haereticorum, quam tamen videtur velle exprimere. Docent enim haeretici inunctionem, quae olim adhibita est infirmis, non operatam esse nisi corporalem sanitatem, idque non per virtutem propriam, sed per potestatem et donum *curationum*, quibus praediti erant apostoli et alii quidam in primitiva ecclesia, et perinde, cum iam cessaverit *gratia curationum*[22], cessasse quoque et huius inunctionis usum[23]. Quare commodius redderetur haec sententia his verbis: *et olim inunctionem infirmis adhibitam non propter aliquem spiritualem*[b] *effectum consequendum, sed tantum propter corporalem sanationem per eos, qui donum curationum habebant, conferendam, et ideo eam cessasse, sicut et gratia curationum cessavit in ecclesia.* Et sic posita[c] particula palam et manifeste haeretica est, utpote repugnans clarissimis Iacobi verbis et patrum ac concilii Florentini doctrinae.

Articulus tertius: *Extremae unctionis ritum et usum non observari ab ecclesia Romana iuxta b. Iacobi*[d] *apostoli sententiam*[24].

Haeretica est haec prima pars articuli, si intelligatur, quod ecclesia Romana non observat hunc ritum et usum secundum ea, quae sunt de substantia vel necessitate sacramenti. Nam plures adducendos presbyteros hortatur Iacobus, non mandat; nam adhortantis, non praecipientis sunt verba: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros etc.* Atque ita definit Alexander III
61r in c. [14] *Quaesivit* [X] de verb. signif. [V 40]: | „Nos", inquiens, „ita duximus tibi respondendum, quod sacerdos uno praesente clerico et etiam solus potest infirmum inungere"[25]. Et quod sententia Iacobi solum intelligatur de infirmo, qui de vita periclitatur, non de quolibet infirmo, quodque unctionem intelligat fieri ad effectum spiritualem, non ad salutem corporalem principaliter, ex superioribus est manifestum. Et mirum est ex plurium presbyterorum mentione adversarios argumentum sumere[26] contra unctionis sacramentum aut eius administrandi ritum *ab ecclesia Romana observatum*, quasi aut illud constare non possit sine pluribus presbyteris adhibitis, aut certe, si sine pluribus constare possit, de sacramento non agat, propterea quod plures presbyteros inducendos monet, cum[e] etiam, si de *gratia curationum* per inunctionem exercenda loqueretur Iacobus, non necessarium foret plures habentes *gratiam curationum*[22] convenire ad sanandum infirmum, cum per quemlibet possit infirmus curari. Sicut igitur, si de *gratia curationum* locutus esset apostolus, sic intelligenda esset eius monitio de pluribus presbyteris inducendis, ut tamen unus quilibet habentium virtutem sanitatum posset per se sufficere, ita et de sacramenti unctionis pluribus ministris intelligenda est eius sententia et doctrina.

Secunda particula articuli: *sacrae unctionis ritum, quem nunc Romana observat ecclesia, mutandum esse etc.* ex eadem causa erronea est et damnanda, ex qua particula prior; innititur enim et illa falsis fundamentis prioris particulae.

[a] *ib.* Deus [b] *ib.* specialem [c] *ib.* exposita [d] *om. Le Pl.* [e] *Le Pl.* quin

19 Vide Conc. Trid. VII, I 239, 9ss.
20 De sacerdotio III, c. 6 (*Migne* l. c. 644).
21 Vita s. Malachiae c. 24 (l. c. 1103 D).
22 Cf. 1 Cor. 12, 28. 30.
23 *Io. Calvinus*, Institutio c. 19, n. 18: „Caeterum evanuit gratia illa curationum, quemadmodum et reliqua miracula, quae ad tempus edi voluit Dominus ... Ut igitur maxime demus unctionem sacramentum fuisse earum virtutum, quae tum per manus apostolorum administrabantur, nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum administratio commissa non est" (l. c. 1079).
24 Vide Conc. Trid. VII, I 240, 1s.
25 *Friedberg* II 915.
26 *M. Luther*, De captivitate Babylon.: „Sed nec hoc servant isti, quod apostolus iubet presbyteros ecclesiae induci ... Vix unus sacerdotulus nunc mittitur, cum apostolus velit multos adesse, non propter unctionem, sed propter orationem. Unde dicit: *Oratio fidei* ..." (l. c. 569, 26–28).

Digitized by Google

Quartus articulus: *Extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem aut presbyterum ecclesiae*[27].

Haec particula haeretica est utpote repugnans doctrinae d. Iacobi [5, 14] describentis ministros huius sacramenti esse *presbyteros ecclesiae*, cuius doctrinam interpretatum est concilium Florentinum, dum definit *ministrum huius sacramenti esse sacerdotem*[28]. Et Innocentius I in epistola ad Decentium Eugubinum olim docuit ministrum huius sacramenti | esse vel episcopum vel 61v sacerdotem sive presbyterum[29]. Quod autem Ioannes Calvinus in suis Institutionibus in cap. de sacramento extremae unctionis obicit[30] *Innocentium papam, qui aetate Augustini Romanae ecclesiae praefuit*, qui dicitur Innocentius eius nominis primus, *instituisse, ut non presbyteri modo sed etiam omnes Christiani oleo uterentur inungendo in suam suorumque necessitatem*, et perinde Innocentium docuisse quemlibet e christiano populo posse esse ministrum huius sacramenti, inungendo videlicet infirmum, depravat Calvinus sententiam Innocentii. Nam Innocentius hoc tantum docet, quod sacro oleo *ab episcopo* consecrato *uti licet* in necessitate *non solis sacerdotibus* consecratis, *sed omnibus* omnino fidelibus inungendo, hoc est, ut illo inungantur iuxta Iacobi sententiam; non enim de ministro sacramenti loquitur, sed de utentibus sacramento.

Altera particula: *extremae unctionis ministros non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed seniores in*[a] *qualibet communitate*, haec particula haeretica est. Repugnat enim sacrae scripturae, quae per presbyteros ecclesiae et hoc loco Iacobi et aliis quamplurimis locis presbyteros ecclesiae non alios intelligit, quam qui ab episcopis ordinati sunt, sicut videre licet ex epistolis Pauli scriptis ad Timotheum et Titum[31]; item ex 20 [28] cap. Act.[b] Et concilium Florentinum post Innocentium I in epistola supra citata secutum[c] Iacobi doctrinam definit *ministrum* extremae unctionis *esse sacerdotem*[28], quo vocabulo haud dubie intellexit eum tantum, qui ab episcopo est ordinatus et consecratus.

2.

D. Ruardus Tapper, decanus S. Petri Lovaniensis Resolutio, quam dedit ad materiam de satisfactione legatoque per Ill. D. D. Wilelmum a Pictavia, oratorem Caesareum, exhibuit visam ac approbatam prius ab aliis magistris eiusdem collegii[1]

Vindobonae, Tabul. publ. *[Haus-, Hof- u. Staatsarchiv], Religionsakten fasc. 14, C n. 152*, 72r–79v *(copia coaeva Caroli de Langhe)*

Si circa articulos de satisfactione propositos tres explicentur difficultates, manifestior Vindobonae 72r erit fidei nostrae veritas et articulorum improbabilitas.

Prima est: *Quomodo remissa culpa plerumque adhuc maneat poena pro eadem in futuro saeculo solvenda?* Poena enim per se debita peccato etiam remisso ad futurum saeculum[d] pertinet, in quo fit bonorum et malorum retributio, quod nunc supponitur, cum hoc non spectet proprie ad difficultates, quae nunc tractantur. Causa huius dubitationis est, quod (teste Augustino[2]) impium est *dimidiam* a Deo *sperare veniam*. Et apud prophetam Ezechielem ait Dominus:

[a] *ib.* ex [b] *ib.* cit. [c] *ib.* secutus [d] *Le Pl. perg.* non

[27] Vide Conc. Trid. VII, I 240, 6s.

[28] Decr. pro Armenis (*Mansi* l. c. 1058 C. *Denzinger* l. c. n. 1325).

[29] Ad Decentium epist. 25 (19. III. 416), c. 8, 11 (l. c. 560 B).

[30] Institutio c. 19, n. 21: „Referunt enim Innocentium papam, qui Augustini aetate Romanae ecclesiae praefuit, instituisse, ut non presbyteri modo sed omnes etiam Christiani oleo uterentur in suam suorumque necessitatem ungendo. Autor Sigebertus in Chronico" (l. c. 1081). Vide *Sigeberti Gemblacensis* Chronicam (MG SS VI 305, 2–4. *Migne*, PL CLX 72 A).

[31] 1 Tim. 4, 14; 2 Tim. 1, 6; Tit. 1, 5.

[1] Hanc *Resolutionem* auctor legato concilii in scriptis exhibuit. Postquam enim die 21. Oct. 1551 articulos 1–7 de poenitentia examinavit, congregatio theologorum hora 17 cum dimidia dimissa est. Quia vero *super aliis etiam articulis dicere vellet*, ei dicebatur, *quod afferret in scriptis ea, quae ultra praemissa per eum dicenda erant, ut etiam illa a sancta synodo considerari possent*, Conc. Trid. VII, I 250, 21ss. *Resolutionem* ipsam ex eodem cod. Vindobonensi, qui olim in tabulario Bruxellensi asservabatur, edidit *Le Plat* IV 311–320. De auctore cf. supra p. 239, adn. 1.

[2] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 9, 24: „Quaedam enim impietas infidelitatis est ab illo, qui iustus et iustitia est, dimidiam sperare veniam" (*Migne*, PL XL 1121).

Digitized by Google

Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum[a] *eius non recordabor*[3]. Nam iuxta sententiam beati Ambrosii[4] poenitentia omnes defectus ad perfectum revocat et *iustificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum*[5].

Secunda est: *Si manet reatus poenae huiusmodi remissa culpa, an illam nos solvere possimus vindictam de nobis ipsis sumendo et ita offensam patris compensare?* Si enim nos possumus pro peccato satisfacere, *Christus gratis mortuus est*, ut in simili argumentatur apostolus Paulus in epistola ad Galatas[6].

Tertia est: *Quomodo non obscuratur gloria plenae redemptionis et integrae satisfactionis mortis Christi pro poenis et pro culpis, si non solus ipse totaliter pro omnibus debitis nostris satisfecit, sed partim*
72v *ipse et partim solvimus nos?* | Ipse scilicet pro culpa mortali et poena aeterna, nos pro poena temporali, cuius reatus adhuc manet culpa remissa. Et si satisfecit ipse pro poena etiam temporali, inique nobiscum agitur, si a nobis adhuc solutio poenae exigatur, quae semel rite pro nobis soluta est. Quod autem Christus plene et integre satisfecit pro omni culpa omnique poena, testantur passim scripturae, quae dicunt, quod *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi*[7]. Et alio loco: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super ligno, cuius livore sanati*[b] *estis*[8]. Et apud Esaiam [53, 4–5]: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras et attritus propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum.* Et apostolus Paulus: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[9] Et ad Coloss. 2 [13s.]: Donans vobis omnia delicta, *delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et illud tulit de medio affigens illud cruci.* Plena est igitur, integra et perfecta, non partialis, non mutila Christi redemptio, propitiatio et satisfactio, pro omni culpa omnique poena, etiam temporali nostris peccatis debita.

Circa primam difficultatem certa est ex scripturis et concordi patrum interpretatione sententia, quod remissa culpa sive mortali sive veniali plerumque adhuc manet reatus poenae non solum temporalis saeculi huius; nam et Apologia Confessionis Augustanae apertis scripturis
73r coacta haec palam confitetur[10]. Sed quod manet reatus poenae futuri | saeculi remissa culpa, constanter negat[11] et universi, qui nunc dogmatibus ecclesiae adversantur. Sed cum saeculum futurum sit tempus retributionis, non praesens, si in isto peccata vindicat, manifestum esse debet, quod hoc facit in saeculum retributionis. Nam [2] Thess. [1, 4s.] scribit[c] b. Paulus, quod *sustinebant tribulationem in exemplum iusti iudicii Dei*, et 1 Petr. 4 [13]. „Magis enim propter futurum saeculum fit remissio peccatorum. Neque frustra", inquit b. Augustinus in Enchiridio c. 66[12], „ille proprie dicitur dies iudicii". Et captivitas patrum in limbo usque [ad] Christi redemptionem et dilatio resurrectionis et gloriae corporum electorum testantur, quod in illo saeculo filiorum peccata remissa Deus vindicat. Et si aliena, multo magis ea, quae propria voluntate sunt admissa, in saeculo altero ulciscitur. Propter quod propheta David pro peccato ante annos multos dimisso[13] *per singulas noctes lachrymis stratum suum lavabat*[14]. „Et olim patratum peccatum", ut ait b. Chrysostomus sermone 4 de poenitentia, „post tot tempora, quasi nuper accidisset, lugebat"[15]. Et b. Augustinus explicans orationem prophetae: *Amplius lava*[d] *me ab iniquitate mea*[16]: „Vide", inquit, „quem invoces, iustus est. Odit peccata, si iustus est; vindicat in peccata. Misericordia est, quod ignoscat peccanti; iustitia est, quod puniat peccata. Quid ergo? Quaeris misericordiam, impunitum manebit peccatum? Respondeat hic David: Non impunitum erit; sed ideo nolo, ut tu[e] me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideo peto, ut ignoscas, quia ego agnosco"[17]. Et circa versiculum: *Ecce enim veritatem dilexisti*[18]: „Hoc est, impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti. Ignoscis confitenti, |
73v sed se ipsum punienti. Ita servatur misericordia et veritas: misericordia, quia homo liberatur;

[a] *ibid.* iniquitatem [b] *cod.* sacrati [c] *Le Pl. perg.* II 3 [d] *cod.* lavabo [e] *Le Pl.* in

[3] Ezech. 18, 21s.
[4] De paenitentia II, c. 2, 11 (CSEL LXXIII 168, 65–67). De obitu Theodosii c. 36–37 (ibid. 390, 14s. 11s.). *Ambrosiaster*, Comment. in epist. ad Rom. 6, 4s. (CSEL LXXXI, I 193, 18s.; 195, 2s.).
[5] Rom. 5, 1.
[6] Gal. 2, 21.
[7] 1 Io. 2, 2.
[8] 1 Petr. 2, 24; cf. Isai. 53, 5.
[9] Rom. 8, 32.
[10] Apologia Conf. Aug. art. XII, n. 156: „Ita sustinent aliqui proprias poenas a Deo impositas exempli causa" (Die Bekenntnisschriften I 286, 9–11).
[11] Ibid. n. 157: „Et quamvis afflictiones reliquae sint, tamen [scriptura] has interpretatur praesentis peccati mortificationes esse, non compensationes aeternae mortis seu pretia pro aeterna morte" (l. c. 286, 29–33).
[12] Enchiridion c. 17, 66 (CChr. XLVI 84, 42; 85, 51s.).
[13] Cf. 2 Reg. 12, 13s.
[14] Ps. 6, 7.
[15] Potius in epist. ad Hebr. hom. 31, c. 3; vide supra p. 250, 16ss. cum adn. 122.
[16] Ps. 50, 4.
[17] *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 50, 4, c. 7 (CChr. XXXVIII 603, 6-18).
[18] Ps. 50, 8.

Digitized by Google

veritas, quia peccatum punitur"[19]. Et idem c. 71[a] in Enchiridio: „Delet", inquit[20], „haec oratio dominica minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit, si, quemadmodum dicitur veraciter: *Dimitte nobis debita nostra*, ita veraciter dicatur: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*"[21]. Et c. [70] praecedenti: „In melius est quippe vita mutanda et per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus, et miserando facta peccata delet, si non satisfactio congrua negligatur"[22]. Super quo est concors ecclesiae catholicae sententia et sacrorum conciliorum definitiones. Et dum dicit b. Augustinus[23], quod *impietas est ab illo, qui est iustus, dimidiam sperare veniam*, intelligit dimidiam veniam, si unius peccati venia impetretur, et non alterius. „Scio", inquit, „Dominum inimicum omni criminoso"[24]. Et ideo nullum remittit crimen ei, qui in aliquo permanet nec vere de omni poenitet peccato. Non autem vult, quod filium post gravem offensam in gratiam recipit sine flagello, quin potius *flagellat omnem filium, quem recipit*[25]. Et scriptura Ezechiel 18[21], quae secundum septuaginta citatur, secundum[b] veritatem Hebraicam, quae est in usu ecclesiae[26], habet: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur*. Non igitur Domino sufficit poenitentia impii, nisi simul *fecerit iudicium et iustitiam* ac ultionem de peccatis admissis. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est*, qui hoc modo egit poenitentiam, *non recordabor*[27]. Et ad perfectum poenitentia secundum Ambrosium[28] omnes defectus revocat | 74r et secundum b. Augustinum *ad baptismi puritatem conatur ducere*, si *vera* est et perfecta *poenitentia*[29]. „In hoc enim", ut dicit idem Augustinus hom. 50, „maiorem quisque severitatem exercet, ut a se ipso iudicatus non iudicetur a Domino"[30]. „Venit deinde ad antistites, per quos in ecclesia claves ei ministrantur"[31]. Pleneque se in omnibus eorum subicit arbitrio. Hoc modo poenitens nullius poenae reus manet et ad pristinam perfectionem revocatur; non enim ab ultione cessat, quousque patris offensi compensaverit iniuriam. Sed rari sunt huiusmodi poenitentes, de quibus b. Ambrosius lib. 2 De poenitentia c. 10: „Facilius", inquit, „inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint poenitentiam"[32]. Et *iustificati per fidem pacem habent ad Deum*[33], quia in gratiam patris sunt recepti, parati tamen patris flagellum sustinere et in se vindicare, quod tam pium patrem, et qui tam facilis est ad condonandum, offenderunt.

Ad secundam difficultatem, quomodo nos, qui pauperes sumus et miseri[34] et quotidie peccando nova debita contrahimus, Deo satisfacere possumus, vel nos ipsos vindicando vel offerendo, aequivalens statim se offert responsio, si consyderemus, quod idem spiritus fidei et charitatis, ex quo patri grata erat filii sui redemptio et satisfactio, nos etiam inhabitat et viva facit Christi membra quodque Christus ipse verius per suum spiritum in nobis operatur, quam operamur nos ipsi. Intelligimus enim, quod miram gratiam, dignitatem et valorem apud patrem opera nostra habent, non ut a nobis, sed ut a Christo et spiritu eius proficiscuntur. Hinc enim dignitatem, valorem et gratiam habebant[c] et Christi opera, redemptio et satisfactio. Idem autem hic spiritus | 74v et omnia eius charismata, in quibus patri est beneplacitum in filio suo praedilecto, *abunde effunduntur in nos*[35] *secundum mensuram donationis Christi*[36], per quae charismata et divitias facti sumus sufficientes propria debita, quae contraximus, satisfacere spontanee ex vero amore filiali offerendo, quod gratius est ei, quam si ab eo flagellemur[d] et secundum quantitatem offensae sumatur supplicium. Multo namque gratius est, quod sponte ex odio offensi patris nos ipsos castigamus et ulciscimur, quam si solum patienter flagellum eius sustineamus, maxime post hanc vitam, quando *secundum iustitiam* ut *iustus iudex*[37] *unicuique retribuet*[38] etiam flagellando filios secundum opera eius. Nam Dominus testatur de *servo fideli*, quod multa *superlucratur*[39] et supererogat[40], ex quibus debita solvere potest. Et cum ex scripturis manifestum sit, quod mereamur *coronam gloriae*[41] et *vitam aeternam*[42], si *legitime certamus*[43], nihil dubitandum, quin possimus emendare et satisfacere nos ipsos, vindictam et flagella patris patienter ferendo.

[a] *ibid.* 61 [b] *Le Pl.* sciendum [c] *ibid.* habebunt [d] *ibid.* flagellamur

[19] *Augustinus* ibid. c. 11 (l. c. 607, 3–8).
[20] Enchiridion c. 19, 71 (l. c. 88, 12–18).
[21] Matth. 6, 12.
[22] Enchiridion c. 19, 70 (l. c. 87, 3ss.).
[23] *Ps.-Augustinus*; vide supra adn. 2.
[24] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 9, 24 (l. c. 1121).
[25] Hebr. 12, 6.
[26] Potius iuxta Vulgatam Hieronymi versionem.
[27] Ezech. 18, 22. [28] Vide supra adn. 4.
[29] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 9, 24 (l. c. 1121).
[30] Serm. 351 (olim hom. 50 inter Homilias 50), c. 4, 7 (*Migne*, PL XXXIX 1542).
[31] Ibid. c. 4, 9 (l. c. 1545) = c. 85 *Iudicet* de poenit. dist. 1.
[32] De paenitentia II, c. 10, 96 (l. c. 201, 40s.) = c. 56 *Sunt qui* de poenit. dist. 1, § 1.
[33] Rom. 5, 1.
[34] Cf. Ps. 78, 8; 85, 1; Apoc. 3, 17.
[35] Tit. 3, 6. [36] Eph. 4, 7. [37] 2 Tim. 4, 8.
[38] Ps. 17, 21. 25; Eccli. 11, 28.
[39] Matth. 25, 20s. [40] Luc. 10, 35.
[41] 1 Thess. 2, 19; 1 Petr. 5, 4.
[42] Matth. 19, 29; 25, 46; Rom. 6, 22s.
[43] 2 Tim. 2, 5.

Digitized by Google

Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum[a] *eius non recordabor*[3]. Nam iuxta sententiam beati Ambrosii[4] poenitentia omnes defectus ad perfectum revocat et *iustificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum*[5].

Secunda est: *Si manet reatus poenae huiusmodi remissa culpa, an illam nos solvere possimus vindictam de nobis ipsis sumendo et ita offensam patris compensare?* Si enim nos possumus pro peccato satisfacere, *Christus gratis mortuus est*, ut in simili argumentatur apostolus Paulus in epistola ad Galatas[6].

Tertia est: *Quomodo non obscuratur gloria plenae redemptionis et integrae satisfactionis mortis Christi pro poenis et pro culpis, si non solus ipse totaliter pro omnibus debitis nostris satisfecit, sed partim*
72v *ipse et partim solvimus nos?* | Ipse scilicet pro culpa mortali et poena aeterna, nos pro poena temporali, cuius reatus adhuc manet culpa remissa. Et si satisfecit ipse pro poena etiam temporali, inique nobiscum agitur, si a nobis adhuc solutio poenae exigatur, quae semel rite pro nobis soluta est. Quod autem Christus plene et integre satisfecit pro omni culpa omnique poena, testantur passim scripturae, quae dicunt, quod *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi*[7]. Et alio loco: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super ligno, cuius livore sanati*[b] *estis*[8]. Et apud Esaiam [53, 4–5]: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras et attritus propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum.* Et apostolus Paulus: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[9] Et ad Coloss. 2 [13s.]: Donans vobis omnia delicta, *delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et illud tulit de medio affigens illud cruci.* Plena est igitur, integra et perfecta, non partialis, non mutila Christi redemptio, propitiatio et satisfactio, pro omni culpa omnique poena, etiam temporali nostris peccatis debita.

Circa primam difficultatem certa est ex scripturis et concordi patrum interpretatione sententia, quod remissa culpa sive mortali sive veniali plerumque adhuc manet reatus poenae non solum temporalis saeculi huius; nam et Apologia Confessionis Augustanae apertis scripturis
73r coacta haec palam confitetur[10]. Sed quod manet reatus poenae futuri | saeculi remissa culpa, constanter negat[11] et universi, qui nunc dogmatibus ecclesiae adversantur. Sed cum saeculum futurum sit tempus retributionis, non praesens, si in isto peccata vindicat, manifestum esse debet, quod hoc facit in saeculum retributionis. Nam [2] Thess. [1, 4s.] scribit[c] b. Paulus, quod *sustinebant tribulationem in exemplum iusti iudicii Dei*, et 1 Petr. 4 [13]. „Magis enim propter futurum saeculum fit remissio peccatorum. Neque frustra", inquit b. Augustinus in Enchiridio c. 66[12], „ille proprie dicitur dies iudicii". Et captivitas patrum in limbo usque [ad] Christi redemptionem et dilatio resurrectionis et gloriae corporum electorum testantur, quod in illo saeculo filiorum peccata remissa Deus vindicat. Et si aliena, multo magis ea, quae propria voluntate sunt admissa, in saeculo altero ulciscitur. Propter quod propheta David pro peccato ante annos multos dimisso[13] *per singulas noctes lachrymis stratum suum lavabat*[14]. „Et olim patratum peccatum", ut ait b. Chrysostomus sermone 4 de poenitentia, „post tot tempora, quasi nuper accidisset, lugebat"[15]. Et b. Augustinus explicans orationem prophetae: *Amplius lava*[d] *me ab iniquitate mea*[16]: „Vide", inquit, „quem invoces, iustus est. Odit peccata, si iustus est; vindicat in peccata. Misericordia est, quod ignoscat peccanti; iustitia est, quod puniat peccata. Quid ergo? Quaeris misericordiam, impunitum manebit peccatum? Respondeat hic David: Non impunitum erit; sed ideo nolo, ut tu[e] me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideo peto, ut ignoscas, quia ego agnosco"[17]. Et circa versiculum: *Ecce enim veritatem dilexisti*[18]: „Hoc est, impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti. Ignoscis confitenti, |
73v sed se ipsum punienti. Ita servatur misericordia et veritas: misericordia, quia homo liberatur;

[a] *ibid.* iniquitatem [b] *cod.* sacrati [c] *Le Pl. perg.* II 3 [d] *cod.* lavabo [e] *Le Pl.* in

[3] Ezech. 18, 21s.
[4] De paenitentia II, c. 2, 11 (CSEL LXXIII 168, 65–67). De obitu Theodosii c. 36–37 (ibid. 390, 14s. 11s.). *Ambrosiaster*, Comment. in epist. ad Rom. 6, 4s. (CSEL LXXXI, I 193, 18s.; 195, 2s.).
[5] Rom. 5, 1.
[6] Gal. 2, 21.
[7] 1 Io. 2, 2.
[8] 1 Petr. 2, 24; cf. Isai. 53, 5.
[9] Rom. 8, 32.
[10] Apologia Conf. Aug. art. XII, n. 156: „Ita sustinent aliqui proprias poenas a Deo impositas exempli causa" (Die Bekenntnisschriften I 286, 9–11).
[11] Ibid. n. 157: „Et quamvis afflictiones reliquae sint, tamen [scriptura] has interpretatur praesentis peccati mortificationes esse, non compensationes aeternae mortis seu pretia pro aeterna morte" (l. c. 286, 29–33).
[12] Enchiridion c. 17, 66 (CChr. XLVI 84, 42; 85, 51s.).
[13] Cf. 2 Reg. 12, 13s.
[14] Ps. 6, 7.
[15] Potius in epist. ad Hebr. hom. 31, c. 3; vide supra p. 250, 16ss. cum adn. 122.
[16] Ps. 50, 4.
[17] *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 50, 4, c. 7 (CChr. XXXVIII 603, 6-18).
[18] Ps. 50, 8.

Digitized by Google

veritas, quia peccatum punitur"[19]. Et idem c. 71[a] in Enchiridio: „Delet", inquit[20], „haec oratio dominica minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit, si, quemadmodum dicitur veraciter: *Dimitte nobis debita nostra*, ita veraciter dicatur: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*"[21]. Et c. [70] praecedenti: „In melius est quippe vita mutanda et per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus, et miserando facta peccata delet, si non satisfactio congrua negligatur"[22]. Super quo est concors ecclesiae catholicae sententia et sacrorum conciliorum definitiones. Et dum dicit b. Augustinus[23], quod *impietas est ab illo, qui est iustus, dimidiam sperare veniam*, intelligit dimidiam veniam, si unius peccati venia impetretur, et non alterius. „Scio", inquit, „Dominum inimicum omni criminoso"[24]. Et ideo nullum remittit crimen ei, qui in aliquo permanet nec vere de omni poenitet peccato. Non autem vult, quod filium post gravem offensam in gratiam recipit sine flagello, quin potius *flagellat omnem filium, quem recipit*[25]. Et scriptura Ezechiel 18[21], quae secundum septuaginta citatur, secundum[b] veritatem Hebraicam, quae est in usu ecclesiae[26], habet: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur*. Non igitur Domino sufficit poenitentia impii, nisi simul *fecerit iudicium et iustitiam* ac ultionem de peccatis admissis. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est*, qui hoc modo egit poenitentiam, *non recordabor*[27]. Et ad perfectum poenitentia secundum Ambrosium[28] omnes defectus revocat | et secundum b. Augustinum *ad baptismi* 74r *puritatem conatur ducere*, si *vera* est et perfecta *poenitentia*[29]. „In hoc enim", ut dicit idem Augustinus hom. 50, „maiorem quisque severitatem exercet, ut a se ipso iudicatus non iudicetur a Domino"[30]. „Venit deinde ad antistites, per quos in ecclesia claves ei ministrantur"[31]. Pleneque se in omnibus eorum subicit arbitrio. Hoc modo poenitens nullius poenae reus manet et ad pristinam perfectionem revocatur; non enim ab ultione cessat, quousque patris offensi compensaverit iniuriam. Sed rari sunt huiusmodi poenitentes, de quibus b. Ambrosius lib. 2 De poenitentia c. 10: „Facilius", inquit, „inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint poenitentiam"[32]. Et *iustificati per fidem pacem habent ad Deum*[33], quia in gratiam patris sunt recepti, parati tamen patris flagellum sustinere et in se vindicare, quod tam pium patrem, et qui tam facilis est ad condonandum, offenderunt.

Ad secundam difficultatem, quomodo nos, qui pauperes sumus et miseri[34] et quotidie peccando nova debita contrahimus, Deo satisfacere possumus, vel nos ipsos vindicando vel offerendo, aequivalens statim se offert responsio, si consyderemus, quod idem spiritus fidei et charitatis, ex quo patri grata erat filii sui redemptio et satisfactio, nos etiam inhabitat et viva facit Christi membra quodque Christus ipse verius per suum spiritum in nobis operatur, quam operamur nos ipsi. Intelligimus enim, quod miram gratiam, dignitatem et valorem apud patrem opera nostra habent, non ut a nobis, sed ut a Christo et spiritu eius proficiscuntur. Hinc enim dignitatem, valorem et gratiam habebant[c] et Christi opera, redemptio et satisfactio. Idem autem hic spiritus | et omnia eius charismata, in quibus patri est beneplacitum in filio suo 74v praedilecto, *abunde effunduntur in nos*[35] *secundum mensuram donationis Christi*[36], per quae charismata et divitias facti sumus sufficientes propria debita, quae contraximus, satisfacere spontanee ex vero amore filiali offerendo, quod gratius est ei, quam si ab eo flagellemur[d] et secundum quantitatem offensae sumatur supplicium. Multo namque gratius est, quod sponte ex odio offensi patris nos ipsos castigamus et ulciscimur, quam si solum patienter flagellum eius sustineamus, maxime post hanc vitam, quando *secundum iustitiam* ut *iustus iudex*[37] *unicuique retribuet*[38] etiam flagellando filios secundum opera eius. Nam Dominus testatur de *servo fideli*, quod multa *superlucratur*[39] et supererogat[40], ex quibus debita solvere potest. Et cum ex scripturis manifestum sit, quod mereamur *coronam gloriae*[41] et *vitam aeternam*[42], si *legitime certamus*[43], nihil dubitandum, quin possimus emendare et satisfacere nos ipsos, vindictam et flagella patris patienter ferendo.

[a] *ibid.* 61   [b] *La Pl.* sciendum   [c] *ibid.* habebunt   [d] *ibid.* flagellamur

[19] *Augustinus* ibid. c. 11 (l. c. 607, 3–8).
[20] Enchiridion c. 19, 71 (l. c. 88, 12–18).
[21] Matth. 6, 12.
[22] Enchiridion c. 19, 70 (l. c. 87, 3ss.).
[23] *Ps.-Augustinus;* vide supra adn. 2.
[24] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 9, 24 (l. c. 1121).
[25] Hebr. 12, 6.
[26] Potius iuxta Vulgatam Hieronymi versionem.
[27] Ezech. 18, 22.   [28] Vide supra adn. 4.
[29] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 9, 24 (l. c. 1121).
[30] Serm. 351 (olim hom. 50 inter Homilias 50), c. 4, 7 (*Migne*, PL XXXIX 1542).
[31] Ibid. c. 4, 9 (l. c. 1545) = c. 85 *Iudicet* de poenit. dist. 1.
[32] De paenitentia II, c. 10, 96 (l. c. 201, 40s.) = c. 56 *Sunt qui* de poenit. dist. 1, § 1.
[33] Rom. 5, 1.
[34] Cf. Ps. 78, 8; 85, 1; Apoc. 3, 17.
[35] Tit. 3, 6.   [36] Eph. 4, 7.   [37] 2 Tim. 4, 8.
[38] Ps. 17, 21. 25; Eccli. 11, 28.
[39] Matth. 25, 20s.   [40] Luc. 10, 35.
[41] 1 Thess. 2, 19; 1 Petr. 5, 4.
[42] Matth. 19, 29; 25, 46; Rom. 6, 22s.
[43] 2 Tim. 2, 5.

Digitized by Google

Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum[a] *eius non recordabor*[3]. Nam iuxta sententiam beati Ambrosii[4] poenitentia omnes defectus ad perfectum revocat et *iustificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum*[5].

Secunda est: *Si manet reatus poenae huiusmodi remissa culpa, an illam nos solvere possimus vindictam de nobis ipsis sumendo et ita offensam patris compensare?* Si enim nos possumus pro peccato satisfacere, *Christus gratis mortuus est*, ut in simili argumentatur apostolus Paulus in epistola ad Galatas[6].

Tertia est: *Quomodo non obscuratur gloria plenae redemptionis et integrae satisfactionis mortis Christi pro poenis et pro culpis, si non solus ipse totaliter pro omnibus debitis nostris satisfecit, sed partim*
72v *ipse et partim solvimus nos?* | Ipse scilicet pro culpa mortali et poena aeterna, nos pro poena temporali, cuius reatus adhuc manet culpa remissa. Et si satisfecit ipse pro poena etiam temporali, inique nobiscum agitur, si a nobis adhuc solutio poenae exigatur, quae semel rite pro nobis soluta est. Quod autem Christus plene et integre satisfecit pro omni culpa omnique poena, testantur passim scripturae, quae dicunt, quod *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi*[7]. Et alio loco: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super ligno, cuius livore sanati*[b] *estis*[8]. Et apud Esaiam [53, 4–5]: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras et attritus propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum.* Et apostolus Paulus: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[9] Et ad Coloss. 2 [13s.]: Donans vobis omnia delicta, *delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et illud tulit de medio affigens illud cruci.* Plena est igitur, integra et perfecta, non partialis, non mutila Christi redemptio, propitiatio et satisfactio, pro omni culpa omnique poena, etiam temporali nostris peccatis debita.

Circa primam difficultatem certa est ex scripturis et concordi patrum interpretatione sententia, quod remissa culpa sive mortali sive veniali plerumque adhuc manet reatus poenae non solum temporalis saeculi huius; nam et Apologia Confessionis Augustanae apertis scripturis
73r coacta haec palam confitetur[10]. Sed quod manet reatus poenae futuri | saeculi remissa culpa, constanter negat[11] et universi, qui nunc dogmatibus ecclesiae adversantur. Sed cum saeculum futurum sit tempus retributionis, non praesens, si in isto peccata vindicat, manifestum esse debet, quod hoc facit in saeculum retributionis. Nam [2] Thess. [1, 4s.] scribit[c] b. Paulus, quod *sustinebant tribulationem in exemplum iusti iudicii Dei*, et 1 Petr. 4 [13]. „Magis enim propter futurum saeculum fit remissio peccatorum. Neque frustra", inquit b. Augustinus in Enchiridio c. 66[12], „ille proprie dicitur dies iudicii". Et captivitas patrum in limbo usque [ad] Christi redemptionem et dilatio resurrectionis et gloriae corporum electorum testantur, quod in illo saeculo filiorum peccata remissa Deus vindicat. Et si aliena, multo magis ea, quae propria voluntate sunt admissa, in saeculo altero ulciscitur. Propter quod propheta David pro peccato ante annos multos dimisso[13] *per singulas noctes lachrymis stratum suum lavabat*[14]. „Et olim patratum peccatum", ut ait b. Chrysostomus sermone 4 de poenitentia, „post tot tempora, quasi nuper accidisset, lugebat"[15]. Et b. Augustinus explicans orationem prophetae: *Amplius lava*[d] *me ab iniquitate mea*[16]: „Vide", inquit, „quem invoces, iustus est. Odit peccata, si iustus est; vindicat in peccata. Misericordia est, quod ignoscat peccanti; iustitia est, quod puniat peccata. Quid ergo? Quaeris misericordiam, impunitum manebit peccatum? Respondeat hic David: Non impunitum erit; sed ideo nolo, ut tu[e] me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideo peto, ut ignoscas, quia ego agnosco"[17]. Et circa versiculum: *Ecce enim veritatem dilexisti*[18]: „Hoc est, impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti. Ignoscis confitenti, |
73v sed se ipsum punienti. Ita servatur misericordia et veritas: misericordia, quia homo liberatur;

[a] *ibid.* iniquitatem [b] *cod.* sacrati [c] *Le Pl. perg.* II 3 [d] *cod.* lavabo [e] *Le Pl.* in

[3] Ezech. 18, 21s.
[4] De paenitentia II, c. 2, 11 (CSEL LXXIII 168, 65–67). De obitu Theodosii c. 36–37 (ibid. 390, 14s. 11s.). *Ambrosiaster*, Comment. in epist. ad Rom. 6, 4s. (CSEL LXXXI, I 193, 18s.; 195, 2s.).
[5] Rom. 5, 1.
[6] Gal. 2, 21.
[7] 1 Io. 2, 2.
[8] 1 Petr. 2, 24; cf. Isai. 53, 5.
[9] Rom. 8, 32.
[10] Apologia Conf. Aug. art. XII, n. 156: „Ita sustinent aliqui proprias poenas a Deo impositas exempli causa" (Die Bekenntnisschriften I 286, 9–11).
[11] Ibid. n. 157: „Et quamvis afflictiones reliquae sint, tamen [scriptura] has interpretatur praesentis peccati mortificationes esse, non compensationes aeternae mortis seu pretia pro aeterna morte" (l. c. 286, 29–33).
[12] Enchiridion c. 17, 66 (CChr. XLVI 84, 42; 85, 51s.).
[13] Cf. 2 Reg. 12, 13s.
[14] Ps. 6, 7.
[15] Potius in epist. ad Hebr. hom. 31, c. 3; vide supra p. 250, 16ss. cum adn. 122.
[16] Ps. 50, 4.
[17] *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 50, 4, c. 7 (CChr. XXXVIII 603, 6-18).
[18] Ps. 50, 8.

Digitized by Google

veritas, quia peccatum punitur"[19]. Et idem c. 71[a] in Enchiridio: „Delet", inquit[20], „haec oratio dominica minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit, si, quemadmodum dicitur veraciter: *Dimitte nobis debita nostra*, ita veraciter dicatur: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*"[21]. Et c. [70] praecedenti: „In melius est quippe vita mutanda et per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus, et miserando facta peccata delet, si non satisfactio congrua negligatur"[22]. Super quo est concors ecclesiae catholicae sententia et sacrorum conciliorum definitiones. Et dum dicit b. Augustinus[23], quod *impietas est ab illo, qui est iustus, dimidiam sperare veniam*, intelligit dimidiam veniam, si unius peccati venia impetretur, et non alterius. „Scio", inquit, „Dominum inimicum omni criminoso"[24]. Et ideo nullum remittit crimen ei, qui in aliquo permanet nec vere de omni poenitet peccato. Non autem vult, quod filium post gravem offensam in gratiam recipit sine flagello, quin potius *flagellat omnem filium, quem recipit*[25]. Et scriptura Ezechiel 18[21], quae secundum septuaginta citatur, secundum[b] veritatem Hebraicam, quae est in usu ecclesiae[26], habet: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur*. Non igitur Domino sufficit poenitentia impii, nisi simul *fecerit iudicium et iustitiam* ac ultionem de peccatis admissis. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est*, qui hoc modo egit poenitentiam, *non recordabor*[27]. Et ad perfectum poenitentia secundum Ambrosium[28] omnes defectus revocat | et secundum b. Augustinum *ad baptismi* 74r
puritatem conatur ducere, si *vera* est et perfecta *poenitentia*[29]. „In hoc enim", ut dicit idem Augustinus hom. 50, „maiorem quisque severitatem exercet, ut a se ipso iudicatus non iudicetur a Domino"[30]. „Venit deinde ad antistites, per quos in ecclesia claves ei ministrantur"[31]. Pleneque se in omnibus eorum subicit arbitrio. Hoc modo poenitens nullius poenae reus manet et ad pristinam perfectionem revocatur; non enim ab ultione cessat, quousque patris offensi compensaverit iniuriam. Sed rari sunt huiusmodi poenitentes, de quibus b. Ambrosius lib. 2 De poenitentia c. 10: „Facilius", inquit, „inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint poenitentiam"[32]. Et *iustificati per fidem pacem habent ad Deum*[33], quia in gratiam patris sunt recepti, parati tamen patris flagellum sustinere et in se vindicare, quod tam pium patrem, et qui tam facilis est ad condonandum, offenderunt.

Ad secundam difficultatem, quomodo nos, qui pauperes sumus et miseri[34] et quotidie peccando nova debita contrahimus, Deo satisfacere possumus, vel nos ipsos vindicando vel offerendo, aequivalens statim se offert responsio, si consyderemus, quod idem spiritus fidei et charitatis, ex quo patri grata erat filii sui redemptio et satisfactio, nos etiam inhabitat et viva facit Christi membra quodque Christus ipse verius per suum spiritum in nobis operatur, quam operamur nos ipsi. Intelligimus enim, quod miram gratiam, dignitatem et valorem apud patrem opera nostra habent, non ut a nobis, sed ut a Christo et spiritu eius proficiscuntur. Hinc enim dignitatem, valorem et gratiam habebant[c] et Christi opera, redemptio et satisfactio. Idem autem hic spiritus | et omnia eius charismata, in quibus patri est beneplacitum in filio suo 74v
praedilecto, *abunde effunduntur in nos*[35] *secundum mensuram donationis Christi*[36], per quae charismata et divitias facti sumus sufficientes propria debita, quae contraximus, satisfacere spontanee ex vero amore filiali offerendo, quod gratius est ei, quam si ab eo flagellemur[d] et secundum quantitatem offensae sumatur supplicium. Multo namque gratius est, quod sponte ex odio offensi patris nos ipsos castigamus et ulciscimur, quam si solum patienter flagellum eius sustineamus, maxime post hanc vitam, quando *secundum iustitiam* ut *iustus iudex*[37] *unicuique retribuet*[38] etiam flagellando filios secundum opera eius. Nam Dominus testatur de *servo fideli*, quod multa *superlucratur*[39] et supererogat[40], ex quibus debita solvere potest. Et cum ex scripturis manifestum sit, quod mereamur *coronam gloriae*[41] et *vitam aeternam*[42], si *legitime certamus*[43], nihil dubitandum, quin possimus emendare et satisfacere nos ipsos, vindictam et flagella patris patienter ferendo.

[a] *ibid.* 61 [b] *Le Pl.* sciendum [c] *ibid.* habebunt [d] *ibid.* flagellamur

[19] *Augustinus* ibid. c. 11 (l. c. 607, 3–8).
[20] Enchiridion c. 19, 71 (l. c. 88, 12–18).
[21] Matth. 6, 12.
[22] Enchiridion c. 19, 70 (l. c. 87, 3ss.).
[23] *Ps.-Augustinus*; vide supra adn. 2.
[24] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 9, 24 (l. c. 1121).
[25] Hebr. 12, 6.
[26] Potius iuxta Vulgatam Hieronymi versionem.
[27] Ezech. 18, 22. [28] Vide supra adn. 4.
[29] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 9, 24 (l. c. 1121).
[30] Serm. 351 (olim hom. 50 inter Homilias 50), c. 4, 7 (*Migne*, PL XXXIX 1542).
[31] Ibid. c. 4, 9 (l. c. 1545) = c. 85 *Iudicet* de poenit. dist. 1.
[32] De paenitentia II, c. 10, 96 (l. c. 201, 40s.) = c. 56 *Sunt qui* de poenit. dist. 1, § 1.
[33] Rom. 5, 1.
[34] Cf. Ps. 78, 8; 85, 1; Apoc. 3, 17.
[35] Tit. 3, 6. [36] Eph. 4, 7. [37] 2 Tim. 4, 8.
[38] Ps. 17, 21. 25; Eccli. 11, 28.
[39] Matth. 25, 20s. [40] Luc. 10, 35.
[41] 1 Thess. 2, 19; 1 Petr. 5, 4.
[42] Matth. 19, 29; 25, 46; Rom. 6, 22s.
[43] 2 Tim. 2, 5.

Digitized by Google

De merito isto manifestae sunt scripturae: imo principium fidei est, quod *Deus inquirentibus se est remunerator*[44], nec minus manifeste de satisfactione, quia[a] sancti non vindicarent adversum se peccata, nisi vindictam Dei per hoc evadere possent. Hinc est monitio b. Augustini in homilia 50[45]: „Adscendat homo adversum se tribunal mentis suae, si timet illud, quod *oportet nos exhiberi ante tribunal Christi*[46]. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nonne minatur hoc Deus peccatori dicens[47]: *Arguam te et statuam contra faciem tuam?*“ *Si nos ipsos iudicaremus*, ait apostolus[48], *non utique iudicaremur*. Et b. Ambrosius Ad virginem corruptam: 75r „Si“, inquit, „peccator sibi ipsi non pepercerit, a Deo illi parcitur. | Et si futuras poenas gehennae perpetuas in hoc parvo[b] vitae spatio compensaverit, se ipsum ab aeterno iudicio liberat“[49]. Et b. Hieronymus in epistola Paulae commendat eam, quod dicere solet, quod *longus risus perpeti fletu est compensandus* et *mollia linteamina asperitate cilicii sunt commutanda*[50]. De quo etiam tam constans et concors est omnium patrum sententia, quod scilicet possumus[c] pro peccatis satisfacere et Dei ultionem antevertere et praeveniendo impedire, quod veritatis nimia luce coactus Ioannes Calvinus hoc confiteatur, qui ait: „Parum me movent, quae in veterum scriptis passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes fere, quorum libri extant, hac in parte lapsos esse etc.“[51].

Ex quibus patet responsio ad t e r t i a m difficultatem. Nam magis illustratur gloria mortis Christi eiusque plenissima satisfactio, quod ex miseris et pauperibus per mortem suam in omnibus divites fecit et gloriosos Dei filios, ut nos ipsi habeamus etiam in nobis thesaurum, ex quo patri satisfacere possimus eumque placare, quam si nobis in miseria et paupertate relictis ipse pretium solveret pro nobis; illud enim maius est. Et in sublimiorem nos gradum subvehit; ita enim nos voluit honorare per filium suum pater coelestis, ut ea nobis communicaret et abunde effunderet, quorum sumus capaces, ut non solum ipse operetur, sed pro nostra salute ei cooperemur. Quorum autem capaces non sumus, sine nobis Christus principalem operatur effectum; dignatur tamen et in illis quoad praeparationem nos habere cooperarios. Et in scripturis nos honorando Dominus hac ratione loquitur, quasi principalem effectum nos 75v operaremur. *Facite*, inquit apud Ezechielem, *vobis cor novum et spiritum novum*[52]. | Et alio loco: *Auferte praeputia cordium vestrorum*[53]. *Lava a malitia cor tuum*[54]. Et Dominus in evangelio: *Quicumque perdiderit animam suam, vivificabit eam*[55]. Et Ioannes apostolus: *Omnis, qui habet hanc spem, in eo sanctificat se*[56]. Vitam tamen, novitatem[d] spiritus Dominus ad nostram praeparationem operatur solus; excedunt enim omnem creaturae facultatem, sicut et satisfacere pro culpa mortali aut eius mereri remissionem, propter quod sine applicatione mortis Christi numquam mortale peccatum nec poena aeterna remittitur. Poenae autem temporalis solutio filiorum Dei facultatem non excedit. Et ideo sua morte tales nos fecit, ut ex nostro thesauro sine suffragio[e] alterius, etiam mortis Domini emendicatione, satisfacere possimus.

Ad ea vero, quae ex scripturis obiiciuntur de plena et integra satisfactione Christi, respondetur, quod plena est eius satisfactio, redemptio et propitiatio non solum quoad culpam, quam tamen praecipue et principaliter respiciunt, verum etiam quoad poenam temporalem culpa dimissa remanentem, sed per sufficientiam et non secundum efficientiam et fructus participationem. Nam qui per baptismum familiae eius nondum sunt insiti, propitiationis participes non sunt ne[que] illi etiam, qui de peccatis suis nondum poenitentes per claves ecclesiae remissionem non acceperunt, pro quibus tamen copiosa et sufficiens facta est redemptio in ara crucis. Et similiter satisfactio Christi pro poena temporali abunde sufficit; sed efficax non est ad eam expiandam sine applicatione. Dices fortassis illos non esse participes propitiationis, qui Christo non iunguntur nec sunt inter membra eius; ipse autem tanquam caput solum pro membris satisfacit. Et ideo his solis applicatur satisfactio et redemptio, qui ei tanquam membra uniuntur. 76r Cui respondetur | primo, quod scripturae generalius loquuntur, quod scilicet *mortuus est pro omnibus*[57] et *pro impiis*[58], et ita non solum pro membris. Et minor in hoc esset gratia et gloria Christi, si solum mortuus esset pro membris suis et amicis. Et cathecumenus ante baptismum ex morte Christi consequi potest per fidem et veram cordis contritionem peccatorum remis-

[a] *ibid.* quod [b] *ibid.* temporalis [c] *ibid.* possimus [d] *ibid.* novitate [e] *ibid.* suffragii

[44] Hebr. 11, 6.
[45] Serm. 351, c. 4, 7 (l. c. 1542).
[46] 2 Cor. 5, 10.
[47] Ps. 49, 21.
[48] 1 Cor. 11, 31.
[49] *Ps.-Ambrosius*, De lapsu virginis c. 8, 36 (*Migne*, PL XVI 395 A).
[50] *Hieronymus*, Epitaphium s. Paulae = epist. 108, c. 15, 4 (CSEL LV 326, 12s.).
[51] *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 9, n. 58; vide supra p. 250, 11ss. cum adn. 120.
[52] Ezech. 18, 31.
[53] Ier. 4, 4.
[54] Ier. 4, 14.
[55] Luc. 17, 33.
[56] 1 Io. 3, 3.
[57] 2 Cor. 5, 15.
[58] Rom. 5, 6.

Digitized by Google

sionem et gratiam patris, qui tamen per solum baptismum fit Christi membrum. Obtinuit enim Christus sua morte et apud patrem meruit, ut membra fierent per baptismum (cuius effectus totus est ex Christi morte), quae a corpore erant aliena. Nam teste apostolo Paulo *complantati*[59] et insiti sumus[60] Christo per mortem eius. Est igitur haec *propitiatio*[61] et satisfactio Christi integra et perfecta quoad culpam etiam et poenam temporalem culpa dimissa remanentem, si spectatur eius sufficientia. Nec plenior esset nec efficacior, si millies vel solum et singulariter pro unoquoque nostrum esset mortuus. Sed non est efficax nec adfert salutem, nisi bona patris voluntate eius fiat applicatio.

Hoc modo et secundum hanc intelligentiam b. Augustinus interpretatur redemptionem factam in Christo in responsione ad primum articulum falso sibi impositum, qui erat: *Quod Dominus noster Iesus non pro omnium redemptione sit passus*[62]*:* „Quod", inquit, „ad magnitudinem et potentiam pretii pertinet, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc saeculum sine fide Christi et sine redemptionis sacramento pertranseunt, redemptionis sunt alieni. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non proficit"[63]. Et hanc doctrinam b. Augustini secutus b. Thomas 3. parte qu. 49 art. 1 in solutione tertii argumenti dicit, „quod Christus sua | passione nos liberavit a 76v
peccatis causaliter, id est", inquit[64], „instituens causam nostrae liberationis, ex qua possent quaecunque peccata praeterita, praesentia et futura quandoque[a] remitti, sicuti si medicus faciat medicinam, ex qua possint etiam quicumque morbi sanari". Certum est autem, quod eodem modo, quo redemptio intelligenda est, etiam satisfactio perfecta Christi pro omni culpa omnique poena totius mundi, etiam temporali, spectando scilicet *pretii magnitudinem* et sufficientiam, quae tamen sine fructu et inutilis manet, nisi poculum bibatur et eius fiat applicatio. Sicut enim *factus est causa salutis aeternae omnibus* non simpliciter, sed *obtemperantibus sibi*[65], ita causa est redemptionis omnibus, qui ex fide in Christum vere poenitent, maxime si sacramenta contra peccata instituta adhibentur, per quae quasi per canales quosdam derivatur sanguis Christi eiusque virtus et efficacia animabus nostris aspergitur.

Quoad poenas vero temporales, quarum reatus culpa remissa manet, Christi satisfactio nobis communicatur in baptismo, qui omnem tollit peccati reatum, et in sacramento poenitentiae pro devotione et dispositione poenitentis. In hoc enim est differentia inter poenitentiam et baptismum, cum illa adhibeatur ut *medicina*[66], cum qua sua virtute infirmus concurrit, et ut plenior sit sanatio in morbo temporali, quanto perfectior est naturae concursus, ita in morbo animae; baptismus vero est regeneratio, ad quam qui nascitur non cooperatur. Quam differentiam maiores nostri docent ex cap. 6 [6] et 10 [26ss.] epistolae ad Hebraeos[67]. Applicatur etiam in extrema unctione, sacrificio missae et per indulgentias ex dispensatione thesauri ecclesiae. Si autem eius | nulla nobis fiat communicatio nec supplici deprecatione, quod debitum 77r
nobis gratiose condonetur, impetramus, necesse est, quod nos ipsi per ieiunia, eleemosynas et orationes solvamus patri nostro aeque gratum offerendo, sicut esset debitae poenae solutio. Nam per aequivalentis oblationem redimimus poenam nostris peccatis debitam. Et *plura*, ait b. Ambrosius[68], *habemus subsidia*, quibus peccata nostra redimimus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum; nam eleemosynis crimina redimuntur. Si vero non fuerit in hoc saeculo divinae iustitiae satisfactum, vindicabitur et igne purgatorio expiabitur in saeculo futuro. Hoc autem discrimen est inter satisfactionem Christi pro poena aeterna et pro temporali, quod sine eius applicatione numquam remittitur poena aeterna nec expiari potest sine ea applicatione, ut ex dictis manifestum est. Temporalis poenae debitum solvi potest et expiari, sicut per poenam purgatorii secundum divinae iustitiae severitatem certum est ipsum solvi et expiari. Non minus autem Deo satisfit per vindictam, quam de nobis ad patrem plene placandum spontanee sumimus, cum gratius hoc fit ei et iusto iudicio tantundem valere possit. — Dices ex hoc sequi,

[a] *ibid.* quandocunque

[59] Rom. 6, 5. [60] Rom. 11, 23.
[61] 1 Io. 2, 2.
[62] *Prosper Aquitanus*, Pro Augustino responsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum, c. 1 (*Migne*, PL XLV 1843 et LI 177 B). Cf. *R. Lorenz*, Der Augustinismus Prospers v. Aquitanien, in: Ztschr. f. Kirchengesch. LXXIII (1962) 233s.
[63] Ibid., responsio ad obiect. 1 (*Migne*, PL XLV 1844 et LI 177/78 B, 179 A).
[64] *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 49, art. 1 ad 3.
[65] Hebr. 5, 9.
[66] Cf. *Ambrosius*, De paenitentia II, c. 6, 48 (l. c. 183, 69). *Augustinus*, serm. 351, c. 4, 9 (l. c. 1545); serm. 352, c. 2, 7 (ibid. 1557).
[67] E. gr. *Ambrosius*, De paenitentia II, c. 2, 6–11 (l. c. 165–168).
[68] Ibid. II, c. 9, 81: „Plura solvendi habet subsidia, qui Deo, quam is, qui homini debet... Non pauper est, qui Deo debet, nisi qui se ipsum pauperem fecerit. Etsi non habet, quae vendat, habet, quae solvat. Oratio, lacrimae, ieiunia debitoris boni census est" (l. c. 196, 9–14).

Digitized by Google

quod alia est pro peccatis satisfactio quam mors Christi. Cui respondetur, quod nulla est pro peccatis satisfactio, quae non manat et derivatur ex virtute satisfactionis factae in ara crucis. Et[a] per mortem suam Christus meruit, quod opera nostra sunt satisfactoria. Non tamen omnis poenae peccatis debitae solutio fit per communicationem illius satisfactionis. Christus tamen 77v est, qui per nos et in nobis per suum | spiritum satisfecit.

Iterum contra dicta obiicies, quod Christi satisfactio nobis applicatur per nostra opera poenalia ad expiationem poenae temporalis sicut per contritionem ad remissionem mortalis peccati et poenae aeternae, ex qua communicatione et coniunctione nostra opera fiunt fortassis satisfactoria et satisfaciendi efficaciam accipiunt, et non ex spiritu Christi inhabitante[b] aut[c] ex nostri operis valore, ut dictum est. Vel solum sunt satisfactoria dispositive, inquantum ad applicationem, sicuti de contritione dictum est[69], disponunt, ut sic Christus satisfaciat solus, ad nostram tamen operationem, ut soli Christo sit omnis gloria in peccatorum expiatione vel saltem, si nos satisfacimus nostra virtute, eius satisfactio non excludatur, sicut vitam aeternam nos meremur, eandem promeruit et ipse, sicut testantur scripturae[70], ut nulla sit satisfactio sine applicatione satisfactionis Christi. — Quibus respondetur ex scripturis constare, quod per veram cordis contritionem nobis applicatur satisfactio Christi ad poenae aeternae condonationem; nam *cor contritum Deus non despicit*[71]. Et eaedem scripturae non patiuntur, quod poenitens in consortium huius satisfactionis, ut et ipse proprie satisfaciat, admittatur. Ad satisfactionem vero poenae temporalis et ad vindictam peccatorum nostrorum in recompensam iniuriae patri illatae eaedem scripturae nos invitant et hortantur nec tacent, quod nostrae afflictiones gratiam habent et efficaciam Dei iram placandi. Cum igitur nostra ultio iusta rerum aestimatione debito, cui sumus apud Deum obnoxii, possit esse aequivalens, contra rationem et scripturas haec digni- 78r tas et gloria nostris operibus tolleretur. | Manifesta namque est Pauli apostoli sententia: *Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur*[72]. Propter quod b. Ambrosius, ut superius diximus[73], clare docet, quod *peccatori a Deo parcitur, si sibi ipsi non pepercerit*. Et b. Chrysostomus: „Si nos peccati meminerimus, Deus eius obliviscetur. Et iudicem placabimus, si a nobis ultionem sumamus“[74]. Et b. Gregorius per *lamenta* poenitentiae malum perpetratum dicit corrigi[75]. Et apud prophetam ait Dominus: *Si poenitentiam egerit gens illa, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi facere ei*[76]. Et de Ninivitis dicit propheta Ionas, quod *vidit Deus opera eorum et misertus est super malitiam*[d], *quam locutus fuerat*[77]. Nam Deo satisfieri per poenitentiae dolorem, humilitatis gemitum et per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis docent b. Augustinus[78], b. Gregorius[79] et concorditer omnes patres. Et ideo opus non est communicatione satisfactionis Christi, quando ad hanc expiationem et debiti solutionem filiorum opera sufficiunt, compensant et redimunt, quod contra Deum est admissum.

Et quod quidam dicunt satisfactionem Christi necessario concurrere ut causam universalem, impertinens est nec dictis obstat. Nam causa universalis efficaciam causae particularis non tollit. Et an satisfactio et mors Christi vere sit causa universalis nostri meriti et satisfactionis vel solum originalis et conservativa et Deus ipse ut auctor gratiae sit causa prima et universalis, non est locus hic disserendi nec multum ad praesentem pertinet difficultatem. Nam in miraculis, quae ex virtute a Christo accepta operati sunt apostoli, non videtur ipse ut causa universalis fuisse cooperatus. — Iterum obiicies: Christus nobis meruit vitam aeternam et tamen se- 78v cundum scripturas | eam nos etiam meremur, et ex applicatione meritorum eius. Idem igitur dici poterit, quod satisfactionis applicatione nos satisfacimus, ut sic nullius poenae solutio sine Christi fiat satisfactione. — Respondetur, quod scripturae utrumque docent, nos scilicet vitam aeternam mereri et Christum eam nobis promeruisse. Nam solum ex eius merito baptizati parvuli eam accipiunt et adulti accipere possunt sine merito proprio. Nec tamen vitam aeternam ex communicatione meriti Christi nos meremur, sed ex dignitate et virtute, quas merito mortis eius accepimus. Nec in hoc est discrimen inter meritum vitae aeternae et satisfactionem, cum utrumque fiat sine applicatione actuali satisfactionis vel meriti mortis Christi.

[a] *ibid.* nam [b] *ibid.* inhabitant [c] *ibid.* autem [d] *ibid.* malitia

[69] Vide supra p. 258, 49ss.
[70] Cf. Hebr. 9, 14s. 28.
[71] Ps. 50, 19.
[72] 1 Cor. 11, 31.
[73] *Ps.-Ambrosius*, De lapsu virginis c. 8, 36; vide supra p. 258, 7s. cum adn. 49.
[74] *Io. Chrysostomus*, In epist. ad Hebr. c. 12, 14 hom. 31, c. 3 (*Migne*, PG LXIII 216).
[75] *Gregorius I*, In Ezechielem I, hom. 9, c. 34: „Peccasti enim, et iam te paenitet illicita perpetrasse, ut ad agendam paenitentiam docearis, ibi invenis lamenta“ (CChr. CXLII 142, 709ss.).
[76] Ier. 18, 8.
[77] Ion. 3, 10.
[78] Enchiridion c. 19, 70 et c. 20, 76 (l. c. 87, 4ss.; 90, 31ss.).
[79] Cf. Moralium IX, c. 34, 54: „Ab electis suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere“ (*Migne*, PL LXXV 890 A) = c. 82 *Si peccatum* de poenit. dist. 1.

Digitized by Google

Sed hic quaeritur: Qualis est haec satisfactio, quae est tantum per sufficientiam vel, ut dicit b. Augustinus[80], consideratione *magnitudinis pretii?* Non enim secundum veram nominis rationem dici potest satisfactio, nisi pretii fiat applicatio pro eo, qui debet, et acceptatio a creditore. Quando autem haec fiunt[a], est efficacia satisfactionis. Ergo satisfactio per sufficientiam tantum[b] non meretur nomen *satisfactionis*, nec redemptio et reconciliatio per sufficientiam merentur haec nomina. Ubi igitur quaeritur, an Christus, quantum est ex parte eius, aliter satisfecit pro eo, cui efficax est satisfactio, quam pro eo, cui est solum sufficiens, respondetur: si proprietas nominum consideretur, non est vere et simpliciter satisfactio nec redemptio nec reconciliatio, nisi fuerit secundum efficientiam, quia, si non est numeratum pretium et acceptatum, non est redemptus nec reconciliatus, qui debito vel servituti erat obnoxius. | Et si numeratum et accep- 79r tatum est a creditore simpliciter sine conditione, debitor liberatur; et iniuria ei fieret, si invitus detineretur vel adhuc exigeretur debitum. Quando autem pretium numeratum est sub conditione solum, vel dumtaxat paratum est et deputatum solutioni, non liberatur debitor. Redemptio autem generis humani, satisfactio et reconciliatio solum factae sunt considerando pretii parati magnitudinem, quod nec est numeratum nec applicatum ex sola Christi passione et satisfactione in cruce facta, sed pro applicatione supplicare et laborare debitorem oportet, quomodo intellexit b. Augustinus[80] nostram in Christo redemptionem. Etsi intelligatur secundum alios facta esse numeratio et acceptatio patris, sub conditione tamen facta est, qua non impleta rationes horum nominum proprie non solvuntur[c].

Et hunc duplicem modum satisfaciendi manifeste docent scripturae quibusdam dicentibus *Christum semel oblatum esse ad multorum exhaurienda peccata*[81]. Et de sanguine suo dicit Dominus apostolis: *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*[82] et alio loco, quod *filius hominis venit dare animam suam in redemptionem pro multis*[83], et apostolus 1 ad Timoth. 4 [10]: *Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum*, et *maxime fidelium*, quod tractans liber De vocatione gentium dicit[84], quod apostolus *confirmat bonitatem Dei super universos homines esse generalem, partem* tamen quandam *humani generis specialibus beneficiis provehi.* Et in locis aliis habent scripturae, quod *pro omnibus gustavit mortem*[85] quodque *pro omnibus mortuus est*[86] et quod *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*[87]. Est igitur Christus modo quodam salvator et redemptor omnium hominum et alio quodam multorum tantum et non omnium, qui modi explicantur per efficaciam et sufficientiam in causa et cum effectu seu[d] simpliciter et sub conditione. Et ⌜re vera⌝[e] Christi mediatoris officium | erat patri offerre *copiosam redemptionem*[88] et 79v pretium pro universis sufficiens et relinquere patris voluntati et dispositioni, quibus secundum aeternam eius praedestinationem prodesset, ad quam in electis implendam ipse in mundum venit et mortem sustinuit, sic scilicet, quod patri reliquerit applicationem et media, per quae applicatio erat futura. Nam quod parvulus baptizatur et per baptismum mortis Christi in eius salutem fiat applicatio, non est ex Christi merito, sed ex aeterna patris electione et ex eiusdem est dispositione, quod alter sine sacramento baptismi moritur, in quem scilicet iustam vindictam decrevit exercere. Et similiter in adultis, nisi quod plerumque hi sua culpa participio meritorum Christi privantur. Recte enim dicit b. Thomas qu. 29 De veritate art. 7 ad 4, quod *meritum Christi non aequaliter omnibus quoad efficaciam* applicatur; *partim* est *ex libero arbitrio*, *partim ex divina electione*, *per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum*[f] *Christi confertur* et aliis *iusto iudicio subtrahitur*[89]. Et verisimile est, quod Christus sciens *patris voluntatem*[90], quam *venit adimplere*[91], pro electis suam mortem voluit esse efficacem et pro aliis, quos novit a patre reprobatos, optavit quidem esse efficacem, quantum in ipso erat, voluntate quasi compassionis. Non tamen applicavit nec proprie et simpliciter pro eis obtulit certus[g], quod pater nollet pro eisdem acceptare nec media adhibere, per quae sola fit eius applicatio.

Ex quibus patet, quomodo intelligendae sunt scripturae adductae circa hanc difficultatem. Et dum ibi proponitur: si Christus satisfecit pro poenis dimissa culpa relictis, inique iterum[h] exigitur a nobis, quod semel per Christum solutum est, respondendum est: si simpliciter per

[a] *ibid.* sunt [b] *ibid.* huiusmodi [c] *cod.* salvantur [d] *cod.* per [e] *Le Pl.* contra [f] *om. Le Pl.* [g] *ibid.* certum [h] *ibid.* igitur

[80] Vide supra p. 259, 11ss. cum adn. 63.
[81] Hebr. 9, 28.
[82] Matth. 26, 28, secundum recensionem canonis missae; cf. Missale Rom. l. c.
[83] Matth. 20, 28; Marc. 10, 45.
[84] *Prosper Aquitanus* (?), De vocatione gentium II, c. 31 (*Migne*, PL LI 716 C). Cf. *R. Lorenz*, Der Augustinismus Prospers l. c. 233, adn. 129; 247ss.
[85] Hebr. 2, 9.
[86] 2 Cor. 5, 15.
[87] Isai. 53, 6.
[88] Cf. Ps. 129, 7.
[89] *Thomas Aqu.*, Quaestiones disput., De veritate qu. 29, art. 7 ad 4 (Opera IX, Parmae 1859, 455).
[90] Io. 6, 39s.
[91] Matth. 5, 17.

Digitized by Google

numerationem et acceptationem patris pro debito nostro esset facta satisfactio, inique a nobis iterum exigeretur. Sed non sic facta est, ut ex superioribus[a] est manifestum, sed aliquo modorum, qui prius sunt expressi. Nam quoad istud eadem est ratio de satisfactione pro culpa mortali et ea, quae per Christum facta est pro poena temporali. Neutra namque prodest, nisi fuerit applicata.

3.

Ioannes Leonardi ab Hasselt
s. theologiae in academia Lovaniensi professor
Sententia super facto Nectarii, episcopi Constantinopolitani circa sublationem confessionis[1]
praesidentibus concilii Tridentini exhibita[b]

Tridenti, die 22. Octobris 1551

Vindobonae, Tabul. publ. *[Haus-, Hof- u. Staatsarchiv], Religionsakten fasc. 14 C, n. 152,* 80r–89v
(copia coaeva Caroli de Langhe)

Vindobonae 80r Ut de Socratis et Zozomeni historia recte quis iudicet, duo sunt necessaria: unum, ut diligenter cognoscas, quid ecclesia facere de relapsis solita sit ante Novati haeresim [c]quidque postea propter eandem novum et recens constituerit[1c]; alterum, ut exacte[d] animadvertere studeas historiae seriem. Porro seriem non satis animadversam habere possunt, quicumque aut Tripartitam[2] tantum legerunt aut versionem tantum Musculi[3]. Nam et Tripartita fragmentum tantummodo[e] est iustae historiae et Musculus neque [se] diligentem hic interpretem[c] praestitit neque fidelem. [f]Ergo relapsis ante Novati haeresim adhibebat ecclesia poenitentiam. Nam propter hoc ipsum Novatus habitus est haereticus, quia tollebat poenitentiam, qua ad id usque tempus ecclesia mederi solita fuerat[g] iis, qui *post baptismum* peccassent *peccato ad mortem*[3a]; sic enim Novatiani scripturarum imitatione tunc[c] loquebantur, sicut ex lib. 4 Socratis patet c. 28[4] et Zozomeni lib. 1 c. 22[5]. Itaque Chrysostomus in c. ad Hebr. 10, cum ita loquitur: „Hic iterum insurgunt adversus nos, qui tollunt poenitentiam"[6], periphrasi ista notavit proprie[c] Novatianos. Eademque periphrasi notat[h] eosdem Basilius in sermone de poenitentia: „Superbiam", inquit[7], „istorum, qui poenitentiam tollunt, non ferens etc." Neque vero haereticus habitus est Novatus, quia poenitentiam tolleret, [c]qua parte per priscos poenitentiales canones

[a] *ibid.* scripturis
[b] *Hanc superscriptionem editores Lovanienses (vide adn. 1) addiderunt. In cod. eius loco legitur:* De confessionis articulis [c] *om. editiones [= edd.]* [d] *edd.* recte [e] *edd.* tantum
[f] *edd. perg.* ecclesia autem ... relapsis [g] *edd.* erat [h] *edd.* notavit

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 254, 8–23. Typis exscripta est primum ex eodem codice olim Bruxellensi, nunc Vindobonensi in collectione Lovaniensi (*Concilium Tridentinum, hoc est Canones et decreta* ..., Lovanii 1567, 105–113); deinde in sequentibus conciliorum collectionibus editis a *Labbe* XIV 1121ss., *Mansi* XXXIII 397 C–408 D, *Le Plat* IV 321–334. De auctore Ioanne *Lenaerts van der Eijcken* nato in *Hasselt* cf. *J. Birkner*, Conc. Trid. l. c. 254[2]. *P. F. X. de Ram*, Mémoire sur la part l. c. 26. 31–36. 42–44. *H. de Vocht*, Inventaire des Archives l. c. n. 1672. *J. Wils*, Les professeurs de l'ancienne faculté de théologie l. c. 351. 353. *H. de Jongh*, L'ancienne faculté l. c. 50. 46*ss. 60*. De eius obitu *Car. de Langhe* haec memoriae tradidit: „Mag. N. ab Hasselt cum iam febre et dysenteria teneretur, nec publice pronuntiavit nec scripto exhibuit quicquam aggravantibus morbis, quibus pridie Regum [5. Ian. 1552] vita decessit non sine maximo totius synodi dolore, cuius absolutam doctrinam ex unica actione de poenitentia abunde cognoverant. Sepultus est in aede b. Mariae virginis comitante funus toto pene ordine episcoporum. Deus opt. max. eius animae misereatur hominis innocentissimi" (Vindob. *Rel.-Akten f. 14, C. n. 152,* 116v).

[2] *Cassiodorus-Epiphanius*, Historia eccl. tripartita IX, c. 35 (CSEL LXXI 553s.), ubi leguntur excerpta ex *Socratis* Hist. eccl. V 19 et *Sozomeni* Hist. eccl. VII 16.

[3] Quae versiones leguntur in hoc opere: „Ecclesiasticae historiae autores: Eusebii Pamphili ... Hist. eccl. lib. X Wolfgango Musculo interprete ..., Socratis Scholastici Constantinopolitani eodem interprete lib. VII ..., Hermii Sozomeni Salaminii Musculo interprete lib. IX ...", Basileae, Hier. Froben-Nic. Episcopius, 1549. Cf. *G. Chr. Hansen*, Sozomenus, Kirchengeschichte (GrChrSchr. 50) p. XXXIX. De W. Musculo vide *Hadorn*, RE XIII 581–585. *O. E. Straßer*, RGG IV[3] 1194. [3a] 1 Io. 5, 16s.

[4] Eccl. hist. autores l. c. 360. *Migne*, PG LXVII 537/38 B.

[5] *Sozomenus*, Hist. eccl. I, c. 22, 2 (Eccl. hist. autores 559. GrChrSchr. 50, 44, 4ss.).

[6] *Io. Chrysostomus*, In epist. ad Hebr. (c. 10, 26) hom. 20, c. 1 (*Migne*, PG LXIII 143).

[7] *Ps.-Basilius*, hom. de poenitentia c. 1 (*Migne*, PG XXXI 1475/76 A).

Digitized by Google

politicum quiddam | habebat ab humana constitutione natum, sed quia poenitentiam tolleret⌝[a], 80v qua parte institutum divinum est et aut in scripturis expressum aut apostolica traditione de manu in manum acceptum. Quare observandum est, quidnam poenitentia, qua parte divinum institutum est, complecti credita sit ante Novati haeresim. Hic de animi dolore sive contritione dubium nullum est sicut[b] neque de proposito ⌜seu voluntate⌝[a] relinquendi vitam veterem, dubium, inquam, de duabus his rebus nullum est, quin eas complecti credita sit poenitentia. Quid ergo? Sustulitne has Novatus? Non sustulit. Imo referente Socrate lib. 4 c. 28[4] docebat relapsos ad eucharistiam quidem *admittendos non esse, sed exhortandos tamen ad poenitentiam*, animi nimirum dolorem et propositum, de quo dictum est. Quare cum Cyprianus[8], Chrysostomus[6], Basilius[7] ⌜et alii scribant⌝[c] per Novatianos tolli poenitentiam, id non de universa poenitentia potest accipi. Deinde complectebatur tunc poenitentia exomologesin.

Id discimus apud Eusebium ⌜in Historia lib. 6 c. 44, quae est de Serapione sumpta e scripto Dionysii Alexandrini episcopi⌝[d]. *Serapion senex* iam relapsus fuerat in persecutione, quae accidit sub Decio Caesare[e]. „Et rogat[f] saepe, verum nemo illi attendit", propterea quod sacrificasset idolis. „Postea in morbo cum triduum[g] iacuisset mutus et sine sensu, quarto die ait nepoti: Quousque, o fili, me detinetis? Obsecro, properate et me ocius dimittite. Accerse mihi aliquem e presbyteris. Currit puer. Sed cum et nox esset et presbyter aegrotus, ipse venire non posset, dat illi paululum eucharistiae iubens, ut effundat senique in os instillet. Reversum puerum senex mirabiliter conscius omnium antevertens: Scio, inquit, | presbyterum venire 81r non posse. Sed tu, quod ille iussit, facito. Puer effundit simulque infundit ori. Senex ubi deglutivit[h], reddit spiritum"[9].

Hactenus res gesta. Cui Dionysius addidit[i] hanc sententiam: „Videsne[k]", inquit, „quod senex hic tamdiu in vita conservatus ⌜sit et permanserit⌝[l], donec absolveretur et vel deleto iam peccato[m], propter bona, quae fecerat, confiteri possit"[10]. Vides ex hac historia senem hunc insignem sane, et in quo moriente illuxit[n] singulare donum revelationis spiritus, vehementer sollicitum fuisse et sategisse, ut confessus et a presbytero absolutus non sine eucharistiae viatico e vita decederet. Nam ad eucharistiae sumptionem (in qua maximam salutis suae[o] spem collocabant olim prisci Christiani) referebant fere confessionem et absolutionem, sicut patet ex canonibus veterum conciliorum.

Ne quis vero putet confessionem et absolutionem Serapionis politicam duntaxat rem fuisse, qualis est apud Cyprianum lib. 3 epist. 17[11], cum in defectu presbyteri confiteri nos vult diacono et per eum reconciliari, ne quis, inquam, hoc[o] putet, advertat Dionysium studio certo ista[p] narrare propter Novatianos, quorum haeresis paulo post[q] defunctum Serapionem extiterat. At Novatiani de politica absolutione cum catholicis[r] non pugnabant, an scilicet relapsis concedi deberet, sed de divinitus instituta absolutione, et qua relapsis sic contingeret remissio peccatorum coram Deo, ut idonei essent ad sumptionem eucharistiae. Itaque Novatianos c. 10 ad Hebraeos ita loquentes inducit Chrysostomus: „Non est tutum, inquiunt, mysteria" (sic enim veteres noto more vocabant eucharistiam) „praebere iis, qui peccaverunt, quia non est altera remissio"[12]. | Quod Novatianorum dictum perinde valet, ac si dixissent: Baptizatis 81v quidem eucharistiam tuto praebemus, quia contingit ipsis per baptismum peccatorum remissio. At relapsis non est tutum praebere, quia non habet ecclesia sacramentum alterum, per quod ipsis contingit remissio altera baptismali remissioni similis. Semelque hoc meminisse oportet Novatianismi cardinem in hoc versari, an Christus ecclesiae suae reliquerit sacramentum aliquod ad reconciliandum relapsos, sive hoc vocari debet antiquo more *poenitentia* sive recen-

[a] *om. edd.* [b] *edd.* sed [c] *edd.* scribant cum multis aliis
[d] *edd.* lib. 6 c. 34 de Serapione citantem Dionysium Alexandr. [e] *edd.* imperatore
[f] *cod. et edd. in marg. haec adnot.:* ἐδεῖτο utitur hac voce absolute sic et alias; subauditur autem recipi ad reconciliationem [g] *edd.* triduo
[h] *cod. in marg. haec adnot.:* καταβροχθίσας a gula dictum, quasi dicas transmittere per gulam
[i] *edd.* addit [k] *edd.* videtur [l] *edd.* est et permansit
[m] *cod. et edd. in marg. haec adnot.:* Musculus[12a] non recte vertit: „et a peccato liberatus coram multis, quae fecerat, confiteri posset" [n] *cod.* fluxit [o] *om. edd.* [p] *edd.* id
[q] *edd.* ante [r] *edd.* Christianis

[8] Ad Antonianum epist. 55, c. 22 (CSEL III 639, 8ss.). *Ps.-Cyprianus*, Ad Novatianum c. 7 (l. c. III, III 58, 6ss.).
[9] *Eusebius*, Hist. eccl. VI, c. 44, 1–6 (Eccl. hist. autores l. c. 105. GrChrSchr. 9, 2. Eusebius II, II 624, 13–626, 7).
[10] Ibid. VI, c. 44, n. 6 (Eccl. hist. autores l. c. 105. GrChrSchr. l. c. 626, 5–7).
[11] *Cyprianus*, ad presbyteros et diac. epist. 18, c. 1 (CSEL III 524, 4ss.).
[12] In epist. ad Hebr. (c. 10, 26) hom. 20, c. 1 (l. c. 143).
[12a] *W. Musculus* in versione *Eusebii*, H. e. VI, c. 44, in: Eccl. hist. autores l. c. 105.

Digitized by Google

tiore *sacramentum poenitentiae*[a], sicut baptismum dedit ad regenerandum ⌜necdum renatos⌝[b], quod quia negabat Novatus, habitus est haereticus. Adversatur enim hoc et scripturis, quae de illo sacramento loquuntur, et traditioni apostolicae, quae tunc in ecclesia de eodem sacramento nota erat et usu ipso catholico et perpetuo Christianorum omnium animis irradicata.

Neque minus sane hodie peccant quicumque negant ullum esse in ecclesia poenitentiae sacramentum a Christo institutum ad reconciliationem eorum, qui nunc mortaliter peccant. Nam quin fide, quin precibus, quin eleemosynis et aliis huiusmodi exercitiis reconciliationem impetrare relapsi possint, ne Novatus quidem in dubium vocavit. Haec si meminerimus, praeterquam quod postea difficultas expeditior nobis erit, rectius etiam intelligemus veteres, qui contra Novatianos scribunt, ut exempli causa[c] illud apud Eusebium lib. 6 c. 43, cum ait: „Novatum nullam salutis spem relapsis reliquam facere, etiamsi omnia", inquit, „facerent, quae ad synceram conversionem et puram exomologesin pertinent"[13], videlicet salutis spem non illam sentit Eusebius, quae a Deo solo absque[d] hominum ministerio sperari potest (hanc enim nemini desperandam esse diserte monebat Novatus), sed illam, quae homini per hominem contingere potest exhibitione sacramenti et usu potestatis, qua remissa in terris[e], remissa sunt 82r et in coelis. Semper enim | sacramentum et potestatem hanc urgere hic[f] et ante oculos habere oportet.

Tale est etiam, quod apud Socratem lib. 6 c. 22 Leontius, Ancyrae episcopus, exprobrat Novatianis: „Poenitentiam", inquit, „sustulistis et benignitatem Dei exclusistis"[14], nempe illam benignitatem, quam Deus per hominem hominibus impartitur, quomodo[g] iam dictum est. Refert praeterea in hac materia observare *exomologeseos*, *absolutionis*, *remissionis* et cognata vocabula. Est, ubi exomologesis generaliter valet, idem quod poenitentia ut ⌜in loco Eusebii⌝[h] iam citato[13]: „etiamsi omnia", inquit, „⌜facerent ad puram exomologesin pertinentia⌝"[i]. Quod hic *exomologesis* dicitur, ibidem c. 42 dicitur *poenitentia:* „Martyres", inquit, „nostri receperunt relapsos visa eorum conversione et poenitentia"[15]. Sic Basilius in sermone de poenitentia, qui et ipse contra Novatianos scriptus est, *exomologesin* et *poenitentiam* pro eadem re dixit: „Magnum est", inquit, „peccatum? Multa exomologesi opus est. Levis est lapsus? Exaequanda est et[f] poenitentia"[16]. Et Graecos imitati sunt hic Latini. Inde est enim[f], quod in c. [9] *Ad abolendam* [X] de haereticis [V 7] *confessio* pro toto sacramento poenitentiae ponitur[k][17].

Iam *absolutionis* et cognata vocabula est, ubi pertineant ad oeconomiam politicam, est rursus[f], ubi ad potestatem divinitus institutam ut in concilio Carthaginensi IV: „Is, qui poenitentiam in infirmitate petit, si, dum ad eum sacerdos invitatus venit, obmutuerit et, [si] continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori eius eucharistia"[18]. Hic, quia morituro eucharistia praebetur, intelligi ex hoc ipso debet, quo pertineat reconciliatio et manus impositio. At in eodem concilio c. 80 manus impositio non est potestatis huius, de qua dictum est, propria: „Omni", inquit, „die ieiunii manus poenitentibus a sacer- 82v dote[l] | imponatur"[19]. Alioqui manus impositio potestatis dictae proprie non contingebat eo saeculo poenitentibus[f] nisi *feria quinta* demum *ante pascha*, ut habes[m] in decretis Innocentii I c. 7[20] multoque ante Innocentium Soter papa in secunda decretali epistola: „A nullis", inquit „in coena Domini perceptio eucharistiae negligatur, cum et poenitentes eadem die ad percipienda corporis et sanguinis dominici sacramenta reconcilientur"[21].

Sed redeo ad exomologesin eius temporis, quod[n] fuit ante Novati haeresim. Extat de hac luculentum testimonium etiam apud Dionysium in epistola ad Demophilum[22], Tertullianum

[a] *cod. in marg. haec adnot.:* Augustini saeculo Afri vocabant sacramentum *remissae*[22a]
[b] *edd.* nondum renatis [c] *edd.* gratia [d] *edd.* sine [e] *edd.* terra, etiam
[f] *om. edd.* [g] *edd.* ut [h] *edd.* apud Eusebium loco
[i] *edd.* facerem, quae ad synceram conversionem et puram exomologesim pertinent
[k] *edd.* sumitur [l] *edd.* sacerdotibus [m] *edd.* habemus [n] *edd.* quae

[13] *Eusebius*, Hist. eccl. VI, c. 43, 1 (Eccl. hist. autores l. c. 103. GrChrSchr. l. c. 612, 14–17).

[14] *Socrates*, Hist. eccl. VI, c. 22 (Eccl. hist. autores l. c. 393. *Migne*, PG LXVII 729/30 A).

[15] *Eusebius*, Hist. eccl. VI, c. 42, 5 (Eccl. hist. autores l. c. 103. GrChrSchr. l. c. 612, 2).

[16] *Basilius*, hom. in illud: *Attende tibi ipsi*, c. 4 (*Migne*, PG XXXI 205/06 A).

[17] *Friedberg* II 780.

[18] Potius Statuta eccl. antiqua (c. a. 475, olim sub tit. *conc. Carthaginensis IV*) can. 20, al. 76 (CChr. CXLVIII 170, 54–59).

[19] Ibid. can. 65, al. 80 (l. c. 176, 161s.).

[20] *Innocentius I*, ad Decentium epist. 25, c. 7, 10 (*Migne*, PL XX 559 A) = c. 17 *De penitentibus* de consecr. dist. 3.

[21] Potius conc. Cabillonense (a. 813), can. 47 (MG Conc. II 283, 16ss.) = c. 17 *In cena* de consecr. dist. 2 sub rubr.: *Item Sother papa. Jaffé*, Reg. + 65.

[22] *Ps.-Dionysius Areopag.*, ad Demophilum epist. 8, c. 1 (*Migne*, PG III 1087/88 B).

[22a] *Augustinus*, De baptismo III, c. 18, 23: „remissam tamen peccatorum non dabant" (CSEL LI 215, 27).

Digitized by Google

in lib. De poenitentia[23], Cyprianum in sermone De lapsis[24]. Nam vixit et Cyprianus ante natam[a] Novati haeresim, etsi idem post eandem natam vixit, ut omittam Clementem in epistola 1 ad Iacobum[25]. Enimvero Novatus ne exomologesin quidem istam[b] sustulit, sed[a], ut habet in lib. De poenitentia Ambrosius[26] et lib. 4 c. 28 Socrates, absolutionem demum sustulit, quam uni Deo committendam docens: τῷ ἐξουσίαν, inquit, ἔχοντι συγχωρεῖν τὰ ἁμαρτήματα, hoc est: „potestatem", inquit[a], „habenti remittendi peccata"[27]. In quibus verbis diligenter consideranda est *potestatis* sive ἐξουσίας vox. Alludit autem ad locum, ⌜qui est apud Matthaeum c. 9 [6]⌝[c]: *Ut sciatis, quod potestatem habet filius hominis in terra remittendi peccata.* ⌜Idem est apud Socratem lib. 1 c. 10[27a]⌝[d]. Similiter loquitur apud Zozomenum Acesius, Novatianae sectae episcopus: ἠρτῆσθαι, inquit[28], τὴν ἄφεσιν ἐξουσίας „est non sacerdotum, sed Dei"[e], hoc est remissionem impende[re] ⌜non potestatis est sacerdotum etc.⌝[f]. Absolutionem ergo hactenus Novatus sustulit, quia potestatem hanc sustulit, quantum in ipso erat.

Caeterum qualis tunc fuerit exomologesis, primum ex | hac historia de Serapione vides eam 83r fieri solitam non apud episcopos modo, penes quos est ordinaria potestas, sed etiam apud presbyteros, quibus ipsi commisissent. Et quidem Dionysius non uni, sed pluribus commiserat. „Accerse", inquit, „mihi aliquem e presbyteris"[29]. Et rursus: „Nemo", inquit, „illi attendit"[30], quasi dixerit[g]: nemo ex omnibus, quibus commiseram. Deinde vides relapsis liberum tunc fuisse adire e multis, quemcumque voluissent. *Accerse*, inquit, *mihi* e multis *aliquem*. Quod idem videre licet ex Tertulliano[23] ⌜ac Origene[31], quo iam citatus est loco[32]⌝[h]. In eadem historia ex abundanti annotetur hoc etiam, quod olim quoque in more erat, ut reservarent eucharistiam ad viaticum morientium non sub panis tantum [specie] sed etiam vini[i], atque adeo videtur Serapion communicasse sub specie sanguinis tantum. Ad corpus enim verba haec[33]: ἀποβρέξαι, ἐπιστάξαι, ἐγχεῦσαι, hoc est *effundere*, *instillare*, *infundere*, non pertinent, sed ad sanguinem tantum. Horum autem verborum[a] primum Musculus non recte vertit *infundere*[34]*;* repugnat enim non solum praepositio verbi sed etiam intellectus verus sententiae, quae habet, ut puer sanguinem e vasculo effundendo simul in os senis[k] infundat et instillet. Ne illud quidem optime[l] Musculus, quod ἐγχέω vertit *instillare*[35]. Porro quod de sanguine infundendo hic legitur[m], huic simillimum est, quod iam recitavimus ex concilio Carthaginensi[36]: „et infundatur", inquit, „ori eius eucharistia". In eodem scripto Dionysii, ubi sic ait: „Iusseram, ut morituri absolverentur"[37], Musculus non recte vertit τὸ ἀφίεσθαι *admitterentur*[38]*;* repugnat enim non solum praepositio verbi sed et loci sententia, praesertim cum mox infra ⌜Dionysius eandem rem alio verbo explicaverit: *Conservatus est*, inquit, *senex*⌝[n], ἕως λυθῇ[39], ubi *absolvere* vertit et Musculus[40]. | Hoc mirum est[o]. In scripto Dionysii narratur Serapion confessus 83v et absolutus, cum neutrum fecisse videatur. Verum ita fecisse eum ⌜certum est⌝[a], ut et presbyter et Dionysius[a] episcopus pro facto habuerint, quicquid hic illi secuti sunt sive tale quiddam, quale tradunt doctores de muto confitente sine verbis per nutum, scriptum aut interpretem, sive putaverint senem satis antea confessum esse, cum *recipi peteret*[41] a presbyteris; maxime cum Dionysius non ⌜dubitaverit illum⌝[p] peccati sui iam veniam impetrasse studio bonorum operum, cui votum ⌜confessionis coniunctum⌝[q] erat. Adde huc necessitatis articulum et periculum morae.

[a] *om. edd.* [b] *edd.* hanc [c] *edd.* Matthaei c. 4
[d] *cod. in marg. add.; Lov. in marg. haec adnot.:* Vide historiam hic facientem ex c. 10 primi libri Socratis
[e] *cod. in marg. haec add.:* applicantis est et accommodantis [f] *edd.* potestatis est Dei
[g] *edd.* dicat [h] *edd.* loco iam citato etiam ex Origene [i] *edd.* sub specie vini
[k] *edd.* eius [l] *edd.* bene [m] *edd.* dicitur [n] *edd.* dicat senex [o] *edd. perg.* quod
[p] *edd.* dubitaret eum [q] *edd.* confitendi adiunctum

[23] De paenitentia c. 9, 2s. (CChr. I 336, 4ss.).
[24] De lapsis c. 16. 28. 31 (CChr. III 229, 315; 236, 551; 238, 611; 239, 621).
[25] *Ps.-Clemens I*, epist. ad Iacobum 1 Ps.-Isidor., c. 11 (*Hinschius*, Decretales 33).
[26] De paenitentia I, c. 3, 10; 7, 32 (CSEL LXXIII 123, 3ss.; 134, 20s.).
[27] *Socrates*, Hist. eccl. IV, I, c. 28 (*Migne*, l. c. 537/38 B). [27a] Ibid. I, c. 10 (l. c. 100s.).
[28] *Sozomenus*, Hist. eccl. I, c. 22, 2 (GrChrSchr. 50, 44, 5s.).
[29] *Eusebius*, Hist. eccl. VI, c. 44, 3 (l. c. 624, 19s.); vide supra p. 263, 16s. cum adn. 9.
[30] Ibid. c. 44, 2 (l. c. 624, 15).
[31] In Levit. hom. 2, c. 4 (GrChrSchr. 29. Origenes VI 296, 20).
[32] Videlicet ab Alf. Salmeron, Conc. Trid. VII, I 246, 1 cum adn. 4.
[33] *Eusebius*, Hist. eccl. VI, c. 44, 4–5 (l. c. 624, 25s.; 626, 4).
[34] Eccl. hist. autores l. c. 105: „iussitque, ut id infunderet... Infudit puer".
[35] Ibid.: „ori senis instillavit".
[36] Potius e Statutis eccl. ant.; vide supra p. 264, 33s. cum adn. 18.
[37] *Eusebius*, Hist. eccl. VI, c. 44, 4 (l. c. 624, 22–24).
[38] Eccl. hist. autores l. c. 105: „mandaveram morituros... admitti debere".
[39] *Eusebius* VI, c. 44, 6 (l. c. 626, 6).
[40] Eccl. hist. autores l. c. 105: „donec absolveretur".
[41] *Eusebius* VI, c. 44, 2 (l. c. 624, 15). Versio *Musculi:* „saepenumero recipi petierat" (Eccl. hist. aut. 105).

Digitized by Google

Et hactenus de eo, quid ecclesia de relapsis facere solita sit ante Novati haeresim. Sequatur nunc, ut ostendetur[a], quid [et] qua ex causa novum propter Novatianos constituerit. Verum id commodius fiet in consideranda serie historiae, quae est lib. 5 c. 19 apud Socratem.

Sed prius ex cap. 8 consideretur persona Nectarii, siquidem hoc etiam ad rem facit. *Senatoria stirpe* fuit, *moribus* moderatis et, licet *praetorem* Constantinopoli *ageret*, tamen erat in magna *omnium admiratione*. Nec vero malis artibus ad episcopatum pervenit, sed *raptus a populo* eligendus sistitur *centum et quinquaginta episcopis*[b] tum forte Constantinopoli in synodo praesentibus[42], commendante eum etiam Theodosio seniore[43], principe religiosissimo et de Christi ecclesia singulariter merito. Addit Zozomenus lib. 7 c. 16[44] *accinctum fuisse* eo tempore ad reditum *in patriam* (erat enim genere Tarsensis), ut nihil minus quam de episcopatu cogitarit, canum praeterea et divina quadam specie, sed necdum mysteriorum participem. ⌜Et apud eundem c. 10⌝[c] [84r] factus episcopus utitur *magisterio Cyriaci Adanorum* | *episcopi*. Invitat praeterea alios, quos secum in aedibus ⌜propriis familiariter habeat⌝[d][45]. Tum Theodoretus lib. 5 c. 8 Historiae, praeterquam quod *omni virtutum genere illustrem* facit[46], etiam epistolam dictae synodi ad Damasum papam inserit, in qua patres ita scribunt: „Praeposuimus in generali nostro concilio Constantinopolitanae ecclesiae reverendissimum et Deo amantissimum Nectarium episcopum cum omnium clericorum ac[b] totius civitatis approbatione“[47].

Sequitur nunc historia

Titulus Socratis est: *De poenitentialibus presbyteris*, ⌜*quemadmodum tunc sublati sunt*⌝[b][1]. Hic nemo mihi persuadeat periphrasi *poenitentialium presbyterorum* significari eos proprie, qui poenitentiae publicae praeerant, aut in Zozomeni titulo[2] *poenitentes* eos proprie esse, qui poenitentiam publicam agebant. Uterque enim scriptor[e] multas significationes dedit, quod de poenitentibus et poenitentia generaliter loquantur, ita[b] ut infra ex verbis ipsorum planum fiet. At scio quidem vocem utranque locis certis non pertinere nisi ad publicam poenitentiam. Verum in talibus locis nec significationes similes dantur, ut ex materia subiecta aut circumstantiis animadverti potest non accipi eas generaliter. Talis locus est in concilio Toletano I c. 2: „Placuit“, inquit, „ut poenitentes non admittantur ad clerum“[3]. Saepe etiam phrasis habet, ut de publice tantum poenitentibus *poenitentes* accipiantur, sed id apud Graecos magis fit[a] quam [apud] Latinos, ut cum dicunt[f] τοὺς ἐν μετανοίᾳ ὄντας, quae phrasis est apud magnum Dionysium[4] et ⌜infra apud⌝[b] Zozomenum[5].

Caeterum in titulo Zozomeni cavendus est Musculus; vertit enim: „Quomodo privata [84v] peccatorum confessio sublata sit Constantinopoli“[6], cum Zozomenus ipse sic | habeat: „Quomodo et quam ob causam sublatus sit poenitentialis in ecclesia presbyter et operosus labor circa modum poenitentiae“[2]. ⌜Ac quamvis⌝[g] titulus Graeci codicis nonnihil mendosus sit et ex initio primi[b] capitis sic restituendus videatur: Ὅπως καὶ δι' ἣν αἰτίαν ἀνεπαύθη ὁ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐπὶ τῶν μετανοούντων πρεσβύτερος etc.[7], tamen non ita mendosus est, ut Musculani sensus vel micam habeat. Et tantum de titulis.

Venio ad historiam. Committam[h] autem Socratem cum Zozomeno, ut uterque ex altero intelligatur, addamque ea tantum, quae faciunt ad quaestionem praesentem.

Socrates: „Visum est eodem tempore etiam presbyteros poenitentiales ecclesiarum tollere“[1]. Zozomenus: „Eodem tempore primus omnium Nectarius poenitentialem presbyterum sustulit, id quod secuti sunt omnes pene episcopi“[8].

Hic ne quis e Socrate, qui pluralis numeri *presbyteros* habet, putet plures tunc fuisse poenitentiales presbyteros, adnectat[i] Zozomenum singulariter dixisse *presbyterum*, quanquam idem

[a] *edd.* ostenderetur [b] *om. edd.* [c] *edd.* sed iam [d] *edd.* illustres habebat [e] *edd.* auctor [f] *edd.* dicitur [g] *edd.* quamvis [h] *edd.* committo [i] *edd.* advertat

[42] *Socrates*, Hist. eccl. V, c. 8 (*Migne* l. c. 577/78 B–C). [43] Cf. ibid. c. 8 in fine (l. c. 581/82 A).

[44] Potius *Sozomenus*, Hist. eccl. VII, c. 8, 1–2 (GrChrSchr. 50, 310, 10ss.); cf. *Musculi* versionem (Eccl. hist. aut. 675).

[45] Ibid. VII, c. 10, 1 (l. c. 313, 3ss.); cf. *Musculi* versionem (l. c. 676).

[46] *Theodoretus*, Hist. eccl. V, c. 8, 8 (GrChrSchr. 44, 288, 16ss.).

[47] Ibid. c. 9, 15 (l. c. 293, 20–24). Auctor secutus est versionem *Ioach. Camerarii* (Eccl. hist. autores l. c. 502).

[1] *Socrates*, Hist. eccl. V, c. 19 (*Migne*, PG LXVII 613/14 A).

[2] *Sozomenus*, Hist. eccl. VII, c. 16 (ibid. 1457/58 C).

[3] Conc. Toletanum I (a. 397–400), c. 2 (*Bruns* I 204. *Lauchert* 177, 32. *J. Vives*, Concilios Visigóticos e Hispano-Romanos, Barcelona–Madrid 1963, 20).

[4] *Ps.-Dionysius Areopag.*, De eccl. hierarchia III, c. 3, 6 (*Migne*, PG III 432 C. Dionysiaca l. c. II 1196).

[5] *Sozomenus*, Hist. eccl. VII, c. 16, 5 (GrChrSchr. 50, 323, 7).

[6] Eccl. hist. autores l. c. 540: Capita septimi libri n. 16.

[7] Qui titulus in editionibus nostrae aetatis deest.

[8] *Sozomenus*, Hist. eccl. VII, c. 16, 1 (l. c. 322, 17–19).

Digitized by Google

intelligas etiam ex Socrate; dixit enim *ecclesiarum presbyteros*, non *ecclesiae*, ut non recte Musculus verterit *in ecclesia*[9]. Porro ex pluralibus[a] *ecclesiis* Socratis et ex *pene omnibus* Zozomeni *episcopis* vides non in episcopatu Nectarii tantum sublatos hos presbyteros, sed generaliter in omnibus pene episcopatibus.

Causam sublationis Socrates sic[b] expressit:

Socrates: „Ex quo tempore Novatiani ab ecclesia separati sunt, episcopi[c] addiderunt ecclesiarum canoni[d] | τὸν πρεσβύτερον[e] τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας, sub quo peccata[f] sua con- 85r
fiterentur, qui post baptismum lapsi fuissent"[10].

Hic qui errore liberari volunt, vigilanter discernant veterem *ecclesiarum canonem* a recenti additamento sive accessione. Ita intelligent tum, quid ecclesia de relapsis ante Novati haeresim facere solita sit, tum, quid ⌜veteri mori propter Novatianos novum ac recens sit additum, tum, quid⌝[g] sub Nectario sublatum fuerit. Porro iam supra ostendimus, quod vetus canon hoc habebat, ut relapsis subveniretur per poenitentiam et remissionem alteram, baptismali non quidem parem, sed tamen similem, cuius dispensatio penes eos esset, quibus potestas data est peccata in terris remittendi[10a]. Et ex his, cum multi numero essent, liberum erat per eundem canonem eligere, quem pro suo quisque iudicio, affectu, conscientia vellet. Huic igitur canoni additus est poenitentialis presbyter, hoc est episcopali constitutione factum est, ut esset iam modus quidam certus et novus huius poenitentiae, sed modus (sicut in titulo vocat Zozomenus) *operosus* et confitentibus[h] gravis; re vera enim grave est alligari iam certo presbytero libertate sublata confitendi, cui velis. Grave est, ut[g] peccata, quae uni presbytero in aurem confessus sis, deferantur ad episcopum et ab episcopo recitentur apud[i] populum.

Iam Zozomenus propius adhuc causam expressit, cur propter Novatianos demum[g] modus hic *operosus* adhibitus sit.

Zozomenus: „Quia prorsus non[k] peccare", inquit, „supra vires humanas est et poenitentibus[l] Deus[m] veniam praeberi[n] iussit, sin vero[o] detractes[p] confiteri | peccatum, fit, ut te 85v
debita tua magis onerent et[q] praegravent. Propterea ab initio[r] visum est episcopis[s] peccata annuntiare[t] sive promulgare quasi in theatro teste multitudine ecclesiae. In hoc autem constituerunt presbyterum vitae optimae, taciturnum[u] et prudentem, ad quem accedentes qui peccassent confiterentur, quae gessissent. Is vero pro uniuscuiusque peccato, cum dixisset, quid facere oporteret, et multam imposuisset[v], quam oporteret luere, absolvebat[w] eos[x], qui a semetipsis poenam[y] exegissent"[11].

Causam videlicet Zozomenus hanc ⌜fuisse scribit⌝[z]. Faciebat Novati haeresis, ut Christiani ad confessionem minus quam antea afficerentur. Quis enim confiteri libenter velit, si non

[a] *edd.* pluribus [b] *edd.* ita
[c] *cod. et edd. in marg. adn.:* hic de suo addit Musculus pronomen *hoc* incommodissime[11a]
[d] *cod. in marg. adn.:* utique veteri et in omnibus ecclesiis continenti
[e] *cod. et edd. in marg. adn.:* vides certum fuisse et unum, non plures
[f] *cod. et edd. in marg. adn.:* vides in genere quaevis peccata, visurus paulo post etiam occultum peccatum
[g] *om. edd.* [h] *edd.* poenitentibus [i] *edd.* ad
[k] *cod. et edd. in marg. adn.:* rursus vides in genere quaevis peccata
[l] *ibid. in marg. adn.:* Quis hic interpretetur *poenitentes* de publice poenitentibus tantum?
[m] *ibid. in marg. adn.:* ergo divini instituti canonem vides
[n] *ibid. in marg. adn.:* νέμω vox dispensantis est
[o] *ibid. in marg. adn.:* hanc adversativam coniunctionem addo ex Tripartita historia[11b]
[p] *cod. in marg. adn.:* vides in poenitentia, de qua hic agitur, includi confessionem
[q] *cod. et edd in marg. adn.:* utique coram Deo, ut scias politiam non esse
[r] *ibid. in marg. adn.:* non nascentis ecclesiae, sed ex quo tempore Novatiani ab ecclesia separati sunt. Id discis ex eo, quod mox subicitur de constituto presbytero [s] *cod. in marg. adn.:* ἱερεῦσιν
[t] *cod. et edd. in marg. adn.:* graece est ἐξαγγέλλειν
[u] *ibid. in marg. adn.:* ἐχέμυθος in genere significat linguae continentis hominem, sive id sit in negotiis secretis sive aliis, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὸν μῦθον. Significatur igitur presbyter, qui non personas tantum silentio tegeret, si opus esset, verbum non effutiret, quae secreto a confitentibus didicisset
[v] *ibid. in marg. adn.:* Ergo episcopus non imponebat multam, sed recitabat tantum
[w] *cod. in marg. adn.:* utique coram Deo, quia praecessit de venia, quam Deus praeberi iussit
[x] *cod. et edd. in marg. adn.:* Musculus sic vertit[11c]: „ea lege absolvebat, ut a seipsis poenas exigerent". Atqui significat Zozomenus eos poenas iam exegisse; est enim εἰσπραξαμένους[11d]
[y] *Lov.* parvam [z] *edd.* habet

[9] *W. Musculus* in versione *Socratis*, Hist. eccl. V, c. 19, in: Eccl. hist. autores l. c. 373: „presbyteros, qui poenitentibus in ecclesia deputati fuerant".
[10] Hist. eccl. V, c. 19 (l. c. 613/14 A–615/16 A).
[10a] Cf. infra p. 270, 3s. cum adn. 32.
[11] *Sozomenus*, Hist. eccl. VII, c. 16, 2–3 (l. c. 322, 21ss.). Cf. versionem *Musculi*, Eccl. hist. autores l. c. 680.
[11a] *W. Musculus* in versione *Socratis*, H. e. V, c. 19, in: Eccl. hist. autores l. c. 373: „episcopi ecclesiastico canoni presbyterum certum quendam poenitentibus constitutum hoc adiecerant".
[11b] Hist. eccl. tripart. IX, c. 35, 2 (l. c. 553, 11).
[11c] *W. Musculus* in versione *Sozomeni*, H. e. VII, c. 16, in: Eccl. hist. autores l. c. 680.
[11d] *Sozomenus*, H. e. VII, c. 16, 3 (l. c. 323, 3).

Digitized by Google

speret[a] absolutionem, aut ut speres[b] eam, tamen dubites, an coram Deo valeat? Fit autem, ut existentibus haeresibus segniores fiant etiam catholici ad observanda ea, quae vident in dubium vocari. Hic igitur, dum advigilandum putarent episcopi, rationem inierunt adempta eis veteri libertate adeundi presbyterum quemlibet (sub illa[c] enim libertate quasi sub latebra tegere sese poterant segniores, ut non confiterentur), ut populo innotesceret nulla tam enormia peccata esse, quae relapsis non remitterentur, si poenitentiae ministris sese docendos, monendos, arguendos, corrigendos et absolvendos praebuissent ac confugissent ad divinitus ordinata remedia, denique peterent etiam preces publicas ecclesiae. Siquidem ad haec omnia spectabat illa peccatorum per episcopum recitatio.

Hunc sensum mihi suggerit primum vocula *propterea*. Deinde sermo ille, quo dicuntur 86r episcopi *peccata promulgare*. | *Visum est*, inquit, *episcopis*. Quid tandem facere? *Peccata promulgare*, inquit, non *promulgari*, ut ad confitentes referri non possit. Et valde hoc loco impediunt lectorem et Tripartita historia[12] et Musculus[13], dum vertunt activum verbum in passivum, quasi sensus sit visum esse[d] episcopis, ut peccata pandantur non per recitantem episcopum, sed per publice confitentem peccatorem, cum de confessione publice facienda nullum prorsus exemplum extet. De recitatione autem publica extat[e] exemplum apud Augustinum homel. 50[14]. Tantum de Theodosio Caesare[f] lego publice in ecclesia peccatum confessum esse[15], sed tunc, cum ipsi ecclesiam Mediolani ingressuro occurrit Ambrosius et coram eadem ecclesia publice[f] exprobrat saevitiam, quam exercuerat Thessalonicae; vide Zozomenum lib. 7 c. 24[16]. Nam quod Leonem quidam citant ex epistola, quae est ad episcopos per Campaniam, Samnium et Picenum constitutos[17], quasi in ea sit mentio confessionis publicae, vehementer ⌜in eo falluntur⌝[g]; agit enim Leo non de more ullo ecclesiae aut exemplo, sed de abusu tantum, qui contra ecclesiae morem irrepserat in pusilla tantum Italiae regiuncula. Neque generaliter illic irrepserat, sed apud quosdam tantum, ut vehementer mirer doctos quosdam homines citare hanc epistolam ad docendum de usu veteris ecclesiae.

S o c r a t e s: „Hic canon hodieque obtinet in aliis haeresibus. Soli autem Novatiani poenitentialem presbyterum sunt aversati. Ac ne initio quidem accessionem hanc receperunt"[18].

Canonis appellationem nunc attribuit recenti *accessioni*. At[f] ne putes eum de veteri canone sentire, aspice[h] ad adversativam clausulam: *soli autem etc.*, ⌜quasi dixerit⌝[i]: poenitentialem presbyterum receperunt etiam haereticae ecclesiae catholicas imitatae. At Novatiani illum non receperunt. Idem vides ex sequenti periodo, ⌜cum dicitur⌝[f]: *ac ne initio quidem etc.*, ubi eadem res vocatur προσθήκη, id est *accessio* nomine facto a verbo, quo supra usus est Socrates, cum diceret *episcopos addidisse ecclesiarum canoni*.

Z o z o m e n u s: „Verum Novatiani, apud quos nulla est poenitentiae ratio, nihil morabantur 86v istud. In aliis vero[k] haeresibus hodie quoque | obtinet ac praecipue in occidente, maxime autem Romae. Illic enim in aperto ⌜et illustri⌝[f] est locus τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων"[19]. Deinde paulo inferius: „Constituto autem die posteaquam persolvit aliquis multam quasi quoddam debitum, tum laxatur a peccato et cum populo ecclesiastica societate fruitur"[20].

Apud quos nulla poenitentiae ratio etc. ⌜Non quod sustulerint contritionem aut confessionem, sed sacramentalem absolutionem, in qua sita est perfectio et consummatio sacramenti poenitentiae⌝[l].

Τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων: Neminem moveat, quod ⌜sermonem Zozomenus⌝[m] desinit tandem in poenitentiam publicam; facit enim hoc delatus huc similitudine aliqua accessionis et poenitentiae publicae. Alioqui vel pueris notum est poenitentiam publicam non coepisse post Novatianos demum, cum sit antiquior concilio Nicaeno, imo eius meminit Dionysius[21]. Unde cer-

[a] *edd.* spectet [b] *edd.* spectes [c] *edd.* ista
[d] *edd.* est [e] *cod.* extet [f] *om. edd.* [g] *edd.* errant [h] *edd.* respice
[i] *edd.* quod dicit [k] *edd.* autem [l] *cod. in marg. add.* [m] *edd.* sermo Zozomeni

[12] *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripartita IX, c. 35, 2: „delicta pandantur" (l. c. 553, 14).

[13] *W. Musculus*, versio *Sozomeni*, Hist. eccl. VII, c. 16, in: Eccl. hist. autores l. c. 680: „ab initio sacerdotibus placuit, ut velut in theatro teste multitudine ecclesiae peccata manifestarentur".

[14] Serm. 351 (olim hom. 50 inter Homilias 50), c. 9: „Ut si peccatum eius ... in tanto scandalo aliorum est ..., in notitia multorum vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset" (*Migne*, PL XXXIX 1545).

[15] *Ambrosius*, De obitu Theodosii c. 34: „deflevit in ecclesia publice peccatum suum ... non erubuit imperator publicam agere paenitentiam" (CSEL LXXIII 388, 34, 3s. 6).

[16] Potius Hist. eccl. VII, c. 25, 7 (l. c. 339, 22s.). De iis, quae re vera ab Ambrosio et Theodosio I gesta essent, disseruit *H. Koch*, Die Kirchenbuße des Kaisers Theodosius d. Gr. in Geschichte u. Legende, HJG XXVIII (1907) 257–277.

[17] *Leo I*, ad episc. Campaniae epist. 168, c. 2 (*Migne*, PL LIV 1211 A).

[18] *Socrates* V, c. 19 (l. c. 615/16 A).

[19] *Sozomenus* VII, c. 16, 4–5 (l. c. 323, 3–7).

[20] Ibid. c. 16, 7 (l. c. 323, 16s.).

[21] Vide supra adn. 4.

Digitized by Google

tum est Zozomenum de initio eius aut sublatione non agere. Et tamen subieci, quae ille aliquanto inferius hic addidit, quia valent ad intelligendum Socratem.

Tum laxatur a peccato : Ergo et in poenitentia publica (nam de hac Zozomenus loqui pergit) non omnis absolutio erat politica, sed quaedam vere sacramentalis. Caeterum in hac particula Musculus malae fidei suspectus est; vertit enim *multa quasi debito quodam remissa*[22]. Imo, Muscule, multam persolutam significat Zozomenus. Quomodo igitur *remissam* diceret? Quare peccatum remissum et *laxatum*[a] dicit?

Socrates: „Qui[b] vero hodie ecclesias obtinent, cum perdiu istud observassent, postea sub Nectario mutaverunt, quia mulier quaedam[c] etc.“[18].

Zozomenus: „In ecclesia vero Constantinopolitana presbyter poenitentialis munere suo functus est, donec mulier quaedam[c] etc.“[23].

Socrates: „Mulier adit poenitentialem presbyterum et paulatim confitetur peccata, quae fecerat post baptismum. Presbyter monet, ut ieiunet et continuo oret. Mulier vero cum processisset, confitetur et alium lapsum, concubitum scilicet cum diacono ecclesiae“[24].

Et paulatim, κατὰ μέρος. Musculus vertit *ex parte*[25], sed fere significat *paulatim*. Et habet haec particula aperte confessionem secretam. Quomodo enim *paulatim* adiret et confiteretur publice?

⌜*Quae fecerat post baptismum*, formula generaliter omnia confitentis⌝[c].

Cum processisset : προβαίνω *pergere* significat in aliquo negotio. Et e Zozomeno sic intellige Socratem: post coeptam et perductam aliquo usque confessionem. Cum interpositi essent dies aliquot ad ieiunium et preces, tunc denique perrexit confiteri. Zozomenus enim occasionem concubitus addidit istam, quia, dum ieiunat ⌜et orat⌝[c] *mulier*, *immorata est in ecclesia.*

Zozomenus: „Donec mulier propter peccata, quae confessa erat, ieiunare et orare iussa, ac propter hoc in ecclesia immorata, indicavit se stupratam a diacono“[23].

Indicavit : καταμηνύω proprie *rem occultam prodo.* Unde et hinc[d] colligimus secretam confessionem fuisse, atque adeo secreti et occulti peccati.

Socrates: „Hoc dictum et diaconum ex ecclesia eiecit et tumultum peperit apud multitudinem, quia ecclesia propter hoc afficeretur[e] blasphemia“[26].

Hoc dictum, τοῦτο λεχθέν; λέγειν prorsus hic non est quod εἰπεῖν, sed *recitare* potius, *legere* et *commemorare* peccatum, quasi sit id flagitium recitatum, lectum et ⌜commemoratum ab episcopo⌝[c] in theatro ecclesiae. |

Zozomenus: „Quod ut didicit multitudo, indignata est, quia ignominia inusta esset 87r
ecclesiae“[27].

Socrates: „Hic Eudaemon perplexo Nectario dat consilium, ut amoveat presbyterum poenitentialem et concedat unicuique mysteriis communicare secundum propriam conscientiam“[26].

Amoveat ⌜*presbyterum :* non ait⌝[f]: *veterem canonem*. Praeterea vides hinc quoque[c] longe aliam rem agere Leonem papam in epistola supradicta[28], quando tolli vult ⌜improbabilem consuetudinem etc.⌝[g]

Mysteriis communicare : vides confessionem referri solere ad sumptionem eucharistiae. Praeterea tacite significatur[h], quod ad eucharistiam nemo venire solet nisi confessus, vel quomodo sub poenitentiali presbytero confitebantur, vel quomodo fiebat antea.

Zozomenus: „Consulentibus quibusdam, ut concederet unicuique mysteriis communicare, prout sibi conscius esset et fiduciam accipere posset[c] etc., poenitentialem presbyterum sustulit“[29].

Haec est illa particula, quae multos ira[i] impeditos tenet, ut affirmare non dubitent Nectarium omnem semel confessionem sustulisse, in quo virum optimum non minus ecclesiae perniciosum faciunt, quam fuerit pene dixerim Novatus ipse, tantum haeresim excipio. Quid enim

[a] *edd.* relaxatum　[b] *cod. et edd. in marg. adn. :* Redit ex digressione ad propositum　[c] *om. edd.*
[d] *edd.* ex hoc　[e] *edd. perg. :* contumelia et blasph.　[f] *edd.* etc., non autem
[g] *edd.* abusum, qui in aliquibus Italiae partibus praeter morem ecclesiae irrepserat
[h] *edd.* significari　[i] *edd.* ita reddit

[22] Cf. *Musculi* versionem *Sozomeni*, Hist. eccl. VII, c. 16, in: Eccl. hist. autores l. c. 680: „Constituto autem die peccati mulcta quasi debito quodam remissa populo in ecclesia coniungitur“.
[23] *Sozomenus* VII, c. 16, 8 (l. c. 323, 18ss.).
[24] *Socrates* V, c. 19 (l. c. 615/16 B).
[25] *W. Musculus*, versio Socratis V, c. 19, in: Eccl. hist. autores l. c. 373: „Mulier quaedam... et ex parte peccata sua post baptismum perpetrata confessa fuerat“.
[26] *Socrates* V, c. 19 (l. c. 617/18 A).
[27] *Sozomenus* VII, c. 16, 19 (l. c. 323, 23s.).
[28] Vide supra adn. 17.
[29] *Sozomenus* VII, c. 16, 19 (l. c. 324, 2–4).

Digitized by Google

Novatianis a veteribus obicitur, quod non idem in Nectarium haereat, si confessionem sustulit? Obicit Leontius: *Benignitatem*, inquit, *Dei exclusistis*[30]. Cur non idem obicias Nectario? Obicit Ambrosius[31]: *Donum caeleste* refunditis; sic enim loquitur hoc sentiendo, quod potestatem remittendi in terris peccata[32], quam Christus ecclesiae[a] donaverat, Novatiani nollent agnoscere, sed respuerent potius atque reicerent. Cur non idem obicias Nectario? Nisi vero refundere censendus non est qui facit, ut nunquam dono utamur. At erat, inquiunt, aulicus. Aulicum fuisse non lego[b]. Praeturam in Thracia administrasse lego[33], sed quam in Liguria administra-
87v verit et Ambrosius tunc[34], | cum catechumenus adhuc ad episcopatum raperetur. At factus episcopus, non ut Ambrosius studuit. Quis hoc de illo scriptum reliquit, cum doctorum hominum domestica consuetudine ⌜etiam redemisse⌝[c] legatur?

Sed esto, fuerit in scripturis parum exercitatus, ut ex ipsis non potuerit intelligere remissionem alteram et potestatem, de qua saepe dictum est, quid? Reliquae ecclesiae, quae idem fecisse memorantur, an aeque inexercitatae et rudes scripturarum et omnino rei christianae fuisse putandae sunt? Iam reliquae in toto orbe eruditiores ecclesiae nonne gravissime monuissent Nectarium de re ad salutem tam necessaria? Quis autem vel leviter reprehensum docere[d] potest, cum tot habeamus ⌜eorum temporum⌝[e] scriptores egregios? Et quod in primis me movet, ne postea ad haec usque nostra tempora quidem ab ullo notatus legitur sive Latino sive Graeco sive scholastico sive generis alterius scriptore. Nos hoc facere paucis his annis sine ullo exemplo coepimus.

Iam sunt qui[f] eodem crimine prope involvunt Chrysostomum, Nectarii in episcopatu successorem, hominem iudicio longe omnium in scripturis exercitatissimum, et cuius tam apertas sententias habemus tam de remissione altera in c. 11 ad Hebr. epist.[35] quam de potestate in terris remittendi peccata in lib. 3 De sacerdotio[36], rursum in c. 8 ad Hebr.[37] Quorum locorum vel singuli plus[g] apud me quidem valent quam universa loca, quae citantur ex concionibus eius popularibus[38], quamquam de locis illis dicemus postea.

Nunc argumenta tantum ex historiis petantur ac legatur Socrates lib. 6 c. 21.

88r [Socrates:] „Cum unica“, inquit, „esset a synodo episcoporum lapsis | data poenitentia, ausus est Chrysostomus dicere: Etiam qui millies poenitentiam egisti, tamen accede“[39]. Ita Socrates.

Hic qui meminerint, quid sit in hac causa poenitentia et quid eam[h] Novatus tollere contraque catholici retinere studuerint, an iis dubium esse poterit, quin et Chrysostomus et reliqui synodi illius patres de confessione et absolutione inter se tunc egerint ut de rebus adhuc omnino obtinentibus et nullo modo sublatis? Alioqui de sublatis quorsum se fatigarent episcopi? Vidi etiam, qui de errore Cypriani huc adferrent. Sed hoc argumentum facillime solveris, si attendas ad temporum et rerum dissimilitudinem[i]; nam quaestio, an baptismus ab haeretico collatus sit nullus, sub Cypriano moveri coepta est, ut patet ex initio libri 7 apud Eusebium[40]. De poenitentia vero, remissione altera et potestate remittendi nulla prorsus sub Nectario quaestio erat, sed tota res simpliciter indubitata habebatur inter catholicos, tantoque magis indubitata, quanto diligentius examinata fuerat iam propter Novatianos. Deinde quaestio de baptismo haereticorum non ita ex scripturis expediri tunc potuit, quia paucae scripturae manifeste de ea re loquuntur et e diverso plurimae pro Cypriano facere videbantur. Contra vero de poenitentia et rebus, quas complectitur, suppetebant iam omnibus nota et usu trita scripturarum testimonia.

[a] *om. edd*
[b] *Mansi Le Pl. in marg. adn.:* Nazianzenus oblique taxat segnitiem Nectarii, tribuit tamen ei ibidem magnam eruditionem[40a] [c] *edd.* usus [d] *edd.* dicere [e] *edd.* eius temporis [f] *edd.* quae
[g] *edd.* pluris [h] *edd.* ea [i] *edd.* similitudines

[30] *Socrates* VI, c. 22; vide supra p. 264, 18s. cum adn. 14.
[31] De paenitentia I, c. 11, 49: „Numquid is, qui Dei donum habet, potest non habere indulgentiam?“ (CSEL LXXXIII 143, 25). Ibid. II, c. 3, 13: „[immolatio vituli] speciem habet passionis dominicae, per quam caeleste sacramentum nobis donatum est“ (l. c. 169, 7s.). [32] Matth. 16, 19; Luc. 5, 24.
[33] *Socrates* V, c. 8; vide supra p. 266, 7 cum adn. 42.
[34] Vita Ambrosii auctore *Paulino* c. 5 (*Migne*, PL XIV 30 C).
[35] Potius *Io. Chrysostomus*, In epist. ad Hebr. (c. 12, 14) hom. 31, c. 3 (*Migne*, PG LXIII 216).
[36] *Idem*, De sacerdotio III, c. 5 (*Migne*, PG XLVIII 643).
[37] In epist. ad Hebr. (c. 8, 1) hom. 14, c. 2 (l.c. 112).
[38] *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 9, n. 23 (Corp. Ref. XXIX 701), ubi complures loci e *Chrysostomi* homiliis excerpti allegantur.
[39] *Socrates* VI, c. 21 (l. c. 725/26 C).
[40] *Eusebius*, Hist. eccl. VII, c. 3 (l. c. 638, 6ss.). Cf. *J. Ernst*, Neue Untersuchungen über Cyprian und den Ketzertaufstreit, in: Th. QuSchr. XCIII (1911) 230ss. 364ss. *B. Neunheuser*, Handb. d. Dogmengesch. IV 2, Freiburg 1956, 44ss.
[40a] Vide *Gregorii Nazianzeni* epistolam ad Nectarium datam apud *Sozomenum*, H. e. VI, c. 27, 2ss. (l. c. 275, 8ss.).

Digitized by Google

Quid sibi vult igitur sermo ille: *pro sua quisque conscientia*[41]? Scilicet seriem historiae consule et facile videbis non aliud velle, nisi ut neglecta recenti illa | et gravi[a] accessione liberum sit 88v unicuique redire ad solitam et antiquam libertatem eligendi e multis presbyteris, quemcumque pro suo quisque iudicio, affectu et conscientia voluerit, tantum ut ⌜in hac re⌝[b] re vera rationem unusquisque habeat conscientiae suae atque ita sese gerat, ut bona fiducia accedere audeat ad eucharistiam. Nam ad hanc, ut supra dictum est, referebatur poenitentia tam a catholicis quam Novatianis eoque[c] Novatiani, cum non viderent in ecclesia remissionem alteram, consequenter dicebant, et quidem erudite, supposito errore ipsorum nullum relapsum admittendum esse ad eucharistiam, eruditiores, acutiores et religiosiores hac in parte, quam fuerit ipse Chrysostomus, siquidem relapsos ad eucharistiam admisit, id quod isti volunt, nec confessos nec absolutos.

Expendatur deinde ratio consilii Eudaemonis, quam Socrates sic expressit.

Socrates: „Siquidem ita demum ecclesia habere poterit τὸ ἀβλασφήμητον“[42], hoc est: christiana ecclesia non afficietur posthac blasphemia ab ethnicis hominibus, quod fieri alioqui[b] necesse erat[d], si lapsus occultos, qualis erat concubitus supra dictus, recitare pergimus apud[e] populum.

Praeterea[f] Socrates, cum reprehendit Eudaemonem, non tales scripturas urget: *Quorum remiseritis etc.*[43] Non etiam morem urget ecclesiis, ut supra dixi[g], irradicatum[43a], videlicet ut ad eucharistiam Christiani non accedant nisi confessi et absoluti. Sed quid urget?

Socrates: „Dedisti“, inquit, „occasionem, ut Christiani inter nos invicem non amplius arguamus peccata“[44], hoc est: improbemus et detestemur ita, ut facere soliti | sumus, quoties 89r in ecclesia recitari peccata audivimus. Hunc sensum requirit et vocula ἀλλήλων, ⌜hoc est alii aliorum peccata⌝[b], et locus, quem ex apostolo allegat[45].

Zozomenus: „Atque ex eo[h] tempore res ista obtinuit et permansit, praesertim quia antiquitas [quantum arbitror] labi paulatim iam coeperat et in morem adiaphorum et neglectum degenerare“[46].

Hoc de illis temporibus numquam dicturus erat Zozomenus, si respexisset ad sacramentum poenitentiae. Ad politiam igitur priscam et operosam respexit et ad eos, qui politiae praeerant. Hi nimium iam remiserant de exacta diligentia.

Haec sufficere poterant ad considerandam historiae seriem. Verum quia in Zozomeni scripto ultima particula apud Tripartitam historiam usque adeo mutila et trunca est, ut simpliciter aberret a vero authoris sensu, ponam primum verba Historiae tripartitae, deinde Zozomeni sententiam, ut ex collatione appareat, quanta sit dissimilitudo.

Tripartita [historia]: „Presbyterum nequaquam super poenitentes esse praecepit. Et[i] ex illo antiquitatis consuetudo sublata est, cum, ut arbitror, minora peccata pro[k] pudore confessionis et subtilitate examinantium patrarentur“[47].

[Subtilitate:] Hic locus plures fefellit, ut crederent secretam confessionem per Nectarium sublatam. Sed longe aliter habet Zozomenus.

Zozomenus: „Poenitentialem presbyterum sustulit. Atque ex eo tempore res ista, cum obtinuisset, perseveravit postea atque permansit[l], praesertim quia antiquitas, quantum arbitror, et huic congruens gravitas ac diligentia labi paulatim iam coeperat | et degenerare in 89v morem indifferentem quendam et neglectum. Alioqui antea, ut arbitror, minora peccata fiebant tum propter pudorem eorum, qui peccata sua confitebantur, tum propter exactam diligentiam eorum, qui huic rei iudices constituti fuerant“[48].

Quia antiquitas: Refert hoc loco scire, quo retulerit Zozomenus *antiquitatis* vocabulum. Id autem sciemus, si ex chronographia meminerimus, quod duravit accessio[m] sive appendix annos circiter centum et quadraginta, hoc est a Fabiano papa[49], sub quo Novati haeresis extitit,

[a] *edd.* nova [b] *om. edd.* [c] *edd.* ideoque [d] *cod.* erit [e] *edd.* ad [f] *edd.* deinde
[g] *edd.* diximus [h] *edd.* illo [i] *edd.* ut [k] *edd.* prae
[l] *cod. et edd. in marg. adn.:* Scripsit haec Zozomenus sub Theodosio iuniore [408–450]. Nectarius autem factus est episcopus [a. 381] sub Theodosio seniore [379–395]
[m] *edd.* excessio, *Mansi Le Pl. in marg.* accessio

[41] *Socrates* V, c. 19. *Sozomenus* VII, c. 16, 9; vide supra p. 269, 35s. 43s. cum adn. 26 et 29.
[42] *Socrates* V, c. 19; vide supra adn. 26.
[43] Io. 20, 23.
[43a] Cf. supra p. 263, 44s.; 264, 3s.
[44] *Socrates* ibid. (l. c. 619/20 A).
[45] *Socrates* ibid. allegat Eph. 5, 11.
[46] *Sozomenus* VII, c. 16, 10 (l. c. 324, 4–7).
[47] *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripart. IX, c. 35, 6 (l. c. 554, 46–49).
[48] *Sozomenus* VII, c. 16, 10 (l. c. 324, 4–9); vide supra lin. 24s. cum adn. 46.
[49] A. 236–250.

Digitized by Google

usque ad annum Domini 381 sub papa Siricio[a50] et Theodosio seniore. Sub hoc enim sublata est appendix, eo fere imperii eius tempore, quo defuncto Gratiano imperium obtinuit cum iuniore Valentiniano[51]. Ab eo autem [tempore], quo sublata est appendix, usque ad scriptum Zozomeni[52] sunt anni circiter[b] 56. Hos numeros annorum 140 et 56 si in summam unam[b] redigas, habes annos prope 200. Itaque *antiquitatem* hoc loco retulit Zozomenus ad tempus, quo appendix primum facta est. Hoc sensu non mirum est, quod sublatio appendicis hactenus permanserit, cum et alioquin appendix ipsa coepisset iam antea negligenter servari. Antequam vero[c] neglectus hic irrepsisset, *minora peccata fiebant* simul *propter exactam diligentiam iudicum etc.* Certe nullo modo verisimile est Zozomenum *antiquitatis* appellationem tribuisse paucis illis annis 56, de quibus dictum est, aut sensisse, quod propter Nectarii factum maiora[d] peccata admitterentur, quam ante admissa fuissent.

4.

Puncta et summa capita censurae quam D. ac Magister Ioannes Walteri[1] ord. Praed., theologiae doctor, dixit ad supradictos articulos [de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis]

[Tridenti, die 23. Octobris 1551]

Vindobonae, Tabularium publ. *[Haus-, Hof- u. Staatsarchiv], Religionsakten fasc. 14 C, n. 152,* 61v–64r *(copia coaeva Caroli de Langhe)*

[Articuli de poenitentia]

Vindobonae 61v Art. 1. *Poenitentiam non esse proprie etc.*[2]

Haeretica est haec prima pars. — Secunda vero: *non recte secundam tabulam etc.* falsa est et iniuriatur patribus[3]. — Tertia autem ibi[e]: *baptismum vere esse sacramentum poenitentiae* haeretica est[4].

Art. 2. *Non esse tres partes poenitentiae*[5].

62r Haec prior pars | contraria est determinationi concilii Florentini large sumentis nomen *partes* pro quocumque requisito ad perfectionem poenitentiae[6]. — Secunda pars: *sed duas tantum, terrores etc.* falsa est et temerarie asserta; neutrum enim requiritur ad perfectionem poenitentiae.

Art. 3. *Contritionem, quae paratur per discussionem etc., non praeparare ad gratiam etc.*[7]

Haec pars si intelligatur de contritione *quantum ad substantiam actus*, prout[f] procedit ex puris naturalibus[8], vera est; si vero intelligatur de contritione, in quantum procedit ex speciali Dei motione, falsa est. — Secunda pars: *neque remittere peccata*, si intelligatur de contritione non informata charitate, vera est; si autem de contritione charitate formata[9], est haeretica. —

[a] *Mansi Le Pl. in marg. adn.:* Atqui hic pontifex creatus an. 385[53] [b] *om. edd.* [c] *edd.* autem [d] *edd.* minora [e] *Le Pl.* videlicet [f] *ibid.* pertinet et

[50] A. 384–399.
[51] Videlicet a. 383.
[52] Qui Hist. eccl. inter annos 439 et 450 scripsit.
[53] Potius mense Dec. 384.

[1] Ioannes Walteri *(Wauthier)* OPr. ex urbe *Lille* ortus, Parisiis ad baccalaureatum et a. 1541 ad doctoratum promotus est Lovanii, ubi in collegium facultatis theol. cooptatus est; obiit a. 1564; cf. *A. Walz*, I Domenicani al concilio di Trento, Romae 1961, 242. Excerpta ex eius sententia die 23. Oct. 1551 prolata Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 257, 12–258, 14. Haec *puncta censurae* eiusdem primum edidit *Le Plat* IV 301–303 ex eadem copia Caroli de Langhe, qua usi sumus. Una cum Ruardo Tapper decano aliisque doctoribus universitatis Lovaniensis Walteri die 24. Sept. 1551 Tridentum advenerat, Conc. Trid. l. c. 157, 27. De eo cf. *de Ram*, Mémoire sur la part l. c. 29s. 42s.
[2] Cf. Conc. Trid. VII, I 233, 10ss.; 257, 13ss.
[3] Cf. ibid. 258, 5s. 8ss.
[4] Cf. ibid. 258, 13s.
[5] Cf. ibid. 233, 15ss.
[6] *Eugenii IV* bulla *Exultate Deo* (22. Nov. 1439), decr. pro Armenis c. 5, 4 (*Mansi* XXXI 1057 E. *Denzinger*, Enchiridion l. c. n. 1323).
[7] Conc. Trid. VII, I 234, 3ss.
[8] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, Suppl. qu. 1, art. 1; qu. 3, art. 1.
[9] Cf. ibid. qu. 5, art. 2.

Digitized by Google

Tertia pars: *sed potius [facere] hominem etc.*, quomodocumque sumatur contritio, falsa est. — Quarta pars[a] ibi: *eamque contritionem etc.* falsa est; nam, si procedit ex amore virtutis, est dolor simpliciter spontaneus[10]; si autem metu poenae oriatur, licet sit coactus secundum quid, simpliciter tamen est liber.

Art. 4. *[Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non esse etc.*[11]*]*

Huius prior pars ibi[b]: *confessionem sacramentalem secretam iuris etc.*, si deponatur *secretam*, haeretica est; si autem intelligatur, quod iure divino peccata debeant secreto confiteri sic, quod publice facta confessio non sit sacramentalis, non puto falsam. — Altera pars ibi[b]: *apud antiquos patres ante concilium Lateranense* falsa est ex malitia procedens, ut persuadeant non esse iure divino confitendum, et ita damnanda ut falsa.

Art. 5. *Enumerationem peccatorum etc.*[12]

Haeretica est haec pars. — Secunda vero[b] ibi: *non necessarium [esse] confiteri omnia peccata etc.*, si intelligatur de peccatis ignoratis a poenitente, vera est; si autem de peccatis de se non manifestis, notis tamen poenitenti, haeretica. — Tertia quoque ibi[b]: *sed neque [ullas] circumstantias etc.* haeretica est. — Quarta autem ibi[b]: *velle omnia confiteri etc.* falsa est sicut et quinta ibi[b]: *non licere confiteri venialia*, utpote revocans poenitentes a bono. |

Art. 6. *Confessionem omnium*[c] *etc.*[13] 62v

Haec pars est falsa. — Secunda ibi[b]: *neque confitendum [esse] tempore quadragesimae*[d] *etc.* scandalosa est, revocans a peccatorum confessione sacro tempore quadragesimae, ut pure in paschate eucharistia sumatur.

Art. 7. *[Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem etc.*[14]*]*

Art. 8. *[Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi etc.*[15]*]*

Art. 9. *[Absolutionis ministrum, etiam si contra prohibitionem superioris etc.*[16]*]*

Eius pars prima falsa est, secunda quoque ibi[b]: *casuum reservationem etc.* et item tertia. Expediret tamen nonnisi gravi causa urgente casus reservare ac eos in certum numerum redigere, ut omnibus confessariis innotescat, a quibus absolvere possint et a quibus non, imo et in qualibet communitate aliquos constituere, qui a[e] casibus reservatis episcopis[f] absolverent, ne animae illaqueentur.

Art. 10. *[Totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo etc.*[17]*]*

Prima pars falsa est, item et reliquae.

Art. 11. Ibi[b]: *Optimam poenitentiam etc.*[18]

Haec pars, quia praesupponere videtur non requiri ad poenitentiam detestationem praecedentium peccatorum, falsa [est]; similiter et ceterae.

Art. 12. *[Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum etc.*[19]*]*

Partes duae primae falsae sunt. — Tertia pars ibi[b]: *fictiones esse, quod virtute clavium etc.*, si intelligatur, quod poena aeterna commutetur in temporalem, vera est, quia aeternum non mutatur in temporale; si autem intelligatur, quod ei, cui debebatur poena aeterna, virtute clavium iam non debetur poena aeterna[20], quia, quamvis maneat eadem poena, aufertur tamen[g] aeternitas, quia virtute clavium fit de inimico amicus, falsa est. — Quarta ibi[b]: *quod [non sit] clavium munus etc.* haeretica est.

[a] *ibid.* est
[b] *ibid.* scilicet [c] *ibid.* autem [d] *ibid.* quadragesimali [e] *ibid.* de [f] *ibid.* episcopi
[g] *ibid.* enim

[10] Cf. ibid. qu. 1, art. 1.
[11] Cf. Conc. Trid. VII, I 234, 8s.
[12] Cf. ibid. 235, 4ss.
[13] Cf. ibid. 236, 3s.
[14] Cf. ibid. 236, 7ss.
[15] Cf. ibid. 236, 14ss.
[16] Cf. ibid. 237, 6ss.
[17] Cf. ibid. 237, 11ss.
[18] Cf. ibid. 238, 1ss.
[19] Cf. ibid. 238, 7ss.
[20] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, Suppl. qu. 18, art. 2.

Digitized by Google

Articuli de extrema unctione

Art. 1. *[Extremam unctionem non esse sacramentum etc.*[21]*]*

Art. 2. *[Extremam unctionem non conferre gratiam neque remissionem peccatorum etc.*[22]*]*

Eius primae partes haereticae sunt, ut puta[a] contra doctrinam Iacobi [5, 15]. — Tertia falsa est.

Art. 3. *[Extremae unctionis ritum et usum non observari ab ecclesia etc.*[23]*]*

Prima pars iniuriosa est ecclesiae. — Secunda ibi[b]: *ideoque* ⌜*eum mutandum*⌝[c] *esse* temeraria
64r est. | — Tertia pars ibi[b]: *posseque a Christianis etc.* scandalosa est et ad peccatum inducens.

Art. 4. *[Extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem etc.*[24]*]*

Prima pars contraria est determinationi ecclesiae in concilio Florentino[25], ultima falsa et praesumptuosa.

5.

D. Ioannes Mahusius Aldernardensis ord. s. Francisci de observantia Sententia, quam dixit ad nonnullos ex supradictis articulis [de poenitentiae sacramento]

in sacrosancto universali concilio Tridentino[1]

Die 23. Octobris 1551

Vindobonae, Tabularium publ., *Religionsakten fasc. 14 C, n. 152,* 64r–67v et 70r
(copia coaeva Caroli de Langhe)

Vindobonae 64r

Primus articulus de sacramento poenitentiae[2]

Dico hunc articulum secundum omnes sui partes falsum esse, erroneum ac sacris scripturis contrarium. Pro huius autem declaratione primo statuam, quae vera sunt, puta *poenitentiam proprie esse sacramentum a Deo institutum*, et quidem ad reconciliationem etc. Deinde inferam tam ipsius articuli quam partium eius falsitatem.

Primum itaque sic procedo: Sacramentum poenitentiae sive absolutionis potissimum verbo Christi nititur, quod scribitur Io. 20 [21ss.], quando[d] dicit Dominus: *Sicut misit me pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite spiritum sanctum*[e]. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic enim diserte ac proprie et in specie explicatur remissionem peccatorum posse fieri ab hominibus, quod nullo alio in loco sic in specie et tam diserte explicatur, non Matth. 16 [19], non Matth. 18 [18], non Iac. 5 [15], scilicet peccatorum remissionem posse fieri ab hominibus, ut patet intuenti. Erit ergo hic locus praecipuus, in quo fit mentio de sacramento poenitentiae.

Atqui in dictis verbis Dominus tria complectitur, quibus hoc sacramentum poenitentiae instituit et absolvit, duo videlicet[f] explicite, implicite tertium.

Primum est ipsius sacramenti poenitentiae forma, quae significatur verbo *remiseritis.* |
64v Siquidem forma sacramenti poenitentiae consistit (ut in concilio Florentino sub Eugenio IV legitur[3]) in his verbis: *Ego te absolvo.* Idem autem, sicut inquit divus Thomas Aquinas opusculo

[a] *ibid.* utpote [b] *ibid.* scilicet [c] *ibid.* commutandum
[d] *Le Pl.* quia [e] *om. Le Pl.* [f] *ibid.* vero

[21] Cf. Conc. Trid. VII, I 239, 4.
[22] Cf. ibid. 239, 9ss.
[23] Cf. ibid. 240, 1s.
[24] Cf. ibid. 240, 6ss.
[25] Decr. pro Armenis c. 5, 5. (*Mansi* l. c. 1058 C. *Denzinger* l. c. n. 1325).
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 258, 15–259, 2; sententiam ipsam ex eodem cod. Vindobon. primum edidit *Le Plat* IV 303–309. De auctore *(Jean Mahieu)*, qui una cum ceteris doctoribus universitatis Lovaniensis die 24. Sept. 1551 Tridentum advenerat, cf. Conc. Trid. l. c. 157, 27; 258, adn. 4. *P. F. X. de Ram*, Mémoire sur la part l. c. 29s. 42s.
[2] Vide Conc. Trid. l. c. 233, 10ss.
[3] *Eugenius IV*, bulla *Exultate* (22. XI. 1439), decr. pro Armenis c. 5, 4 (*Mansi* XXXI 1058 A. *Denzinger* l. c. n. 1323).

Digitized by Google

22, cap. 2[4], *absolvere* et *remittere*, imo et (quo apostolus utitur 2 ad Cor. 2 [10]) *donare*, quamvis (ut ibidem testatur) ecclesia sancta congruentius utatur verbo *absolvo* quam aut *remitto* aut *dono* aut (quo sanctissimus pontifex utitur ad remissionem culpae) *relaxo*.

Secundum, quod Dominus explicite ostendit, est sacramenti poenitentiae effectus, qui est peccatorum remissio, quando addit: *remittuntur eis;* hanc enim peccatorum remissionem ipsa Christi verba aperte significant.

Tertium est huius sacramenti materia, quae proxima[a] est (ut in eodem concilio Florentino habetur[5]) ipsa confessio. Et hanc Dominus verbis suis involvit, quando confessarium iudicem constituit ad diiudicandum inter peccatum et peccatum, ut[b] pro recto[c] iudicii dictamine nunc peccatum remittat, nunc retineat, prout iudicaverit expedire. At recte[d] iudicium fieri non potest nisi prius cognita causa. Hinc nulla lex, neque divina neque humana, iudicat quod ignorat; non quidem divina; dicit enim Nicodemus Io. 7 [51] in pleno consessu Iudaeorum principum de lege Dei loquens: *Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit, quid faciat?*, quod dicit *minime*. Huc pertinet, quod Dominus neque in veteri lege neque in nova quemquam damnare voluerit nisi prius auditum, non Adamum aut Evam Gen. 3 [11ss.], non Sodomitas, nisi prius (ut ad Abraham loquitur Gen. 18 [21]) *descendisset ac vidisset, num clamorem, qui ad se venerat, opere complessent.* Sed et Moysi dicebat Deut. 1 [17]: *Ita parvum audietis ut magnum nec accipietis cuiusquam personam etc.* Non item humana, liquet Act. 25 [16], | ubi Festus respondet Iudaeis *postulantibus adversus* Paulum *damnationem: Non est,* 65r
inquit, *Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*, quae ei obiciuntur. Sed nec Pilatus, praeses Hierosolymitanorum constitutus a Romanis, salvatorem nostrum Iesum condemnare voluit nisi prius audita causa. Propterea rogabat Io. 18 [29]: *Quam accusationem adfertis adversus hominem hunc?* ⌜Et quando⌝[e] ad rem non responderunt, ait Iudaeis: *Accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate eum*[6], ac si dicat: si satis est vestra examinatio, satis sit et sententia.

Iam cum confessarius non tantum iudex sit a Domino constitutus, verum etiam, sed per accidens et accessorie, officium exerceat medici, ideo huc quoque pertinet, quod d. Hieronymus scribit cap. 10 [11] super Ecclesiasten, videlicet[f]: *Quod ignorat, medicina non curat*[7] et quod medicorum princeps medicum rogat: Si morbi causam ignoras, medice, quid curas?[8] Nisi igitur cum David, qui innocentem Mephiboseth male condemnavit 2 Reg. 16 [4], et cum Assuero Hest. 3 [13], qui male persuasus totum Iudaeorum genus iussit deleri, cumque innumeris aliis confessarius errare velit, prius causam cognoscat quam iudicet, est necessarium. Videat, inquam, peccatorum nodum, quem dissolvat. Sed hunc ex se scire non potest, quia peccata ut plurimum in tenebris fiunt, quemadmodum testatur Iob 24 [15] dicens: *Oculus adulteri observat caliginem* et Dominus Io. 3 [20]: *Omnis enim, qui mala agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius.* Eph. 5 [12]: *Quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere,* licet autem Deus hoc intueatur et videat. Hebr. 4 [13]: *Omnia enim nuda etc.* Ipse tamen *homo* non *videt* nisi *quae patent*, 1 Reg. 16 [7]. Ex semetipso igitur sacerdos scire non potest. Ad haec neque ipse Christus Dominus non[g] sacerdotibus hominum peccata revelat, partim ne videatur *accusator fratrum* suorum, de quo Apocal. 12 [10], partim quod ipsimet hoc possint, quo[h] malorum suorum remedia quaerant. |

Tertio. Nec sunt haec vi extorquenda aut metu, cum nihil sit meritorium, nisi et volun- 65v
tarium fuerit, et illos[i] laudet Deus Io. 3 [21], qui ultronei *ad lucem veniunt, ut manifestentur opera eorum.* Si ergo confessarius, quem Deus peccatorum iudicem constituit, debeat peccata diiudicare, uti debet, vel ad remittendum vel retinendum, manifestissimum est eum, qui scelerum suorum mole premitur, debere suo iudici omnia mala sua, quae nequiter commisit, ingenue ac

[a] *ibid.* perspicua [b] *ibid.* ita [c] *ibid.* certo [d] *ibid.* certe [e] *ibid.* quam [f] *ibid.* scilicet [g] *om. Le Pl.* [h] *cod.* qui [i] *Le Pl.* istos

[4] *Thomas Aqu.*, De forma absolutionis (in edit. Romana opusc. XXII), c. 2: „obiicit, quod Dominus idem voluit ostendere dicens: *Quodcumque solveris etc.* et: *Quorum remiseritis etc.;* nullus autem dicit: Ego tibi remitto peccata; ergo nec debet dicere: *Ego te absolvo.* Sed obliviscitur eius, quod apostolus dicit [2 Cor. 2, 10] se *donasse* peccatum non propria auctoritate, sed *in persona Christi. Donare* autem idem est quod etiam *remittere.* Papa etiam se *relaxare* dicit aliquam partem de poenitentia iniuncta. Ideo enim in absolutione sacramentali potius utimur verbo *absolutionis* quam *remissionis*, ut forma absolutionis conveniat verbis institutionis".

[5] Decr. pro Armenis (*Mansi* l. c. 1057 E. *Denzinger* l. c. n. 1323).

[6] Io. 18, 31.

[7] *Hieronymus*, Comment. in Eccl. 10, 11 (CChr. LXXII 338, 196).

[8] *Cl. Galenus*, Ars medica c. 28: „Omnium autem primae in sola curandi ratione causae positae sunt" (Opera, ed. *C. G. Kühn*, I, Lipsiae 1821, 380). *Idem*, De humoribus: „Quamobrem qui varios morbos curaturus est ipsorum causas praenosse oportet. Si quis enim, ut loquitur Hippocrates, morbi causam noverit, is sane morbo reluctaturus profutura remedia ... adhibebit" (l. c. XIX 494). — Introductio seu Medicus (*Galeno* adscriptus) c. 7 (l. c. XIV 690). — *Hippocrates*, De arte c. 6 (Opera, ed. *C. G. Kühn*, I, Lipsiae 1825, 11).

Digitized by Google

libere explicare. Alioqui primo Deum tentat otiose et frustra expectans ab illo, quod ipsemet in sua habet potestate; secundo indignum se beneficio sacramentalis absolutionis demonstrat, pro quo obtinendo hoc praestare non vult, quod in suis viribus positum non ambigit; tertio iure damnatur, quia, quandocumque Dominus aliquid mandat aut requirit ab homine, tum simul mandat et requirit quicquid mandatum illud necessario. Imo rationabiliter involvit ac secum trahit, etiamsi Dominus rei illius expressam nullam mentionem fecerit. Cuius rei illustre exemplum habemus ac evidens Matth. 22 [3–12], ubi dominus *misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Venerunt nuptiae, *impletae sunt discumbentium*, introivit *rex et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Mirum, quod non responderit: Domine, mi rex. Quid a me vestem nuptialem requiris, dum neque tu unquam, dum nuntios tuos mitteres, sed neque nuntii tui unquam illius mentionem apud me fecerint? Sed *lumen vultus* Domini, quod (ut scribitur[a] Ps. 4 [17]) *super* ipsum *signatum* erat, ostendebat ei, quod non debebat sine veste nuptiali tam regales nuptias adire, maxime cum illam (dilectionem Domini) in corde suo habebat, habere poterat et invenire. Quia igitur non est secutus, quod ratio dictabat, *ligatis manibus et pedibus* coniectus est *in tenebras exteriores*[9]. Haud dubie nihil minus fiet illi, qui medium necessarium ad salutem volens et
66r prudens neglexerit. Si ergo quispiam confiteri nolit | peccato mortali gravatus, cum ad hoc necessario, si salutem assequi velit, tanquam ad medium saluti necessarium currere possit, dubio procul damnabitur.

Ex his tria infero verissima. Primum: poenitentiam proprie esse sacramentum, cum hic sint haec tria, videlicet[b] forma, materia et effectus sacramenti poenitentiae. Secundum: hoc sacramentum poenitentiae divinitus esse institutum, cum ab ipso Christo (ut ex verbis illius iam audivimus) immediate sit traditum et in evangelio conscriptum. Tertium[c] quoque: a Christo institutum esse ad reconciliationem, cum virtute huius sacramenti peccata remittantur, quae sunt tanquam materies seu murus, qui (ut ait propheta Esaias cap. 59 [2]) *dividit inter nos et Deum nostrum.* Igitur tria in primo articulo posita his contraria falsa sunt et erronea, scilicet primum: *poenitentiam non esse proprie sacramentum;* secundum: *non esse sacramentum a Christo institutum;* tertium: hoc *sacramentum non esse institutum pro reconciliatione.*

Quod autem additur: *non esse institutum a Christo pro lapsis post baptismum*, et hoc quoque manifeste falsum est, quia non potest hoc sacramentum applicari nisi ecclesiam ingressis per baptismum, partim quod ecclesia (ut apostolus scribit ad Corinthios 1 cap. 5 [12s.]) non *iudicat de his, quae foris sunt*, et in hoc sacramento poenitentiae magnum oportet exercere iudicium, partim quod ipsum non sit ordinatum nec efficax ad peccatum originale delendum, ad quod post circumcisionem baptismus successit. Imo, si sacramentum poenitentiae originali adhuc peccato obnoxiis adhiberetur, nisi[d] peccatorum labem auferret, non ergo applicatur nisi lapsis post baptisma. Hinc Ioannes Apocal. 2 [5] scripsit angelo Ephesino post baptismum lapso: *Memor esto, unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac.* Ex his elucet prius falsum esse: *sacramentum poenitentiae non esse ad reconciliationem pro lapsis post baptismum a Christo institutum;* posterius et hoc quoque falsum: *nec recte a patribus secundam post naufragium tabulam appellari*, cum *secunda tabula* necessarium refugium salutis appelletur a patribus[9a] post innocentiae tunicam in
66v baptismo receptam perditam[e], | laboriosius quidem et periculosius, quam erat navis, sive conferas navim cum tabula sive utriusque ministros sive effectus utriusque sive requisita ad utrumque.

Et quam absurda sit huius articuli extrema pars, quae asserit *baptismum ipsum verum sacramentum poenitentiae esse*, per se manifestum est, quandoquidem in baptismo neque peccatorum ulla enumeratio neque diiudicatio requiritur. Sed quemadmodum Pharao simul et semel cum universo exercitu suo sine personarum discretione aut percensione in mari rubro tamquam plumbum ita, ut *nec unus* remaneret, Exodi 14 [28], submersus est, ita, dum *in morte Christi baptizamur*, ad Rom. 6 [3], omnia peccata nostra sine ulla confessione aut iudicio pariter pereunt. At in sacramento poenitentiae omnia peccata mortalia etiam cum suis circumstantiis (ut iusta imponatur satisfactio) et recenseri et iudicari debent. Ergo etc.

Articulus secundus: *Non esse tres poenitentiae etc.*[10]

Dico et hunc articulum cum partibus suis falsum, erroneum et sacris elogiis contrarium. Et quantum ad primam eius partem sic probo. Verum typum poenitentiae ostendit nobis David, Manasses et ipsi Ninivitae Ionae 3 [5ss.], quorum poenitentiam nobis Christus commendavit

[a] *ibid.* scribit [b] *ibid.* scilicet [c] *ibid.* tertio [d] *om. Le Pl.* [e] *ibid.* dicitur

[9] Matth. 22, 13. [9a] Cf. supra p. 240, 28s. [10] Vide Conc. Trid. VII, I 233, 14ss.

Digitized by Google

Matth. 12 [41], in quibus omnibus hae tres poenitentiae partes elucent luculentissime. In David autem 2 Reg. ultimo [24, 10], ubi scribitur: *Percussit autem cor David eum, postquam [numeratus est] populus*, ecce contritio. Secundo: *et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto*, ecce confessio. Porro pro satisfactione et pestem elegit et sustinuit inflictam, sed *et altare aedificavit Domino et obtulit holocausta et pacifica. Et propitiatus est Dominus terrae, et cohibita est plaga ab Israel*[11]. Item de Manasse[12] et Ninivitis non fuerit difficile ostendere; sed causa brevitatis omittatur. Hi autem sunt typi, figurae et umbrae nostrorum poenitentium; scriptum est enim 1 Cor. 10 [11]: *Omnia in figura contingebant illis* et Hebr. 10 [1]: *Lex umbra* erat *futurorum bonorum*. Sed in umbra et figura hae tres poenitentiae partes inveniuntur; ergo et in corpore et veritate eadem | inveniri est necessum. Alioquin non erit lex vera *umbra* neque *figura futurorum bonorum*, 67r sed continebit typos, signa et figuras falsas, cum sint divinitus datae. Unde et d. Paulus sciens divinorum signorum infallibilitatem non raro argumentatur ab umbra ad corpus, a figura ad veritatem, quemadmodum facit 1 Cor. 9 [14] probans *eos, qui evangelium annuntiant, de evangelio* posse *vivere*, eo quod scriptum sit Deut. 25 [4]: *Non alligabis os bovi trituranti*[13]*;* Deut. 18 [1]: *Qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altario deserviunt, cum altario participant*[14].

Si ergo consequentia ab umbra ad corpus, a figura ad veritatem bona est et tenet apud apostolum, merito et apud nos valebit. Verum haec et in novo testamento et fortassis multo luculentius ostendi possunt. Pro cuius enucleatione breviter animadvertendum est duos esse modos revertendi ad Dominum per poenitentiam, quorum meminit R^mus^ atque idem sanctissimus praesul D. Ioannes Roffensis[a] in eo libro, cui titulum fecit: *Assertionis Lutheranae confutatio:* „alter fit per amorem, per timorem alter"[15]. Per amorem accessit filius prodigus, Luc. 15 [18ss.]. Patet primo, quia filius; secundo, quia sponte; tertio, quia nil nisi patrem clamat: *Ibo*, inquit, *ad patrem meum*. Sed qua audacia, quo vultu, qua facie? Nihil, respondet, mea refert. Pater est ac solus bonus pater. Proin, etsi ego perdidi, quae sunt filii, ille fidelis (Malach. 3 [7]), ille *immobilis permanet*[16]. Se ipsum negare non potest. Non perdidit ille, quae sunt boni patris. Intus in corde in visceribus eius vivit et vernat, quod me vocat et amat. *Ibo ad patrem meum*. Ecce viam poenitentis redeuntis per amorem.—Per timorem autem reversus est ille, *qui* Matth. 18 [24] *decem milia talentorum debebat*. Pater primo, quia servus erat. Secundo non sponte, sed vocatus, sed obligatus[b] sive per infirmitatem sive per infamiam sive per | infortunium vel alio 67v quovis pacto attractus venit. Tertio non cum patre, sed cum minitante rege ac domino illi negotium est. Unde exterritus est valde audiens regiam iussionem, nempe ut et ipse *venundaretur et uxor eius et filii et omnia, quae habebat etc.*[17] In utraque enim via istae tres poenitentiae partes inveniuntur manifeste, et prius quidem in filio prodigo, deinde et in debitore illo. In filio autem prodigo notatur contritio, quando Luc. 15 [17–19] scribitur: *In se autem reversus*[c] *etc.* Confessio autem in allocutione patris, dum ait: *Pater, peccavi in coelum et* terram et *coram te*. Satisfactio vero, quando subiicit: *Iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis*. In debitore porro et eadem liquido apparent: primo contritio, quando post timorem ad genua regis accedit et humiliatur et orat[18]. Secundo in repetiti debiti agnitione confessio; non enim negabat debitum. Tertio, quando addit Matth. 18 [26]: *Patientiam in me habe, et omnia reddam tibi*.

Ecce in utraque via per poenitentiam redeundi ad Dominum, hoc est amoris et timoris, tres partes poenitentiae, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem.

Sed dicet quispiam non fuisse veras partes sacramenti poenitentiae, quando tempore istorum verum poenitentiae sacramentum nondum erat institutum neque in usu; sed et parabolae erant. Esto sane, utrumque agnoscimus. Scimus sacramentum poenitentiae non fuisse institutum, quando ista a Domino de filio prodigo deque illo debitore dicebantur. Scimus et parabolas fuisse. Quid tum postea? Nec baptismus Ioannis neque confessio, quam Matth. 3 [6] excipiebat, vere erant sacramenta, cum neque gratiam polliceri ex sese aut praebere aut suis cerimoniis alligare potuerint. Sed hoc solus Deus pater[d] facit Ps. 83 [12] dicente David: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* et solus Iesus Christus, filius eius, Io. 1 [17]: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, et solus spiritus sanctus, ad Rom. 8 [14ss.]. Hinc canit ecclesia: | *Sancti* 70r

[a] *ibid.* Passey [b] *cod.* oblatus [c] *Le Pl.* conversus [d] *ibid.* primo

[11] 2 Reg. 24, 25.
[12] 2 Par. 33, 12s.; vide *Orationem Manassae* apocr.
[13] 1 Cor. 9, 9.
[14] 1 Cor. 9, 13.
[15] *Io. Fisher*, episc. *Roffensis*, Assertionis Lutheranae confutatio, ad art. 6: „Duos modos ante recensuimus ex Cassiano, quibus ad veram compunctionem pervenitur, altero timoris, amoris altero" (Opera, Wirceburgi 1597, 412). Ibid.: „duo sint capitales modi, quibus resipiscere peccatores consueverunt, unum timoris, amoris alterum" (ibid. 413). Ibid. ad art. 36: „Duplex igitur tractus est, alter per timorem, per amorem alter" (ibid. 701).
[16] Potius Tob. 2, 14.
[17] Matth. 18, 25.
[18] Matth. 18, 26.

Digitized by Google

spiritus adsit nobis gratia[19]. Ista tamen, quae Ioannes faciebat[20], certa erant praeparamenta ac documenta, quae nos docebant et erudiebant, quomodo nos in veris Christi sacramentis, baptismo dico et confessione, habere deberemus. Nullum igitur inconveniens, si etiam praememorata exempla et Christi parabolas intueamur tanquam certissima specula, in quibus speculamur et doceamur, quibus nobis in sacramento poenitentiae opus est quaeque servare nos Deus velit; ad hoc enim nobis a Christo Domino proponuntur[a]. Cum igitur tres poenitentiae partes hic aptissime exprimantur, clarum relinquitur sacramentum poenitentiae tres habere partes, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem.

Falsa ergo est, erronea et sacris elogiis contraria prima pars huius secundi articuli, asseverans *non esse* eas *tres partes poenitentiae.*

Hactenus tantum propter temporis angustiam pronuntiavit[21].

6.

Magister Rogerius Iuvenis Brugensis OESA
Iudicium et sententia
ad supradictos articulos de sacramento poenitentiae[1]

primum viva voce publice pronuntiata, post legato in scriptis exhibita ea forma, quae sequitur

[Tridenti, die 23. Octobris 1551]

Vindobonae, Tabularium publ. *[Haus-, Hof- u. Staatsarchiv], Religionsakten fasc. 14 C, n. 152,* 70r–71v
(copia coaeva Caroli de Langhe)

Vindobonae 70r Confessionem peccatorum in lege naturae Deus ab Adam lapso requisivit, dum dixit: *Adam, ubi es?*[2] Lege vero scripturae multifariam eam adumbravit, Levit. 13 [9ss.] et 14 [2ss.]. In vestibulo autem legis gratiae praecursor Baptista Ioannes studiose eam commendavit, dum 70v *universi* teste Marco [1, 5] *ab ipso baptizabantur in Iordane fluvio confitentes peccata* | *sua.*

Initialiter autem et inchoative Christus illam instituit, dum leprosos — aiunt[b] Matth. 8 [4] et Luc. 17 [14] — ad sacerdotes remisit, ut se illis ostenderent, ne *legem solveret, sed adimpleret*[3], dum resuscitatum[c] Lazarum redivivum, prodeuntem e monumento *manibus et pedibus ligatum institis* funeralibus, iuberet absolvi ab apostolis dicens: *Solvite eum* vos *et sinite abire*[4]. Apostoli denique eam usurparunt, dum *multi credentium* ad eos *venerunt confitentes et annuntiantes actus suos*[5].

Efficaciter tamen Dominus eam ordinavit, dum post resurrectionem *in medio* discipulorum stans clausis ianuis *dixit* discipulis suis: *Pax vobis. Sicut misit me pater*, ita *ego mitto vos.* Et *cum haec dixisset, insufflavit* in eos *dicens eis: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[6]. Quibus verbis et signis tradidit eis potestatem iurisdictionis super corpus suum mysticum solvendi et ligandi membra eius in utroque foro, sicut prius in coena tradiderat eis sacerdotalem potestatem super corpus suum naturale et verum[d] de virgine natum dicens: *Accipite et comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*[7], potestatem, inquam, conficiendi, consecrandi[e] illud *transsubstantiatis pane et vino in corpus*

[a] *ibid.* praeponuntur [b] *Le Pl.* ut dicit [c] *ibid.* resuscitat [d] *ibid.* virum
[e] *ibid.* consecrandique

[19] Missale Rom., fer. III infra oct. pentecostes, oratio: „Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus spiritus sancti".
[20] Matth. 3, 1ss.
[21] Hanc ultimam annotationem Carolus de Langhe addidisse videtur.
[1] Rogerius Iuvenis *(de Jonghe, Le Jeusne)*, moderator provinciae Coloniensis ord. Eremit. s. Augustini, quem Christophorus Patavinus generalis *suis precibus coactus ab officio provincialatus* die 3. Febr. 1552 absolvit, paulo ante diem 23. Oct. 1551 Tridentum advenisse videtur, quia sessioni XIII die 11. Oct. habitae non aderat. Massarellus excerpta ex hac sententia, quam ex eodem codice olim Bruxellensi, nunc Vindobonensi primum *Le Plat* IV 309–311 edidit, Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 259, 3–21. De auctore cf. ibid. adn. 1. Conc. Trid. II, LXXXIX, 12 cum adn. 6; 893 (add. ad 438, 2). *De Ram*, Mémoire l. c. 29. 42s. *N. Paulus*, Der Augustinermönch Joh. Hoffmeister, Freiburg 1891, 144. 397s. 414. *D. Gutierrez*, Los Agustinos en el concilio de Trento (La ciudad de Dios CLVIII, 1947) 31s. Articulos de poenitentia vide Conc. Trid. VII, I 233ss.
[2] Gen. 3, 9. [3] Matth. 5, 17.
[4] Io. 11, 44.
[5] Act. 19, 18.
[6] Io. 20, 19–23.
[7] Matth. 26, 26; 1 Cor. 11, 24.

Digitized by Google

et sanguinem[8] suum dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*[9]. Hanc potestatem apostoli usurpare non poterant sine particulari cognitione criminum in foro conscientiae. Hinc satis aperte colligitur necessitas vocalis et auricularis confessionis ex necessitate usus clavium. Nam eo ipso, quod iudex aliquis legitime super aliquos constituitur, tenentur illi, quibus praeficitur, si causas habeant, coram illo ventilare, | non in genere tantum, sed in particulari. Alioqui nec 71^r iudicis sententia facile dari posset, qui non iudicat de ignotis, sicut nec sanat *medicina quod ignorat*[9a]. Piis quidem et catholicis viris haec facile persuadentur; verum querulis, difficilibus et morosis haereticis aliena et ridicula videntur. Proinde efficaciori medio et probatione opus est.

Dicimus itaque, quod nuda et clara huius instituti de confessione auriculari ratio quantum ad substantiam et circumstantiam eius sola traditione divina constat, quam ex Petri mente et ore beatus martyr Clemens, assiduus eius auditor, accepit et hoc modo ecclesiae promulgavit ordinationis suae epistola prima: „Si forte", inquit, „alicuius cor vel livor vel infidelitas vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animae suae curam gerit, haec illi confiteri, qui praeest, ut ab ipso per Domini verbum et salubre consilium curentur, quo possit integra fide et bonis operibus poenas aeterni ignis effugere et ad aeternae vitae praemia pervenire"[10].

Hanc traditionem si cum praecedenti verbo Christi de clavibus contulerimus, duplex officium sacerdotibus contributum inveniemus in ipsa peccatorum confessione auriculari, iudicis scilicet et medici; nam *absolvere* et *retinere* iurisdictionis sunt actiones, quas illis tribuit Christus[6]. Medici vero munus confert illis haec divinae traditionis promulgatio, quam ne putemus pure humanam esse, perpendendum est, quid consequenter referat b. Clemens ex doctrina b. Petri, magistri sui: „Quotidiana", inquit[11], „illius praedicatio inter caetera divina mandata haec erat: Bonorum operum prima seminaria sunt, quantum unusquisque sapit et potest totis intimi cordis visceribus | *Deum diligere et proximum sicut se ipsum*[12], Christum *sequi*[13] et nihil illius amori 71^v praeponere, cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere et sacerdotibus Domini manifestare". His verbis duo innuit b. Clemens notanda: alterum institutum de confessione vocali esse divinum, alterum vero non solum crimina publica aut exteriora facta sed et internas cogitationes sacerdotibus necessario confitendas; sic enim fit, ut per tam pium exercitium anima devote confitentis salubriter ornetur et vitae aeternae praemia assequatur.

Ostendit quoque traditionem hanc mere divinam esse totius decurrentis ecclesiae a Christo usque in praesentem diem generalis consensus, quae ipsa spiritus sancti vox est, ut scripta fere omnium ecclesiasticorum doctorum luce clarius demonstrant, in quibus salubritas et necessitas traditionis huius divinae non semel magnopere commendatur. In primis Dionysius ille Areopagita, apostoli Pauli discipulus, ad Demophilum monachum hanc traditionem recitans ait: „Tu vero, ut litterae tuae indicant, procidentem[a] sacerdoti impium atque peccatorem nescio quo pacto contra disciplinae ordinem adstans calce abiecisti et repulisti, cum ille quidem verecunde, quod oportuit, fateretur se ad peccatorum remedia quaerenda venisse"[14]. Ecce[b] primi[c] scriptoris apostolici testimonium, qualiter per confessionem delictorum peccatores ad genua sacerdotum provoluti salutis remedia cum verecundia quaerebant. Idem sentit Irenaeus lib. 1 cap. 9[d] de uxore diaconi seducta per Marcum magum pseudo-apostolum[15]. Idem libro 3 cap. 4 de Cerdone haeretico[16]; hi enim ad Deum conversi confitebantur frequenter. His subscribit Fabianus martyr et summus ecclesiae pontifex in 2. epistola ad orientales[17].

[a] *ibid.* incidentem   [b] *ibid.* fere   [c] *ibid.* proximi   [d] *ibid.* XIII

[8] Concilium Lateranense IV, can. 1 = c. 1 *Firmiter* X de summa trinitate I 1, § 3.

[9] Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24.

[9a] *Hieronymus*, Comment. in Eccl. 10, 11; cf. supra p. 275, 28 cum adn. 7.

[10] *Ps.-Clemens I*, epist. 1 ad Iacobum Ps.-Isidori, c. 11 (*Hinschius*, Decretales 33). Cf. *Jaffé*, Reg. + 10.

[11] Ibid. c. 41 (l. c. 44).

[12] Matth. 22, 37. 39; Marc. 12, 30s.; Luc. 10, 27.

[13] Matth. 10, 38; Marc. 8, 34.

[14] *Ps.-Dionysius Areopag.*, epist. 8 ad Demophilum, c. 1 (*Migne*, PG III 1087/88 B). Auctor usus est translatione *Ambrosii Traversarii* Camaldulensis ord. (Argentine 1502 [Frankfurt 1970] 88^r. Dionysiaca II, Bruges 1950, 1514s. A).

[15] *Irenaeus*, Adv. haereses I, c. 7, 4: „omne tempus in exhomologesi consummavit" (ed. *W. Harvey* I 121s.). Cf. *P. Th. Camelot*, LThK VII^2 13. *G. Kretschmar*, RGG IV^3 773.

[16] Ibid. III, c. 4, 2: „Cerdon... saepe in ecclesiam veniens et exhomologesin faciens" (l. c. II 17). Cf. *P. Th. Camelot*, LThK VI^2 119. *G. Kretschmar*, RGG I^3 1631s.

[17] *Ps.-Fabianus*, epist. 2 Ps.-Isidori, c. 18 (*Hinschius* 164) = c. 3 *Illi, qui* C. VI qu. 1 (*Friedberg* I 554). Cf. *Jaffé*, Reg. + 93.

Digitized by Google

7.

[Adolphus de Schaumburg, archiepiscopus Coloniensis, elector ?] ⌜Responsio ad articulos de poenitentia⌝[a] et extrema unctione[1]

[Tridenti, ante diem 6. Novembris 1551]

Wirceburgi, Arch. rei publ. *Mainzer Urk.*, *Geistl. Schr. L. 19*, fasc. 1 n. 19
(copia coaeva eiusdem librarii, qui etiam n. 8 et 12 scripsit)

Wirceburgi 1r

[Responsio ad articulos de poenitentia]

Ad primum et secundum

In materia de iustificatione cap. 8[2] huius Tridentini concilii evulgati iam constitutum est contra ea, quae duobus articulis primis continentur, excepta postrema parte primi articuli, videlicet *baptismum vere esse ipsum sacramentum poenitentiae*, quae tamen et ipsa confutatur, posito, quod sacramentum poenitentiae sua natura et institutione Christi separatum sit a baptismo, ut patet in decretis concilii Tridentini, ubi enumeratio fit sacramentorum[3].

Ad tertium

Falsum est *contritionem parari per detestationem*, quum sit ipsa detestatio. Et ideo expediret omnia haec Lutheri verba[4] omittere, in locum eorum repositis verbis aequivalentibus hoc modo: *Contritionem, quae proficiscitur ex timore servili et metu damni ac poenae, non praeparare ad gratiam Dei, sed potius facere hominem hypocritam et magis peccatorem*[4]. — Et haec particula: *neque remittere peccata* expungatur. Nam nec catholici hoc dicimus, quod contritio ex metu poenae nata remittat peccata, licet conducat ad remissionem. — Ultima quoque particula, quae *contritionem* dicit *dolorem coactum*, non videtur damnanda, sed omittenda potius, cum sua natura coactum sit, quicquid ex metu est poenae, et non amore Dei, ut locum habeat dictum Augustini[5], bonam esse *necessitatem, quae compellit ad meliora.*

Ad quartum

Prima pars quarti articuli est haeretica, quatenus negat confessionem ⌜secretam pro occultis, publicam de publicis⌝[b] esse iuris divini, quae Christi verbis continetur: *Quorum remiseritis peccata etc.*[6] — Secunda pars temeraria est, ut satis demonstratum est.

Ad quintum

Ad iuste exercendam potestatem clavium remissionis et retentionis, quo sciatur, quid remittendum aut retinendum sit, *necessaria est omnium peccatorum*, ⌜quorum remissio quaeritur⌝[c], per confessionem *enumeratio.* Quare falsa sunt omnia, quae in quinto articulo ponuntur huc tendentia, ut negent omnium peccatorum, quae quidem in memoria sunt, confessionem necessariam, cum sit | 1v necesse ad rectum usum clavium omnia confiteri, sive ea sint manifesta sive occulta, ⌜dummodo mortalia⌝[c]. Quod autem metuunt, ne *nichil relinquamus ignoscendum divinae misericordiae*, si omnia confiteamur, inconsyderatum est, quandoquidem omnia peccata, postquam confitendo prodita sunt, adhuc relinquuntur divinae misericordiae[6a] per sacerdotem igno-

[a] *Haec superscriptio legitur f. 1r et 4v* [b] *ab alia manu in marg. add. loco del.:* saltem secretam
[c] *in cod. linea sunt subducta*

[1] Haec *responsio* caret omni indicio auctoris, loci, diei, quo data sit. Quia inter acta exstat, quae olim in curia Maguntini archiepiscopi asservabantur, non vero ipsius Maguntini electoris esse videtur, qui de eisdem articulis die 6. Nov. aliam sententiam dixit vel potius nomine trium Germaniae electorum de *Compendio* ab ipsis confecto (infra n. 8) rettulit, hanc responsionem Adolphi archiepiscopi Coloniensis esse coniciendum est, qui eodem die *dicta per Maguntinum confirmavit, dans nihilominus suam sententiam in scriptis* (Conc. Trid. VII, I 294, 43s.). Quam ergo Coloniensis archiepiscopi sententiam iam ante diem 6. Nov. conscriptam sine dubio ii cognoscere potuerunt, qui *Compendium* illud composuerunt. Inde apparere videtur, cur haec responsio nonnullis in locis ad verbum fere convenit cum *Compendio;* vide infra adn. 5 et 6a. Coloniensis archiepiscopus die 10. Oct. Tridentum advenerat, Conc. Trid. II 493, 1. *H. Jedin*, Geschichte des Konzils v. Trient III 263. Articulos de poenitentia propositos vide Conc. Trid. VII, I 233ss.

[2] Potius decr. de iustificatione c. 14 (Conc. Trid. V 796, 18ss.).

[3] Sessio VII, de sacramentis in gen. can. 1 (l. c. 995, 7s.).

[4] Cf. *M. Luther*, Sermo de poenitentia (WA I 319, 16s.). *Idem*, Adv. execrabilem Antichristi bullam, art. 6 (WA VI 610, 30ss.; 625, 7ss.). *Idem*, Assertio omnium articulorum, art. 6 (WA VII 113, 32ss.). *Leo X*, bulla *Exsurge*, err. 6 (*Mirbt-Aland*, Quellen z. Gesch. d. Papsttums[6] I 506. *Denzinger* l. c. n. 1456).

[5] Epist. 127 ad Armentarium et Paulinam, c. 8 (CSEL XLIV 28, 10s.). Idem *Augustini* locus allegatur in *Compendio* trium Germaniae electorum infra p. 284, 2.

[6] Io. 20, 23.

[6a] Eadem repetita sunt infra p. 284, 24s.

Digitized by Google

scenda, consentiente apostolo: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis et iustus est*[a] Deus, *ut nobis remittat* ea[7].

Ad sextum

Simpliciter falsum est. Ab ecclesia exigit talem confessionem, quae sit *impossibilis*. Et quia *tempus quadragesimae* hic accipiendum est pro tempore paschae, iam determinatum est in proxima sessione tum de eucharistia tunc sumenda[8], tum de *praemittenda confessione*[9].

Ad septimum

Christus Math. 9 [6] *potestatem habet* non tantum declarandi remissa, verum et *remittendi* commissa *peccata*, et hanc, quam habet, potestatem et non aliam discipulis tradit Io. 20 [23]. — De contritione necessaria ad remissionem iam ante dictum est[10]. — Quod de ioculari absolutione additur, sic explicatur: Si iocari sacerdotem hoc loco intelligant adversarii[11] eum non intendere hoc facere, quod facit ecclesia, non absolvit. Si autem intelligant ⌜sacerdotem non credere aliquem inde consequi effectum, id est reum non absolvi⌝[b], aut se non posse absolvere, aut quocumque etiam alio errore laboret circa hoc sacramentum poenitentiae, vere et serio absolvit. — De confessione item dictum est, quod sit absolutioni praemittenda[9]. — Quod vero sola fide, ut alibi ita et in hoc sacramento, omnia perfici dicunt, quemadmodum aperte falsum est, ita superius et alias saepe confutatum[12].

Ad octavum

Christus Io. 20 [22] impartiens apostolis *spiritum sanctum* non loquitur de gratia gratum faciente, sed tantum de[c] potestate discernendi | et iudicandi in foro conscientiae, quam quoque 2r
potestatem solis sacerdotibus tradidit, cum dixit: *Accipite spiritum sanctum*, et non aliis. Quare falsum est, quod [in] hoc articulo de gratia gratum faciente et de potestate hac laicis quoque communicata dicitur.

Ad nonum

Cum absolutio sacerdotalis sit actus iudicialis, exerceri non potest sine iurisdictione. Quare sacerdos non habet potestatem absolvendi quenquam nisi sibi subditum, et in quem aut ordinariam aut delegatam habeat potestatem.

Ad decimum

Dicentes *semper poenam cum culpa remitti* fundamentum satisfactionis nituntur subvertere, sed frustra, contrarium docente Augustino in libro De meritis et remissione peccatorum[13]. ⌜Et Math. 9 [6] *paraliticus* etiam post acceptam peccatorum remissionem tamen adhuc iacuit aliquandiu paralisi dissolutus[14]⌝[d]. Quum autem ecclesia satisfactionem hoc loco eam intelligat, quae sacramentalis est et poenitenti ad arbitrium sacerdotis imponitur, qualis nec est satisfactio Christi nec etiam fides de Christi satisfactione, falsum esse consequitur, quod hic dicitur: *non aliam esse poenitentium satisfactionem praeter fidem, qua apprehenditur Christum pro nobis satisfecisse.* Quia vero sacerdos habet potestatem retinendi quod maius est, videlicet peccatum et poenam aeternam[e] illi debitam, habet etiam potestatem retinendi quod minus est, videlicet poenam temporalem, utcumque iudicaverit expedire poenitenti. Et haec potestas semper fuit in ecclesia et non tantum tempore Niceni concilii[15].

Ad undecimum

Nova vita proprie loquendo non est poenitentia sacramentalis, ⌜sed poenitentiam sequitur⌝[f]. Sed de hac iam dictum est. — Quod autem additur: *poenis temporalibus a Deo inflictis minime satisfieri*, | verum est, si rigorem divinae iustitiae intueamur, non autem ordinationem divinae 2v
misericordiae, secundum quam Deus poenis temporalibus a sacerdote iniunctis vel voluntarie

[a] *supra lin. add.* [b] *in marg. add. loco del.:* illum non intendere se non absolvere
[c] *loco del.:* de gratia gratis data, hoc est [d] *del.* [e] *corr. ex* externam
[f] *in marg. add. loco del.:* quae est afflictio et dolor de peccato, ergo nec bona nec optima dici potest

[7] 1 Io. 1, 9.
[8] Sessio XIII, can. 9 de eucharistia (Conc. Trid. VII, I 204, 9ss.).
[9] Ibid., decr. de eucharistia c. 7 et can. 11 (l. c. 202, 35; 204, 18).
[10] Videl. ad art. 3.
[11] Cf. *M. Luther*, Sermo de poenitentia (l. c. 323, 32ss.). *Idem*, Wider die bulle des Endchrists, art. 12 (WA VI 628, 24). *Idem*, Assertio omnium articulorum, art. 12 (l. c. 120, 14). *Leo X*, bulla *Exsurge*, err. 12 (*Mirbt–Aland* l. c. 506. *Denzinger* l. c. n. 1462).
[12] Sessio VI, decr. de iustificat. c. 9 et can. 9 (Conc. Trid. V 794, 28; 798, 17s.). Sessio VII, can. 4 de sacramentis in gen. (ibid. 995, 15).
[13] De peccatorum meritis et remissione II, c. 34, 54–56 (CSEL LX 124s.).
[14] Cf. *Compendium* trium electorum, infra p. 285, adn. c. *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. (1539–1554) c. 9, 55: „Et audit paralyticus: *Surge*, remittuntur...; poena non imponitur“ (Corp. Ref. XXIX 728).
[15] Ut dicitur in art. 10, Conc. Trid. VII, I 237, 14.

Digitized by Google

susceptis sibi satisfieri permittit. Ob hoc enim dixit apostolus: *Si nosmetipsos diiudicaremus, haudquaquam* a Domino *diiudicaremur*[16]. Sed et de his bonis operibus satisfactoriis iam constitutum est in materia de iustificatione cap. 8 huius Tridentini concilii[17].

Ad duodecimum

Quod aiunt opera satisfactoria adversari gratuitae remissioni, quae per Christum contingit, iisque *obscurari* gloriam et *cultum Dei*[18], verum non est. Nam satisfactio temporalis ex ordinatione Dei instituta, si comparetur remissioni culpae et poenae aeternae, nihili instar habebit, sic ut nihilo secius gratuita sit remissio peccati et poenae aeternae, quamvis aliqua satisfactio consequatur, et Deus, qui *iustus et misericors est*[19], non minus colitur poenis impiorum et flagellationibus correctorum quam praemiis beatorum, nec *fictiones* sunt, sed sanus verborum Christi apud Io. 20 [23] et Math. 16 [19] et 18 [18] intellectus, iuxta quem homines solvuntur a culpa et poena perenni, et tamen aliquoties clavium potestate et discretione ligantur ad poenam temporalem, ut satis probatum est in decimo articulo.

Quod vero ultima pars huius articuli claves tantum ad solvendum a culpa et poena datas esse dicit, plane contra scripturas potestatem clavium altera sui parte mutilat, nempe ligandi et retinendi.

Responsio ad articulos de extrema unctione

Ad primum

Extremam unctionem esse sacramentum haud dubie *a Christo institutum*, manifeste ex divo
3r Iacobo[20] colligitur, ubi eius elementum, nempe *oleum*, | et verbum, nempe *oratio fidei*, quam explicat ecclesia, clare producitur. Fallit ergo primus articulus.

Ad secundum

Articulus iste Iacobo apostolo[20] palam contradicit. Ab illo enim inter effectus huius sacramenti et *peccatorum remissio* et *alleviatio* corporis ponitur. Et negandum est nunc neminem vigore huius sacramenti rite accepti convalescere[21].

Ad tertium

Cum certum sit apostolum de gravi infirmitate loqui, quae mortem minatur, non autem levi et cito per vires naturales sanabili, recte hunc morem Romana tenet ecclesia, ut tantum capitaliter laborantes sacro hoc oleo inungat, quo simul et miraculosae huius sacramenti operationi, nempe *sanationi*, si ita *expediat*[22], locus sit. Nam leviter aegrotans etiam absque huius sacramenti efficacia cito convalescit. Et quia sacramentum hoc medicina est animae et corporis a Christo institutum, blasphemia fuerit illud contemnere, quum etiam de vulgari ista *medicina*, quam *de terra creavit Altissimus*, scriptura dixerit[23], quod *vir sapiens non* contemnet eam.

Ad quartum

Presbyteros, huius sacramenti ministros, ecclesia non alios interpretatur quam *sacerdotes ab episcopo ordinatos*, de quibus et apostolus loquitur in 1 [5] ad Titum, et quos ad se ex Epheso Miletum advocat Actor. 20 [17ss.].

[16] 1 Cor. 11, 31.
[17] Decr. de iustificat. cap. 14 et can. 24 et 32 (l. c. 796, 22ss.; 799, 17. 42ss.).
[18] Cf. Conc. Trid. VI, I 14, 11s. cum adn. 4–6; VII, I 238, 7s.
[19] Ps. 111, 4; 114, 5; 2 Macc. 1, 24.
[20] Iac. 5, 14s.
[21] Cf. *M. Luther*, De captivitate Babylonica: „Inter mille enim vix unus restituitur, idque nemo sacramento" (WA VI 569, 9s.).
[22] Conc. Florentinum, decr. pro Armenis c. 5, 5 (*Mansi* XXXI 1058 C. *Denzinger* l. c. n. 1325). Cf. supra p. 253, 45s.
[23] Eccli. 38, 4.

Digitized by Google

8.

[Sebastianus de Heusenstamm, archiepiscopus Maguntinus, elector] [Compendium eorum quae circa articulos de poenitentia et extrema unctione propositos[a] nomine trium electorum Germaniae dicenda erant[1]]

[Tridenti, die 6. Novembris 1551]

Wirceburgi, Arch. rei publ. *Mainzer Urk., Geistl. Schr. L. 19, fasc. 3, 4*
(copia coaeva eiusdem librarii, qui etiam n. 7 et 12 scripsit, ab alia manu correcta)

Responsio ad articulos de sacramento poenitentiae propositos[2] Wirceburgi 1r

Articulus 1

‹1› *Poenitentiam non esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum a Christo institutum,* ‹2› *nec recte a patribus ‚secundam tabulam post naufragium' appellari,* ‹3› *sed baptismum ipsum vere esse sacramentum poenitentiae.*

Prima pars adversatur sano intellectui scripturae Io. 20 [22s.], ex quo sacramentum hoc poenitentiae iam saepe satisque demonstratum est.

Secunda in patres et aptissimam eorum metaphoram contumeliosa est.

Tertia impiam sacramentorum baptismi et poenitentiae confusionem et diminutionem inducit, sed quae ad confutationem primae partis simul corruit.

Articulus 2

‹1› *Non esse tres poenitentiae partes: contritionem, confessionem et satisfactionem,* ‹2› *sed duas tantum, terrores scilicet incussos conscientiis agnito peccato et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata.*

Prima. Haec pars in Florentino concilio[3] et praesenti[4] quoque damnata est.

Secunda pars per fidem excludens confessionem et satisfactionem catholicae doctrinae, quam statim indicavimus, contraria est.

Articulus 3

‹1› *Contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, non praeparare ad gratiam Dei,* ‹2› *neque remittere peccata,* ‹3› *sed potius facere hominem hypocritam et magis peccatorem,* ‹4› *eamque contritionem dolorem esse coactum et non liberum.*

Prima pars huius erronea est et adversariorum Lutheri[5] et Philippi[6] inter ipsos pugnantiam arguit, si conferatur secunde parti praecedentis articuli.

Secunda catholica est; non enim[b] haec contritio remittit peccata.

Tertia prorsus absurda est et impia, cum talis contritio poenitentiae sit initium.

[a] *F. 4v legitur haec rubr.:* Articuli super sacramentis poenitentiae et extremae unctionis cum adnotatis responsionibus [b] *cod. perg.* sola *(del.)*

[1] Hae *responsiones* carent omni indicio auctoris, loci, diei, quo prolatae vel in scriptis datae sint. Quia vero multis in locis conveniunt cum iis excerptis e sententia archiepiscopi Maguntini in congregatione generali die 6. Nov. 1551 dicta, quae Massarellus Actis inseruit (Conc. Trid. VII, I 294, 8–40), dubium esse non potest, quin illi archiepiscopo attribuendae sint, immo potius tribus Germaniae electoribus. Hi enim *compendium eorum* fecerant, *quae circa articulos* poenitentiae et extremae unctionis sibi *dicenda* visa erant, de quibus Maguntinus *nomine omnium* in congregatione rettulit, *ne tempus longius protraheretur;* vide quae ipse initio orationis dixit, l. c. 294, 6ss. Ac profecto nonnulla in hoc *compendio* fere ad verbum repetuntur, quae etiam in sententia archiepiscopi Coloniensis (supra n. 7) leguntur; vide e. gr. infra adn. 7. Inde apparet eos, qui hoc *compendium* conscripserunt, illius archiepiscopi sententia usos esse. Archiepiscopus Maguntinus una cum Treverensi die 29. Aug. Tridentum advenerat, l. c. 82, 1ss. *H. Jedin,* Geschichte des Konzils v. Trient III 263. 496s.

[2] Hi articuli die 15. Oct. 1551 propositi erant, Conc. Trid. VII, I 233–238.

[3] Decr. pro Armenis c. 5, 4 (*Mansi* XXXI 1057 E. *Denzinger* l. c. n. 1323).

[4] Sessio VI, decr. de iustificatione c. 14 (Conc. Trid. V 796, 20ss.).

[5] Assertio omnium articulorum per bullam Leonis X damnatorum, art. 6: „*Contritio, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum* ... Ego enim peccatum assero quicquid ante gratiam fit in homine, tantum abest, ut praeparet ad gratiam" (WA VII 113, 32ss.; 114, 23s.).

[6] *Phil. Melanchthon,* De poenitentia, cap. de contritione: „In homine primum fit contritio, cum cogitatione irae Dei expavescunt corda et vero dolore afficiuntur propter peccata. Deinde fit consolatio, qua fide accipitur remissio et corda incipiunt acquiescere in Deo propter mediatorem" (Corp. Ref. XXIII 652). Cf. Conc. Trid. VII, I 234, adn. 3 et 7.

Digitized by Google

Quarta si commoda interpretatione sublevetur, nihil habet impietatis aut erroris. Nam secundum Augustinum *foelix est necessitas, quae ad meliora compellit*[7], quibus verbis etiam quod coactum est laudatur.

Articulus 4

‹1› *Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non esse,* ‹2› *nec apud antiquos patres ante concilium Lateranense eius factam fuisse mentionem, sed publicae tantum poenitentiae.*

Prima pars huius sano intellectui scripturae Io. 20 [23] contraria est, quatenus negat confessionem[a] ex institutione Christi esse.

Secunda simpliciter et aperte mendax et malitiosam continens dissimulationem, quemadmodum[b] ex allegatis hoc loco vetustissimis scriptoribus[8] satis apparuit. |

Articulus 5

1v ‹1› *Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam ad illorum remissionem, sed liberam,* ‹2› *et tantum hac etate utilem ad erudiendum poenitentem et consolandum,* ‹3› *et olim fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam,* ‹4› *nec necessarium esse confiteri omnia peccata mortalia, ut puta occulta et quae sunt contra ultima duo decalogi praecepta,* ‹5› *sed neque ullas circumstantias peccatorum, quas homines ociosi excogitarunt,* ‹6› *velleque omnia confiteri esse nihil relinquere divinae misericordiae ignoscendum,* ‹7› *imo neque licere confiteri venialia.*

Prima pars huius institutioni Christi contraria et coecam faciens potestatem clavium cum prima parte praecedentis articuli damnanda est.

Secunda eodem tendens similiter damnanda est.

Tertia nihil mali dicit, si non subintelligatur *tantum* aut aliud aequivalens.

Quarta negans omnium peccatorum mortalium faciendam confessionem impia est et perniciosa[c].

Quinta scripturis Math. 21 [12ss.] et 1 Cor. 11 [4s.] multisque aliis contraria est et in pios homines contumeliosa.

Sexta stulta est et erronea, cum omnia, postquam confitendo exposita sunt, adhuc relinquantur divinae misericordiae ignoscenda.

Septima temeraria est et impia ex licito et aliquoties necessario illicitum faciens absque scripturis et contra consensum christiani populi.

Articulus 6

‹1› *Confessionem omnium peccatorum, quam ecclesia faciendam esse praecipit, impossibilem traditionemque humanam a piis abolendam,* ‹2› *neque confitendum esse tempore quadragesimae.*

Prima pars istius ecclesiae Dei iniuria est et calumniosa. Nam ab illa nichil impossibile praecipitur.

Secunda tolerabilis est, nisi hic tempus quadragesimae pro tempore paschali, in quod terminatur quadragesima, accipiatur. Et sic quoque nondum[d] damnata est, ⌈cum quilibet tantum semel in anno ex praecepto ecclesiae ad confessionem teneatur absque determinatione temporis, ut patet in canone *Omnis utriusque sexus*[9]⌉[e].

Articulus 7

‹1› *Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti,* ‹2› *modo credat se esse absolutum,* ‹3› *etiam si non sit contritus* ‹4› *aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat,* ‹5› *imo etiam sine confessione peccatoris sacerdotem ipsum absolvere posse.*

Prima haec pars manifestis scripturis Math. 9 [6] et Io. 20 [23] contraria est. Apud Matheum enim Christus *potestatem habet remittendi peccata* et non solum *declarandi remissa.* Et hanc eandem et non aliam discipulis dat Io. 20 [23].

Secunda innuens fidem in poenitente super absolutione requiri non est damnanda. Nam et hanc requirit Christus Math. 9 [2] et Iacobus cap. 1 [3].

Tertia superius reiecta est.

[a] *cod. perg.:* saltem secretam *(del.)* [b] *cod. perg.* satis *(del.)*
[c] *cod. perg.:* his, quos diabolus serpens occulte momordit [Eccl. 10, 11] *(del.)*
[d] *postea add.* [e] *postea add. loco del.* in proxima sessione

[7] Epist. 127 ad Armentarium et Paulinam, c. 8; vide supra n. 7, pag. 280, 13s. cum adn. 5.
[8] Cf. Conc. Trid. VII, I 243, 33ss.; 250, 1ss.; 252, 16ss.; 260, 7ss.; 283, 23ss.
[9] C. 12 X de poenit. et remiss. V 38 (*Friedberg* II 887).

Digitized by Google

Quarta erronea est, quatenus sacerdos per iocum non intendit hoc agere, *quod agit ecclesia*, ⌜ut iam determinatum est in praesenti concilio[10], ubi agitur de sacramentis in genere⌝[a].

Quinta. Haec superius reprobata est.

Articulus 8

‹1› *Sacerdotes non habere potestatem ligandi et absolvendi, nisi spiritus sancti* | *gratia et charitate sint praediti*, ‹2› *et non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christianis esse dictum: ‚Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo etc.', quorum verborum virtute absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem, si correctus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem.* 2r

Prima erronea est et ex loco Io. 20 [22] de spiritu sancto apostolis per flatum Christi dato perperam intellecto asserta, ⌜quia intelligitur de autoritate et potestate spiritus remittendi aut retinendi peccata⌝[a].

Secunda similiter praeter scripturam et sensum catholicum posita.

Articulus 9

‹1› *Absolutionis ministrum, etiam si contra prohibitionem superioris absolvat, vere nichilominus absolvere coram Deo*, ‹2› *ideo casuum reservationem non impedire absolutionem*, ‹3› *nec episcopos habere ius eos sibi reservandi, nisi quoad externam politian.*

Prima est falsa et in hyerarchian divinitus constitutam et disciplinam ecclesiasticam impia.

Secunda ex eodem errore orta similiter damnanda est.

Tertia potestatis a Christo apud Math. 16 [19] cap. traditae amplitudini seditiose detrahit.

Articulus 10

‹1› *Totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo*, ‹2› *satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse*, ‹3› *ideoque satisfactiones canonicas quondam exempli tantum vel disciplinae vel probandi fideles causa fuisse a patribus institutas* ‹4› *et in concilio Niceno exortas*, ‹5› *nunquam autem ad remissionem poenae.*

Prima pars huius decimi articuli evidentibus scripturarum exemplis contradicit. Nam[b] Aaron, Moses et David[c] etiam post acceptam peccatorum remissionem ⌜penas dedisse legimus Numer. 20 [12. 24], 2 Reg. 12 [14s.]⌝[a].

Secunda ex eodem errore profecta ociose fidei vim contra sanum scripturae sensum attollit.

Tertia ex male assumptis similem conclusionem inducit.

Quarta apostolico exemplo et scripto in 1 Cor. 5 [5] recte intellecto contradicit.

Quinta primae parti huius articuli subservit sic statuens causam satisfactoriae poenae finalem, nempe utilitatem exempli, ut efficientem, peccatum videlicet commissum et remissum, impio errore excludat.

Articulus 11

‹1› *Optimam poenitentiam esse novam vitam*, ‹2› *poenisque temporalibus a Deo inflictis minime* | *satisfieri*, ‹3› *sed neque voluntarie susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis et aliis bonis operibus non praeceptis a Deo, quae supererogationes vocantur.* 2v

Prima pars huius toto genere disiuncta erronee confundit. Nam *nova vita* poenitentiam sequitur. Poenitentia vero veteris vitae expiatio est[d].

Secunda divinae benignitati minimum pro maximo misericorditer imputanti impie derogat, contra quod apostolus dicit: *A Domino corripimur, ne cum* impoenitenti *mundo* pereamus, 1 Cor. 11 [32].

Tertia veteris et novi testamenti exemplis et testimoniis impia temeritate contradicit. Sic Daniel ad Nabuchodonozor inquit: *Peccata tua eleemosinis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum*[11]. Non peccata aut iniquitates, sed poenas peccatis debitas et opera poenitentiae voluntaria commendat Christus Math. 11 [21] loquens de Tyro et Sydone.

[a] *postea add.* [b] *cod. perg.:* ut omittam *(del.)*
[c] *cod. perg.:* paralitico apud Math. 9 [2ss.] non simul cum culpa remissa est poena, sed adhuc iacuit paralisi dissolutus *(del.)* [d] *cod. perg.:* quam Apoc. [2, 5] ‚prima opera' vocat, non novam vitam *(del.)*

[10] Sess. VII (3. Mart. 1547), de sacramentis in genere can. 11 (Conc. Trid. V 995, 33). [11] Dan. 4, 24.

Digitized by Google

Articulus 12

‹1› *Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et vero Dei cultu atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes,* ‹2› *et fictiones esse, quod virtute clavium aeterna supplicia in poenas temporales commutentur,* ‹3› *cum illarum non sit munus poenas imponere, sed absolvere.*

Prima pars istius articuli satisfactiones scripturis, ut ostensum est, suffultas malitiose suggillat, huc tendens, ut omnes nostros conatus superfluos doceat, ne videlicet non sit gratuitum Christi beneficium.

Secunda sincerum et catholicum verborum Christi de potestate clavium intellectum contumeliosa impietate *fictiones* vocat.

Tertia Novatianae haeresi contraria est, sed non minus tamen quam illa haeretica, quae, ut claves tantum ad ligandum traditas dicebat, ita has ad solvendum tantum datas mentitur; ecclesia vero ad utrumque datas iuxta spiritum *discretionis*[12] per scripturas intelligit.

Responsio ad articulos de extrema unctione propositos[13]

Articulus 1

‹1› *Extremam unctionem non esse sacramentum novae legis a Christo institutum,* ‹2› *sed ritum tantum acceptum a patribus* ‹3› *aut figmentum humanum.*

Prima pars Iacobum apostolum[14] temerariae audaciae et ecclesiam catholicam mendacis interpretationis maligne insimulat.

Secunda sic appellans *ritum a patribus acceptum*, ut neget immediate a Christo institutum, pariter damnanda est.

Tertia, quae sacramentum hoc a Christo institutum vocat *figmentum humanum*, simpliciter blasphema est.

Articulus 2

‹1› *Extremam unctionem non conferre gratiam nec remissionem peccatorum, sed neque alleviare infirmos,* ‹2› *qui olim per ‚gratiam curationum'*[15] *sanabantur,* ‹3› *atque ideo eam cum primitiva ecclesia cessasse sicut et ‚gratiam curationum'.*

Prima pars istius aperto textui apostolicae epistolae[14] contradicit.

Secunda ⌜est damnanda, quatenus intelligit apostolum[15] de ea loqui, quae olim fuit in ecclesia et iam cessavit⌝[a].

Tertia gratiam alleviationis huic sacrae unctioni[b] in totum et in omnibus detrahens promissionem Christi huic sacramento additam impie evacuat, quae cum hoc sacramento in ecclesia *usque ad consummationem saeculi*[16] mansura est.

Articulus 3

‹1› *Extremae unctionis ritum et usum non observari ab ecclesia Romana iuxta beati apostoli Iacobi sententiam ideoque eum mutandum esse,* ‹2› *posseque a Christianis absque peccato contemni.* |

3r Prima pars non minus verbis d. Iacobi [5, 14s.] quam ecclesiae Romanae repugnat, quae infirmos interpretatur, quorum firmitas morbi seu mali magnitudine sic fracta est, ut refectrice huius sacramenti, si ita *expediat*, virtute instauranda sit ⌜consentiente concilio Florentino[17]⌝[c].

Secunda per se et aperte absurda est et impia.

Articulus 4

‹1› *Extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem,* ‹2› *presbyterosque ecclesiae, quos beatus Iacobus adducendos ad infirmum ungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate.*

Prima pars huius articuli praeter scripturas et contra catholice ecclesiae sensum temerarie asseritur.

Secunda primae partis errorem resipit cumque ea, ut ordinem ecclesiasticum impie confundens, similiter condemnanda.

[a] *loco del.:* non est damnanda, nisi sic intelligitur, ut per ‚gratiam curationum' sacramentalem operationem excludat [b] *cod.* unctionis [c] *postea add.*

[12] Cf. 1 Cor. 12, 10.
[13] Cf. Conc. Trid. VII, I 239s.
[14] Cf. Iac. 5, 14s.
[15] 1 Cor. 12, 30. [16] Matth. 28, 20.
[17] Decr. pro Armenis c. 5, 5 (*Mansi* l. c. 1058 C. *Denzinger* l. c. n. 1324s.).

Digitized by Google

9.

Pauli episcopi Zagrabiensis et Friderici Nauseae episcopi Viennensis Sententiae super articulis de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis

usque ad sessionem in feriis divae Catharinae futuram disputatis[1]

Tridenti, die 6. Novembris 1551

A. [Forma prior a Friderico Nausea concepta]

Schaffhusiae, Bibl. civitatis, cod. *gener. 40*, 348^{r}–349^{v} *(autogr.*[a]*)*

Prefatio

Schaffhusiae 348^{r}

Quoniam iisce diebus, R^mi^ Patres, amplissimi principes ac DD. observandissimi, quoniam, inquam, iisce diebus[2] nonnulli articuli super salutiferis planeque necessariis poenitenciae et extremae unctionis sacramentis propterea exhibiti sunt et propositi doctissimis et praecellentissimis doctoribus theologis, ut illos ipsi articulos pro certiore et meliore veritatis et falsitatis eorundem articulorum exploratione et indagatione disputarent et discuterent, an essent videlicet illi vel haeretici vel catholici deincepsque per hoc sacrosanctum oecumenicum concilium vel probandi vel improbandi, suoque illi ipsi clarissimi doctores[b] peregregie functi sunt officio praefatosque articulos universos et singulos omnibus omnium probationum generibus tanquam prorsus haereticos et falsos propptereaque damnandos et anathemate feriendos esse probaverint ac serio censuerint, non est, quod ego frustra dictum dicturus et *actum acturus*[2a] sim, sed partium potius esse mearum duxerim, ut interrogatus meam desuper sententiam pronunciaturus sim, quae est, quod ego praememoratos articulos in | universum per omnia omnium probationum genera recte vereque probatos esse pro 348^{v} haereticis et falsis, quos et ego per hanc sacrosanctam synodum recto iustoque nimirum iudicio damnandos et anathemate feriendos esse censeo. Quos ipse quoque pariformiter pridem in omnibus meis homiliis (quas pluribus quam viginti quinque annis[3] ad omnes promiscui generis homines in frequentissimis auditoriis uti catholicus ecclesiastes habui[4]) secundum eadem probationum genera, quibus iisce diebus in suis disputationibus doctores ipsi usi sunt, partim dudum per antiquissima concilia damnatos, partim vero per hoc sacrosanctum Tridentinum concilium damnandos esse perpetuo docui. Atque ideo non est, quod hic aliud nunc addam, quam quod circa aliquot articulos paucula quaedam monebo notaboque.

Circa quartum articulum de secreta confessione

Quum hic articulus falso dicat *confessionis secretae nullam fuisse mentionem ante concilium Lateranense, sed publicae tantum poenitentiae*, magnopere cuperem eandem publicam poenitentiam restitutum iri in ecclesia pro reparanda disciplina, quae tota corruit, ubi cessavit usus *publicae poenitentiae*.

Cuperem ego quoque hoc loco, ut omnis cura | adhiberetur, ut peritiores, doctiores, pru- 349^{r} dentiores et probiores alicubi confessores instituerentur, qui clavibus uti possent recte et fructuose.

Circa quintum articulum

Quia hic articulus dicit de minoribus et maioribus, id est de *venialibus* et *mortalibus peccatis*, et simpliciores aliquando suas conscientias propterea indiscriminatim discrutiunt, desiderarem ego, ut, si commodum foret, in hoc sacrosancto concilio definiretur, quae essent vere peccata venialia et quam mererentur poenam, ut quae confitenda essent aut non.

[a] *349^{v} haec sunt adnot.:* Allerlay missiven. — Manus Nauseae [b] *cod. iter.* suo

[1] Haec sententia, quam in congregatione die 6. Nov. habita episcopus Zagrabiensis se una cum Friderico Nausea, *collega suo, contulisse et in scriptis redegisse* dixit, maiore ex parte a Nausea elaborata esse videtur. Postquam in eadem congregatione episcopus Zagrabiensis eam *ad longum* legit, secretario data est, Conc. Trid. VII, I 295, 1ss. cum adn. d. In cod. Schaffhusiano, quem Nausea reliquerat, forma prior exstat ab ipso Nausea concepta, quam sub litt. A damus.

[2] Videlicet die 15. Oct., ibid. 233, 5.

[2a] Cf. *Des. Erasmus*, Adagia I, 4, prov. 70 (Opera II 173 A). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 9, n. 42.

[3] Videlicet ab anno 1525/26; vide supra p. 155, 2s. cum adn. 2.

[4] Cf. *Frid. Nauseae* Blancicampiani ... Evangelicae veritatis homiliarum centuriae quatuor, Coloniae impensis Petri Quentel 1530; ibid. ^{2}1532; ^{3}1534; ^{5}1540. *H. Gollob* l. c. 137, n. 15.

Digitized by Google

Circa articulum nonum

Quando articulus iste velit summos pontifices et episcopos sibi nullos posse reservare casus, sed simplices etiam sacerdotes ab omnibus casibus reservatis per eosdem, prohibente etiam superiore, absolvere posse, nihil hic aliud equidem cuperem, quam quod eiusmodi reservationes non usque adeo multiplicarentur[a] ob suspitiones, quaestus et ob scandali vitacionem et multarum expensarum.

B. [Forma posterior a Paulo episcopo Zagrabiensi in congregatione data]

Caroliruhae, Arch. rei publ. gen., *Abt. 82, n. 454*, 28r–41r *(copia coaeva, omissa praefatione)*. —
Monachii, Bibl. rei publ., cod. *lat. 11053*, 73r–89v *(copia coaeva)*. —
Schaffhusiae, Bibl. civitatis, cod. *gener. 40*, 160r–173r *(copia coaeva a Nausea revisa)*. —
Vat. arch., *Conc. 106*, 114r–126r *(copia saec. XVIII)*

Schaffhusiae 160r

Praefatio

Quoniam, Rmi patres etc., articuli diebus hisce[2] super salutiferis planeque necessariis poenitentiae et extremae unctionis sacramentis propterea propositi sunt doctissimis praecellentissimisque doctoribus theologis, ut illos ipsi articulos pro certiore veritatis et falsitatis eorundem articulorum exploratione et indagatione disputarent et discuterent, an essent iidem vel haeretici vel catholici, deincepsque per hoc sacrosanctum oecumenicum concilium vel probarentur vel improbarentur, et quoniam suo illi ipsi doctores officio peregregie functi sunt praefatosque articulos universos et singulos omnibus probationum generibus ceu prorsus haereticos et falsos proptereaque damnandos anathemateque feriendos esse probaverunt[b], non est, quod ego frustra dictum dicturus et *actum acturus*[2a] sim, sed potius partium esse mearum duxerim, ut meam desuper pronunciaturus sim sententiam, quae est saepe praememoratos articulos iuxta omnia probationum genera recte vereque probatos esse pro haereticis et falsis, proptereaque me censere ipsos per hanc sacrosanctam synodum recto iustoque nimirum iudicio damnandos esse. Quos ego pariformiter pridem in omnibus meis homeliis, quas pluribus quam viginti sex annis[3] ad omnes promiscui generis homines in frequentissimis meis auditoriis uti catholicus ecclesiastes habui[4], secundum ea probationum genera, quibus hisce diebus in suis disputationibus doctores usi sunt, partim dudum per sacra concilia damnatos, partim vero per hoc sacrum Tridentinum concilium damnandos esse perpetuo docui. Ut autem, quidquid eorum est articulorum, rectius et melius intelligatur, subiiciam singulos ex ordine articulos [examini] meamque sententiam desuper paucissimis edicam. |

160v

[I. Super articulis de poenitentia]

Articulus 1: *Poenitentiam non esse proprie sacramentum . . .*[5]

Sententia. Primum hunc articulum falsum esse et haereticum satis evidenter apparet ex declaratione eius singularum particularum; includit enim hic articulus in se quatuor particulas.

Prima dicit *poenitentiam non esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum peccatis institutum*. Ad intelligendam vero huius particulae falsitatem scire convenit quaecumque sigillatim[c] sacramenta non posse melius, quod vera sint et proprie sacramenta, intelligi quam ex definitione sive descriptione sacramenti in genere. Iam vero constat sacramentum definitoribus theologis *invisibilis esse gratiae visibilem formam*[6] gerentem ipsius gratiae imaginem et causam existentem, ita dici coeptum a sacra secretaque virtute, hoc est gratia, quam sanctus spiritus latenter sub tegumento corporalium rerum operatur medio sacerdotis quasi instrumenti[d] loco Christi existentis. Quum proinde poenitentiae sacramento conveniat definitio sacramenti, non potest ipsum non esse verum ecclesiae sacramentum. Ei vero[e] convenire definitionem sacramenti patet hinc: Poenitentia sacramentalis, quae agitur in ecclesia, est *forma visibilis*, quae est exterior ceremonia, utpote manus impositio prolatioque verborum: *Absolvo te*, *invisibilis gratiae*, quae est absolutio a peccatis sive eorum remissio, quam operatur Christo institutore spiritus sanctus medio sacerdotis sub visibili forma, manus scilicet impositione prolationeque verborum: *Absolvo te*. Atque sic liquet poenitentiam proprie esse sacramentum

[a] *in marg. f. 349r haec adn.:* ut non multiplicarentur casuum reservationes
[b] *Clm* probaverint [c] *Clm* singulatim [d] *Clm* instrumento [e] *Clm* autem

[5] Vide Conc. Trid. VII, I 233, 10ss. [6] *Petrus Lomb.*, Sent. IV, dist. 1, c. 2 n. 2 (l. c. II 746).

Digitized by Google

ex definitione sacramenti. Quod etiam pro maiori testimonio confirmatur per Constantiense concilium, quod septem ponit sacramenta ecclesiae[7] et inter ea connumerat sacramentum poenitentiae.

Secunda particula dicit praefatum *poenitentiae sacramentum non esse a Christo institutum.* Falsitatem huius particulae testatur ipsa veritas, nempe Christus, huius sacramenti institutor, in multis locis evangelii, primo apud Matheum dicens ad discipulos et eorum[a] successores: *Amen, dico vobis. Quaecunque ligaveritis super terram,* | *erunt ligata et in coelo, et quaecunque solve-* 161r
ritis super terram, erunt soluta et in coelo[8]*;* secundo apud eundem Matheum dicens ad Petrum et eius successorem: *Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis*[9]*;* tertio apud Ioannem dicens ad discipulos et eorum[a] successores: *Sicut misit me pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit*[b] *et dixit eis: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*[10]. Quibus quidem verbis ipse Dominus Iesus dubio procul instituit sacramentum poenitentiae, in quo sacerdos loco Christi homini poenitenti peccatum remittit.

Tertia particula negat hoc *poenitentiae sacramentum non recte a patribus secundam appellari tabulam post naufragium.* Falsitatem huius particulae ratio metaphorae manifestat. Sicut enim fracta prima navis tabula post naufragium navigans ad portum venire nequit, nisi habeat alteram, id est secundam navigii tabulam, ita, cum homo fecisset naufragium, quando per protoplastos in Deum creatorem suum inobediendo peccaverat[11], ex fluctibus peccati post naufragium nactus est primam tabulam, scilicet baptismum, per quam ad portum salutis enatavit, id est adeptus est remissionem omnium peccatorum praecedentium. Quum vero rursus homo post baptismum peccans naufragium facit, non amplius per primam tabulam, id est per baptismum (cum rebaptizari nec possit nec debeat) venire potest ad portum salutis nisi per secundam navis tabulam, quae est poenitentia sacramentalis, per quam nanciscitur homo rursus remissionem suorum peccatorum post baptismum commissorum venitque per eam iterum ad portum salutis aeternae. Hanc vero metaphoram de navi, naufragio et tabulis recte usurpatam hoc in casu a Tertulliano[12], Ambrosio[13], Hieronymo[14] et caeteris patribus adpellantibus sacramentum poenitentiae *secundam post naufragium tabulam* argumento est, quod Petrus ait: *Quando expectabant Dei patientiam*[c] *in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animae, salvae factae sunt per aquam, quod et vos nunc similis*[d] *formae salvos facit baptisma*[15]. Qui ergo negat sacramentum poenitentiae *tabulam post naufragium* a patribus recte dici *secundam,* vel negat opor|tet omnino relapsis post baptismum dari posse remissionem peccatorum, prout negarunt 161v
Novatiani, quos damnavit haereseos impiae concilium Romanum praesidente Cornelio papa, de quo scribit Eusebius[16], quos et damnavit concilium Nicaenum[17], immo tota passim scriptura, in qua post prophetas Dominus prophetarum una cum suis apostolis ubique hortans ad poenitentiam et pro ea rite facta remissionem peccatorum promittit, vel negat oportet aliquam poenitentiam esse sacramentum, id quod falsum est, ut paulo ante per eius definitionem ostendi. Est enim poenitentia (quamvis eam in nostro Catechismo sub aliis verbis descripserim[18]), qua utitur ecclesia, sacramentum, quo homini, qui post baptismum peccavit, si contritus poeniteat et sua peccata Deo sacerdotique, eius ministro, confiteatur, remissio peccatorum per absolutionem sacerdotis datur et annunciatur ex institutione et commissione Christi, Dei filii, dicentis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Est ergo ipsa poenitentia sacramentum, cuius signum est manus impositio et verbalis absolutio *materia*que[e]

[a] *Car. Clm Vat.* eius [b] *Clm* inflavit
[c] *Clm* poenitentiam [d] *Clm* similes [e] *Clm* mater itaque

[7] Conc. Constantiense, sess. XV, errores Io. Hus n. 8 (*Mansi* XXVII 754 B. 1209 D. *Denzinger* l. c. n. 1208).
[8] Matth. 18, 18. [9] Matth. 16, 19.
[10] Io. 20, 21–23.
[11] Gen. 3, 6s.
[12] De paenitentia c. 4, 2s. (CChr. I 326, 9ss.).
[13] *Ps.-Ambrosius*, De lapsu virginis c. 8, 38 (*Migne*, PL XVI 395 B).
[14] Epist. 84, c. 6, 3 (CSEL LV 128, 5). Epist. 117, c. 3, 2 (ibid. 425, 14). Epist. 130, c. 9, 2 (CSEL LVI 189, 4s.).
[15] 1 Petr. 3, 20s.
[16] Hist. eccl. VI 43, 2 (GrChrSchr. 9 II. Eusebius II, II 612, 18s.).
[17] Conc. Nicaenum I, can. 8 (*Lauchert* 39, 10ss.; Conciliorum oecum. decreta, Bologna[3] 1973, 9, 27ss.); cf. *Hefele–Leclercq* I, I 576ss.
[18] *Frid. Nausea*, Catholicus catechismus III. c. 45: „Est autem poenitentia voluntaria et ex charitate erga Deum pro peccato commisso punitio adsumpta" (Coloniae 1543, 39r). Ibid. c. 46: „vis etiam vocabuli *poenitentiae* probat ipsius descriptionem prae se ferentem: poenitentiam esse quandam voluntariam et ex charitate erga Deum pro peccato, quo ipse offensus est, adsumptam punitionem, vindictam et poenam. Ex qua quidem definitione theologi [*Scotus*, In IV Sent. dist. 14, qu. 4, n. 2] tandem ipsam *poenitentiam*, prout sacramentum est, aut poenitentiae sacramentum non minus sancte quam vere dixerunt *esse absolutionem hominis poenitentis factam certis verbis [cum] debita intentione prolatis a sacerdote iurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animae a peccato factam*" (l. c. 39v).

Digitized by Google

eius *actus poenitentis*[19]. Ipsius autem res sive effectus sacramenti est remissio peccatorum et reconciliatio vere poenitentis cum Deo et ecclesia per verbum Dei, cuius sacerdos est minister idemque annuntiator.

Quarta particula dicit poenitentiam non esse sacramentum, *sed baptismum esse vere ipsum sacramentum poenitentiae*. Falsitatem, haeresim et errorem huius particulae intelligimus in hoc, quod existimat non esse discrimen inter baptismum Ioannis et Christi. Id falsum esse claret ex verbis apostoli dicentis: *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Iesum. Quod cum audissent populi, baptizati sunt in nomine Domini Iesu*[20]. Deinde errat[a] ista particula volens poenitentiam, quae praecedit baptismum, et eam, quae baptismum sequitur, unicam esse et eandem, id quod falsum est. Siquidem poenitentia, quam homo adultus facit ante baptismum, non est sacramentalis, quae detestationem dumtaxat et odium vitae prioris erigit, non autem confessionem sacramentalem et
162r satisfactionem, sicut poenitentia sacramentalis, quam facit homo | relapsus per peccatum a gratia baptismali, postulat. Atque hoc modo baptismi sacramentum remittit culpam et reatum simul, sacramentum vero poenitentiae culpam, non autem semper reatum, quem oportet homo expiare satisfactione sibi a sacerdote imposita.

Subsequitur ideo primum articulum esse prorsus haereticum, falsum et erroneum propterea que merito damnandum.

Articulus 2: *Non esse tres poenitentiae partes* . . .[21]

Sententia. Hunc quoque articulum esse falsum et haereticum testatur ecclesia catholica tenens iam olim usque ad hoc tempus ad sacramentum poenitentiae contritionem, confessionem et satisfactionem plane necessarias esse veramque poenitentiam sine hisce[b] tribus perfici non posse. Iam vero quis (nisi qui sit plane pertinax et impudens haereticus) negabit, quod ecclesia esse adfirmat, quae in his, quae sunt religionis et fidei, errare nequit, cum sit *columna veritatis et firmamentum*[22] semper habens apud se spiritum sanctum, qui *spiritus* est *veritatis*[23], dirigens illam in *omnem veritatem*[24]*?*

Deinde succedit concors omnium catholicorum et ab ipsa ecclesia receptorum doctorum et theologorum tam vetustiorum quam recentiorum sententia, quae citra controversiam discussis hinc inde pro et contra argumentis definit cum eadem ecclesia tres praefatas partes ad veram poenitentiam necessarias esse et illam per hasce et non aliter confici posse. Quanta vero sit patrum et veteriorum[c] praesertim doctorum fides et authoritas, hinc colliquescit, quod in dubiis scriptura hortatur nos ad illos habere confugium debere dicens: *Interroga patrem tuum et annunciabit tibi, maiores tuos et dicent tibi*[25].

Accedit insuper poenitentiae series et ratio peccatorum, pro quibus fieri debet poenitentia. Quia enim homo peccator ipsum Dominum Deum tribus peccatis offendit, nempe peccato
162v cordis, quod est mala cogitatio, peccato oris, | quod est sermo malus et otiosus, et peccato operationis, quod est malum opus, vult ipse Deus, ut tribus modis et partibus, quibus constituitur vera poenitentia, pro eis peccatis poeniteat quasique congruis quibusdam medicinis medeatur, quippe contritione cordis, confessione oris et satisfactione operis, ita nimirum, ut peccator in corde doleat de peccatis commissis et peccata ore confiteatur sacerdoti ipsoque bono opere per sacerdotem imposito satisfaciat iuxta scripturam dicentem: *Per quae peccat quis, per haec et*[d] *torquetur*[26]. Addo, quod iisce tribus poenitentiae partibus homo punit quasi tribus[e] adversis tres malas conditiones, quae in mortali peccato attenduntur, quae sunt delectatio, impudentia et perpetratio. Nam delectationem, quam habuit in peccato, punit amaritudine contritionis, impudentiam oris confessione et perpetrationem[f] operis punit satisfactione. Ita sentit glossa[27] in verbo *fructifera* c. [40] *Perfecta* de poenit. dist. 1. Et sunt verba Chrysostomi in sermone de quadragesima[28]. Quibus quidem tribus poenitentiae partibus poenituerunt

[a] *Clm* erat [b] *Vat.* his [c] *Clm* veterum [d] *Clm* extorquetur [e] *om. Clm*
[f] *Clm* praeparationem

[19] Conc. Florentinum, decr. pro Armenis c. 5, 4 (*Mansi* XXXI 1057 E. *Denzinger* l. c. n. 1323).
[20] Act. 19, 4s.
[21] Vide Conc. Trid. VII, I 233, 14ss.
[22] 1 Tim. 3, 15.
[23] Io. 14, 17; 15, 26; 16, 13.
[24] Io. 16, 13.
[25] Deut. 32, 7.
[26] Sap. 11, 17.
[27] Glossa in c. 40 *Perfecta* de poenit. dist. 1 in v. *fructifera:* „Nota, quod in peccato mortali tria attenduntur: impudentia, delectatio et perpetratio. Contra haec tria triplice remedio opus est: contra impudentiam confessio, in qua est verecundia . . . Delectationi opponitur amaritudo contritionis; perpetrationi opponitur operis satisfactio" (Decretum Gratiani, Parisiis 1612, 1831).
[28] C. 40 *Perfecta* de poenit. dist. 1 = c. 8 *Perfecta* ibid. dist. 3 (*Friedberg* I 1168. 1212), ex hom., quae incipit: *Provida mente et profundo cogitatu*, olim Io. Chrysostomo adscripta (Operum Io. Chrysostomi tom. V, Basileae apud A. Cratandrum 1525, 145v D, sub

Digitized by Google

plerique omnes, ⌜qui tam in veteri quam in novo testamento vere poenituerunt⌝[a], prout in Catechismo nostro multis ostendi exemplis. Haereticus est igitur planeque falsus hic articulus negans tres esse poenitentiae partes, sed duas esse tantum falso adfirmans.

Non enim, ut ipse habet, *terrores* isti *conscientiis agnito peccato incussi* poenitentiae sunt partes, sed sunt res solum, quae quadamtenus movent peccatorem ad poenitentiam, quam ipsi praecedunt. Nec *fides* ipsa, quam peccator *ex evangelio vel absolutione concipit*, pars est poenitentiae etc., sed res suggerens peccatori spem, qua sperat sibi poenitendo peccatum remissum iri. Proinde fides haec ipsa poenitentiam praecedere debet, quam Catholici minime necessariam esse negant utpote non nescii, quod Christus, institutor sacramenti poenitentiae, ait ad poenitentem Magdalenam: *Fides tua te salvam fecit*[29]. Item ad paralyticum: | *Confide, fili, remittuntur* 163r *tibi peccata tua*[30]. Item nec nescii, quod ad nos omnes inquit: *Poenitemini et credite evangelio*[31]. Nihil ergo est, quod haeretici moliuntur sua statuere et destruere, quae sunt ecclesiae catholicae, id quod nunquam isti poterunt[b], cum ipsa sit illa *domus*, quae cum esset *aedificata supra petram descendisset*que *pluvia et flavissent venti et irruissent in domum illam, et non cecidit*, quia *fundata erat*, inquit Dominus, *supra petram*[32]. Christus autem *petra*[33] est illa, supra quam *aedificavit* ipso teste *ecclesiam suam, adversus quam portae inferi* nunquam sunt *praevaliturae*[34].

Articulus 3: *Contritionem, quae paratur per discussionem ...*[35]

Sententia. Est et hic articulus plane falsus et impius. Ad intelligentiam vero falsitatis ipsius operae pretium est intelligere[c], quid sit vera et pia contritio, quae quidem non est aliud quam quaedam secundum Deum tristitia, qua quis se peccasse graviter dolet, cum voto vitae in melius commutandae. Quae profecto paratur et parari debet diligenti recollectione[d] peccatorum et eorundem ponderatione gravitatis et foeditatis eorum et cogitatione poenae pro illis hic et alibi debitae. Id si *peccatorem magis faceret et hypocritam*, certo Christus, omnium bonorum auctor, peccati esset auctor et hypocrisis doctor, qui, ut de peccatis contristentur et poeniteant peccatores, toties eis ob oculos eorum collocat timorem temporariae et aeternae poenae, quam sint impoenitentes ipsi incursuri et perituri. Apud Lucam quidem dicit: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*[36]. Qui[e] deinde per timorem damnationis aeternae dicit ad discipulos: *Eum timete, qui potest corpus et animam mittere in gehennam*[37]. Qui insuper | per timo- 163v rem illius novissimi horrendique iudicii nititur nos omnes ad contritionem et poenitentiam de peccatis provocare inquiens: *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*[38]. Idem fecit Ioannes Baptista peccatoribus incutiens timorem, uti isti poeniterent. Ait enim: *Facite ergo fructus dignos poenitentiae; omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*[39]. Talis timor ipsum quoque Davidem ad tantam excitavit contritionem, ut flendo diceret: *Circumdederunt me dolores mortis et torrentes iniquitatis conturbaverunt me etc.*[40] Cum enim Nathan propheta comminatus esset Davidi ex parte Dei afflictiones et angustias pro peccato commisso, David ipse peccatum agnoscens ait: *Peccavi*. Et *Nathan* propheta statim *dixit* ad eum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* a te[41]. Ipse denique rex et propheta David peccatores eiusmodi timore ad poenitentiam excitat inquiens: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*[f], *arcum suum tetendit et paravit illum*[42].

Impius ergo planeque detestandus est hic articulus, dehortans a *contritione, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae*[43], *ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis ac acquisitionem aeternae damnationis*, siquidem, ut ait, talis *contritio faciat hypocritam, immo magis peccatorem*[44]. Molitur itaque falsus hic articulus omnes homines bene agere volentes impedire et a bono opere deterrere et nulla opus esse pro peccatis contritione ad eum modum, quo diximus, Dei auxilio praeparata, quam utique misericors Dominus non despicit, *qui sanat con-*

[a] *om. Clm* [b] *Sch. corr. e* potuerunt, *Car.* potuerunt
[c] *Clm* deligere [d] *Clm* recollatione [e] *Clm* quoniam [f] *Car. Clm* vibravit

tit.: *De poenitentia sermo 29*), alias sub tit.: *Epistola s. Io. Chrysostomi de paenitentia*. Non est Chrysostomi nec Caesarii Arelatensis, a quo tamen suis libellis inseri potuit (CChr. CIV, pag. 981). Eundem locum allegavit *Io. Eck*, De poenitentia III c. 3 (Prima pars operum contra Ludderum, Augustae Vind. 1530, 177r-v).

[29] Luc. 7, 50.
[30] Matth. 9, 2.
[31] Marc. 1, 15.
[32] Matth. 7, 24s.
[33] 1 Cor. 10, 4.
[34] Matth. 16, 18.
[35] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 3ss.
[36] Luc. 13, 5.
[37] Matth. 10, 28.
[38] Matth. 24, 42.
[39] Luc. 3, 8s.
[40] Ps. 17, 5.
[41] 2 Reg. 12, 13.
[42] Ps. 7, 13.
[43] Isai. 38, 15.
[44] *M. Luther*, Sermo de poenitentia (WA I 319, 11–17). Vide Conc. Trid. VII, I 234[6].

Digitized by Google

tritos corde et alligat contritiones eorum[45], prout David testatur ad ipsum dicens: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*[46].

164r Articulus 4: *Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non | esse . . .*[47]

Sententia. Hic articulus et falsus et mendax est, cum constet hanc ipsam confessionem a Christo, vero Deo et homine, praeceptam proindeque *iuris esse divini* planeque necessariam pariter constat. Negare autem eandem confessionem a Christo, Dei filio, praeceptam est negare potestatem clavium ab ipso Dei filio traditam, quod aperto militat adversus Dei filii verbum, quod dicit: *Quaecunque alligaveritis etc.*[48] et iterum: *Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[49]. Dedit autem Christus sub hisce verbis duas sacerdoti claves, quarum prima est scientiae, facultas discernendi peccatum et non peccatum, altera est potestatis, et est facultas solvendi et ligandi. Iam vero, cum sit sacerdos in negotio confessorio, quod est quasi forum quoddam iudiciale, sequitur sacerdotem esse iudicem, qui, cum iudex est, certe habet cognoscere causam, ferre sententiam et iniungere poenam iuxta qualitatem et quantitatem peccati. Sed quomodo faciet hoc sacerdos et quomodo medebitur ipse vulneri et causam cognoscet et eius conditionem, nisi peccator ei peccatum confiteatur? Ergo liquet confessionem iuris esse divini et partem poenitentiae sacramentalis esse necessariam. Atque proinde s. Iacobus tanquam ⌜Dei praeco⌝[a] praeceptum Dei de confitendis peccatis hominibus denunciat inquiens: *Confitemini alterutrum peccata vestra*[50]. Quae quidem confessio fuit antea praefigurata in Hierosolymitanis, quando *baptizabantur* a Ioanne *in Iordane et confitebantur peccata sua*[51]. Quam deinde Ephesii re ipsa apud Paulum executi sunt, quando ei *confessi sunt et annunciarunt actus suos*[52]. Praeterea confessionem iuris esse divini et necessariam
164v testatur scriptura dicens: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; | qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur*[53]. Id quod Ioannes adfirmans ait: *Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est et iustus, ut remittat peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate*[54].

Sileo hoc casu Dionysium[55], Origenem[56], Basilium[57], Hieronymum[58], Cyrillum[59], Augustinum[60], Gregorium[61], Ambrosium[62] et plerosque omnes catholicos doctores tam graecos quam latinos, qui adprobant confessionem illam secretam ceu necessariam et iuris esse divini.

Nec est, quod haeretici dicunt Christum apud Ioannem nihil dixisse de confessione[63], quando dixit: *Quorum remiseritis peccata etc.*, quia dico sufficere, quod expresserit hoc ipsum, quod sine confessione, quam[b] tacite praecepit, fieri nequit. Nec est, quod obiiciunt[64] Iacobum non dixisse confitendum esse sacerdoti, sed *alterutrum*[65], quia dico non opus fuisse hoc ipsum dixisse illum, cum constitit omnibus confitendum esse sacerdoti, qui solus sacramenta ministrare idemque solus solvere, ligare, confessionem audire [potestatem] habet.

Nec est, quod garriunt[66] nec adulteram, de qua in Ioanne [8, 3ss.], nec Magdalenam[67] esse peccata confessas, quandoquidem responderim primo: cum publicae fuerint peccatrices et earum peccata constiterint, confiteri necessario non habuerunt; secundo: satis aperto suis illae gestibus se peccatrices confessae sunt, si actus ambarum diligenter expendatur; tertio: quid, si confessae essent, quando litteris omnia tradita non sint[68]? quarto: quid, si Dominus, institutor sacramenti, eas, quod potuit, hoc casu rationabiliter privilegiasset? Sed privilegia in

[a] *Clm* primo [b] *om. Clm*

[45] Ps. 146, 3. [46] Ps. 50, 19.
[47] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 8s.
[48] Matth. 18, 18.
[49] Io. 20, 22s.
[50] Iac. 5, 16.
[51] Matth. 3, 6.
[52] Act. 19, 18.
[53] Prov. 28, 13.
[54] 1 Io. 1, 9.
[55] *Ps.-Dionysius Areopag.*, epist. 8 ad Demophilum c. 1; vide Conc. Trid. VII, I 250, adn. 5.
[56] In Ps. 37 hom. 2, 6 (*Migne*, PG XII 1386 B).
[57] Regula *Basilii* ex interpretatione Rufini, interrog. 21; vide infra p. 302, 45ss. cum adn. 40 et 41.
[58] Comment. in Ecclesiasten c. 10, 11 (CChr. LXXII 338, 190ss.); vide infra p. 303, 18ss. cum adn. 49. Comment. in Math. 16, 19 (CChr. LXXVII 142, 96ss.).
[59] Potius *Origenes*, In Leviticum hom. 2, c. 4; vide infra p. 303, 2ss. cum adn. 45.
[60] Serm. 351, c. 9 (*Migne*, PL XXXIX 1545). Enarrat. in Ps. 66, c. 7 (CChr. XXXIX 864, 19ss.).
[61] Homiliarum in evang. II, hom. 26, c. 6 (*Migne*, PL LXXVI 1201 A).
[62] De paenitentia II, c. 6, 40 (CSEL LXXIII 181, 12s.).
[63] *M. Luther*, De captivitate Babylon.: „ita prorsus nihil de fide salutari populi, sed de potestate tyrannica pontificum omnia blatterant, cum Christus [Io. 20, 23] nihil de potestate, sed de fide omnia agat“ (WA VI 543, 25–27).
[64] Apologia Confess. Aug., art. XII, n. 109: „Fortassis et Iacobum [5, 16] citabit aliquis . . . Sed hic non loquitur de confessione sacerdotibus facienda, sed in genere de reconciliatione fratrum inter se“ (Die Bekenntnisschriften I 274, 20ss.). *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 19 (Corp. Ref. XC 822, 20ss.). *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 9, n. 27 (Corp. Ref. XXIX 703).
[65] Iac. 5, 16.
[66] Apologia ibid. n. 57 (l. c. 262, 37ss.). *Io. Calvinus* ibid. n. 50 et 57 (l. c. 724. 729).
[67] Potius mulierem peccatricem, Luc. 7, 37ss.
[68] Cf. Io. 20, 30.

Digitized by Google

consequentiam specialia trahenda non sunt. Quapropter perspicuum est confessionem, qua utimur in ecclesia, tam iuris esse divini, ut ne papa quidem cum quopiam dispensare possit[69], ne confiteatur omnino, licet ex causa quoad tempus dispensare posset.

De necessitate vero confessionis s e c r e t a e, quam haeretici subsannationis causa *auricularem* | vocitant et *clanculariam*[70], videatur Catechismus meus lib. 3 cap. 53[71]. 165r
Quod vero articulus iste dicit hanc ipsam vocalem confessionem tam esse recentem, ut eius *antiqui patres nullam* plane *fecerint mentionem ante concilium Lateranense*, *sed*[a] *publicae tantum poenitentiae*, mendacii prorsus arguitur, quoniam ipsa non modo tempore multo ante utpote Basilii[57], Origenis[56], Augustini[60], Hieronymi[58], Leonis[72] et aliorum doctorum, qui longo tempore ante Lateranense concilium fuere, sed et apostolorum temporibus fuisse, cum in Actis eorundem pateat *multos credentium* ad Paulum venisse et *confessos esse annunciantes actus suos*[73].

Quod autem iste quoque articulus meminit p u b l i c a e poenitentiae, cuperem ego modis omnibus usum eius ⌜poenitentiae tanquam valde proficuum[b] et necessarium⌝[c] ad restituendam in ecclesia disciplinam nunc non sine summa pernicie omnium virtutum et bonorum morum prorsus abolitam quoquo modo restitutum iri, maxime quia scriptura illum praecipere videatur. Siquidem Paulus velit publice *peccantes coram omnibus* et publicitus *arguendos* et vitandos, maxime in exemplum aliorum, *ut* ipsi *timorem habeant*[74]. Qui quoque vult, ut is, qui publicus *est fornicator*, *avarus*, *idolis serviens*, *maledicus*, *ebriosus*, *rapax* et id genus alius, ita vitari debeat, ut *cum ipso nec cibum* quidem *sumere* debeat[75]. Nec desunt aliae scripturae et rationes admodum graves, quae poenitentiam publicam in usum revocandam esse suadent.

Insuper et ego hac parte cuperem cautum iri, ut posthac paulo probiores, graviores, doctiores et peritiores pro confitendis et sanandis hominibus in ecclesia adhiberentur et instituerentur sacerdotes et medici, quam multis in locis hactenus fuerunt[d]. Cuiusmodi si instituerentur, plurimum sane proficerent in plebe ipsi.

A r t i c u l u s 5: *Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam ...*[76] 165v

S e n t e n t i a. Hic articulus complectitur haeresim Iacobitarum[77], Waldensium[78], Wicleffitarum[79], Picardiorum etc. in concilio Constantiensi merito damnatam[80]. Siquidem impietas sit dicere enumerationem peccatorum non esse necessariam, quando hoc modo futurum esset, ut plerique omnes maiora crimina, et de quibus erubescerent, reticerent et leviora dumtaxat enarrarent futurumque esset hoc modo, quod enervaretur vigor et vis confessionis. Et quid? Quomodo sacerdos absolvet quempiam a maioribus, quae nescit[e], cum sententia, nisi cum cognitione causae proferri nec debet nec possit? Praeterea, qua clave sacerdos utetur, cum nescit, an sit dignum, ut solvatur[f] aut retineatur? Ego propemodum putaverim ipsum forte nunquam clave retentionis usurum, quando nullus, qui cautus fuerit, retinenda confessurus sit. Erroneus igitur est idemque totus haereticus hic articulus cum omnibus, quae in eo scurriliter recensentur, ideoque dudum in concilio Constantiensi damnatus recteque per hanc sanctam Tridentinam synodum damnandus.

Nec est, ut aliud hic sim additurus, quam quod ex animo velim semel declaratum iri in hoc sacro concilio, quae peccata vere sint venialia, num illa sint paria vel imparia, ut videlicet aliqua sint confitenda, aliqua vero non. Non enim me fugit simpliciores quandoque[g] super his suas gravare conscientias, utpote qui ignorant discernere inter mortalia et venialia. |

[a] *Vat.* sub [b] *Clm* perspicuum
[c] *om. Vat.* [d] *Clm* fuerint [e] *Clm* nescitur [f] *Clm* absolvatur [g] *Clm* quenquam

[69] Cf. c. 4 *Si ea* C. 25 qu. 2 (*Friedberg* I 1013).
[70] *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 19 (l. c. 822, 3. 22; 823, 2). *Io. Calvinus*, Institutio c. 9, n. 35 (l. c. 709).
[71] *Frid. Nausea*, Cath. catechismus III, c. 53: „Num confessio vocalis, quam vocant *auricularem*, sit necessaria ... dico confessionem sacramentalem, quam haeretici probri causa vocitant *auricularem*, pro remissione peccatorum consequenda non minus esse post perpetratum peccatum necessariam, quam baptismo opus est, modo adsit confitendi facultas" (l. c. 42v–43r).
[72] Epist. 168 ad episc. Campaniae, c. 2 (*Migne*, PL LIV 1211 A) = c. 61 *Sufficit* de poenit. dist. 1.
[73] Act. 19, 18.
[74] 1 Tim. 5, 20.
[75] 1 Cor. 5, 11.
[76] Vide Conc. Trid. VII, I 235, 4ss.
[77] *Alf. de Castro*, Adv. omnes haereses IV s. v. *confessio*: „Secundus error est, qui dicit non esse necessarium confiteri sacerdoti, sed sufficit soli Deo peccata confiteri. Hic est error quorundam orientalium haereticorum, qui dicuntur Iacobitae, et hos sequitur Lutherus" (Venetiis 1546, 482).
[78] Ibid.: „Quintus error omnino tollit confessionem et iste est error Valdensium, qui coincidit cum errore, qui est Iacobitarum et Lutheri" (l. c. 483).
[79] Ibid.: „Tertius error dicit confessionem esse superfluam et inutilem, si contritio adsit; et huius haeresis author est Ioannes Witclef" (l. c. 483).
[80] Conc. Constantiense, sess. VIII, errores Io. Wicleff damnati n. 7 (*Mansi* XXVII 633 A. *Denzinger* l. c. n. 1157). *Martinus V*, bulla *Inter cunctas* (22. II. 1418), interrogationes Wicleffitis proponendae n. 29 (ibid. 1212 C. *Denzinger* l. c. n. 1260).

Digitized by Google

tritos corde et alligat contritiones eorum[45], prout David testatur ad ipsum dicens: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*[46].

164r Articulus 4: *Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non | esse . . .*[47]

Sententia. Hic articulus et falsus et mendax est, cum constet hanc ipsam confessionem a Christo, vero Deo et homine, praeceptam proindeque *iuris esse divini* planeque necessariam pariter constat. Negare autem eandem confessionem a Christo, Dei filio, praeceptam est negare potestatem clavium ab ipso Dei filio traditam, quod aperto militat adversus Dei filii verbum, quod dicit: *Quaecunque alligaveritis etc.*[48] et iterum: *Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[49]. Dedit autem Christus sub hisce verbis duas sacerdoti claves, quarum prima est scientiae, facultas discernendi peccatum et non peccatum, altera est potestatis, et est facultas solvendi et ligandi. Iam vero, cum sit sacerdos in negotio confessorio, quod est quasi forum quoddam iudiciale, sequitur sacerdotem esse iudicem, qui, cum iudex est, certe habet cognoscere causam, ferre sententiam et iniungere poenam iuxta qualitatem et quantitatem peccati. Sed quomodo faciet hoc sacerdos et quomodo medebitur ipse vulneri et causam cognoscet et eius conditionem, nisi peccator ei peccatum confiteatur? Ergo liquet confessionem iuris esse divini et partem poenitentiae sacramentalis esse necessariam. Atque proinde s. Iacobus tanquam ⌜Dei praeco⌝[a] praeceptum Dei de confitendis peccatis hominibus denunciat inquiens: *Confitemini alterutrum peccata vestra*[50]. Quae quidem confessio fuit antea praefigurata in Hierosolymitanis, quando *baptizabantur* a Ioanne *in Iordane et confitebantur peccata sua*[51]. Quam deinde Ephesii re ipsa apud Paulum executi sunt, quando ei *confessi sunt et annunciarunt actus suos*[52]. Praeterea confessionem iuris esse divini et necessariam
164v testatur scriptura dicens: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; | qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur*[53]. Id quod Ioannes adfirmans ait: *Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est et iustus, ut remittat peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate*[54].

Sileo hoc casu Dionysium[55], Origenem[56], Basilium[57], Hieronymum[58], Cyrillum[59], Augustinum[60], Gregorium[61], Ambrosium[62] et plerosque omnes catholicos doctores tam graecos quam latinos, qui adprobant confessionem illam secretam ceu necessariam et iuris esse divini.

Nec est, quod haeretici dicunt Christum apud Ioannem nihil dixisse de confessione[63], quando dixit: *Quorum remiseritis peccata etc.*, quia dico sufficere, quod expresserit hoc ipsum, quod sine confessione, quam[b] tacite praecepit, fieri nequit. Nec est, quod obiiciunt[64] Iacobum non dixisse confitendum esse sacerdoti, sed *alterutrum*[65], quia dico non opus fuisse hoc ipsum dixisse illum, cum constitit omnibus confitendum esse sacerdoti, qui solus sacramenta ministrare idemque solus solvere, ligare, confessionem audire [potestatem] habet.

Nec est, quod garriunt[66] nec adulteram, de qua in Ioanne [8, 3ss.], nec Magdalenam[67] esse peccata confessas, quandoquidem responderim primo: cum publicae fuerint peccatrices et earum peccata constiterint, confiteri necessario non habuerunt; secundo: satis aperto suis illae gestibus se peccatrices confessae sunt, si actus ambarum diligenter expendatur; tertio: quid, si confessae essent, quando litteris omnia tradita non sint[68]? quarto: quid, si Dominus, institutor sacramenti, eas, quod potuit, hoc casu rationabiliter privilegiasset? Sed privilegia in

[a] *Clm* primo [b] *om. Clm*

[45] Ps. 146, 3. [46] Ps. 50, 19.
[47] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 8s.
[48] Matth. 18, 18.
[49] Io. 20, 22s.
[50] Iac. 5, 16.
[51] Matth. 3, 6.
[52] Act. 19, 18.
[53] Prov. 28, 13.
[54] 1 Io. 1, 9.
[55] *Ps.-Dionysius Areopag.*, epist. 8 ad Demophilum c. 1; vide Conc. Trid. VII, I 250, adn. 5.
[56] In Ps. 37 hom. 2, 6 (*Migne*, PG XII 1386 B).
[57] Regula *Basilii* ex interpretatione Rufini, interrog. 21; vide infra p. 302, 45ss. cum adn. 40 et 41.
[58] Comment. in Ecclesiasten c. 10, 11 (CChr. LXXII 338, 190ss.); vide infra p. 303, 18ss. cum adn. 49. Comment. in Math. 16, 19 (CChr. LXXVII 142, 96ss.).
[59] Potius *Origenes*, In Leviticum hom. 2, c. 4; vide infra p. 303, 2ss. cum adn. 45.
[60] Serm. 351, c. 9 (*Migne*, PL XXXIX 1545). Enarrat. in Ps. 66, c. 7 (CChr. XXXIX 864, 19ss.).
[61] Homiliarum in evang. II, hom. 26, c. 6 (*Migne*, PL LXXVI 1201 A).
[62] De paenitentia II, c. 6, 40 (CSEL LXXIII 181, 12s.).
[63] *M. Luther*, De captivitate Babylon.: „ita prorsus nihil de fide salutari populi, sed de potestate tyrannica pontificum omnia blatterant, cum Christus [Io. 20, 23] nihil de potestate, sed de fide omnia agat" (WA VI 543, 25–27).
[64] Apologia Confess. Aug., art. XII, n. 109: „Fortassis et Iacobum [5, 16] citabit aliquis ... Sed hic non loquitur de confessione sacerdotibus facienda, sed in genere de reconciliatione fratrum inter se" (Die Bekenntnisschriften I 274, 20ss.). *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 19 (Corp. Ref. XC 822, 20ss.). *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 9, n. 27 (Corp. Ref. XXIX 703).
[65] Iac. 5, 16.
[66] Apologia ibid. n. 57 (l. c. 262, 37ss.). *Io. Calvinus* ibid. n. 50 et 57 (l. c. 724. 729).
[67] Potius mulierem peccatricem, Luc. 7, 37ss.
[68] Cf. Io. 20, 30.

Digitized by Google

consequentiam specialia trahenda non sunt. Quapropter perspicuum est confessionem, qua utimur in ecclesia, tam iuris esse divini, ut ne papa quidem cum quopiam dispensare possit[69], ne confiteatur omnino, licet ex causa quoad tempus dispensare posset.

De necessitate vero confessionis secretae, quam haeretici subsannationis causa *auricularem* | vocitant et *clancularium*[70], videatur Catechismus meus lib. 3 cap. 53[71]. 165r

Quod vero articulus iste dicit hanc ipsam vocalem confessionem tam esse recentem, ut eius *antiqui patres nullam* plane *fecerint mentionem ante concilium Lateranense, sed*[a] *publicae tantum poenitentiae*, mendacii prorsus arguitur, quoniam ipsa non modo tempore multo ante utpote Basilii[67], Origenis[66], Augustini[60], Hieronymi[58], Leonis[72] et aliorum doctorum, qui longo tempore ante Lateranense concilium fuere, sed et apostolorum temporibus fuisse, cum in Actis eorundem pateat *multos credentium* ad Paulum venisse et *confessos esse annunciantes actus suos*[73].

Quod autem iste quoque articulus meminit publicae poenitentiae, cuperem ego modis omnibus usum eius ⌜poenitentiae tanquam valde proficuum[b] et necessarium⌝[c] ad restituendam in ecclesia disciplinam nunc non sine summa pernicie omnium virtutum et bonorum morum prorsus abolitam quoquo modo restitutum iri, maxime quia scriptura illum praecipere videatur. Siquidem Paulus velit publice *peccantes coram omnibus* et publicitus *arguendos* et vitandos, maxime in exemplum aliorum, *ut* ipsi *timorem habeant*[74]. Qui quoque vult, ut is, qui publicus *est fornicator, avarus, idolis serviens, maledicus, ebriosus, rapax* et id genus alius, ita vitari debeat, ut *cum ipso nec cibum* quidem *sumere* debeat[75]. Nec desunt aliae scripturae et rationes admodum graves, quae poenitentiam publicam in usum revocandam esse suadent.

Insuper et ego hac parte cuperem cautum iri, ut posthac paulo probiores, graviores, doctiores et peritiores pro confitendis et sanandis hominibus in ecclesia adhiberentur et instituerentur sacerdotes et medici, quam multis in locis hactenus fuerunt[d]. Cuiusmodi si instituerentur, plurimum sane proficerent in plebe ipsi.

Articulus 5: *Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam* ...[76] 165v

Sententia. Hic articulus complectitur haeresim Iacobitarum[77], Waldensium[78], Wicleffitarum[79], Picardiorum etc. in concilio Constantiensi merito damnatam[80]. Siquidem impietas sit dicere enumerationem peccatorum non esse necessariam, quando hoc modo futurum esset, ut plerique omnes maiora crimina, et de quibus erubescerent, reticerent et leviora dumtaxat enarrarent futurumque esset hoc modo, quod enervaretur vigor et vis confessionis. Et quid? Quomodo sacerdos absolvet quempiam a maioribus, quae nescit[e], cum sententia, nisi cum cognitione causae proferri nec debet nec possit? Praeterea, qua clave sacerdos utetur, cum nescit, an sit dignum, ut solvatur[f] aut retineatur? Ego propemodum putaverim ipsum forte nunquam clave retentionis usurum, quando nullus, qui cautus fuerit, retinenda confessurus sit. Erroneus igitur est idemque totus haereticus hic articulus cum omnibus, quae in eo scurriliter recensentur, ideoque dudum in concilio Constantiensi damnatus recteque per hanc sanctam Tridentinam synodum damnandus.

Nec est, ut aliud hic sim additurus, quam quod ex animo velim semel declaratum iri in hoc sacro concilio, quae peccata vere sint venialia, num illa sint paria vel imparia, ut videlicet aliqua sint confitenda, aliqua vero non. Non enim me fugit simpliciores quandoque[g] super his suas gravare conscientias, utpote qui ignorant discernere inter mortalia et venialia. |

[a] *Vat.* sub [b] *Clm* perspicuum
[c] *om. Vat.* [d] *Clm* fuerint [e] *Clm* nescitur [f] *Clm* absolvatur [g] *Clm* quenquam

[69] Cf. c. 4 *Si ea* C. 25 qu. 2 (*Friedberg* I 1013).

[70] *H. Zwingli*, De vera et falsa religione, art. 19 (l. c. 822, 3. 22; 823, 2). *Io. Calvinus*, Institutio c. 9, n. 35 (l. c. 709).

[71] *Frid. Nausea*, Cath. catechismus III, c. 53: „Num confessio vocalis, quam vocant *auricularem*, sit necessaria ... dico confessionem sacramentalem, quam haeretici probri causa vocitant *auricularem*, pro remissione peccatorum consequenda non minus esse post perpetratum peccatum necessariam, quam baptismo opus est, modo adsit confitendi facultas" (l. c. 42v–43r).

[72] Epist. 168 ad episc. Campaniae, c. 2 (*Migne*, PL LIV 1211 A) = c. 61 *Sufficit* de poenit. dist. 1.

[73] Act. 19, 18.

[74] 1 Tim. 5, 20.

[75] 1 Cor. 5, 11.

[76] Vide Conc. Trid. VII, I 235, 4ss.

[77] *Alf. de Castro*, Adv. omnes haereses IV s. v. *confessio*: „Secundus error est, qui dicit non esse necessarium confiteri sacerdoti, sed sufficit soli Deo peccata confiteri. Hic est error quorundam orientalium haereticorum, qui dicuntur Iacobitae, et hos sequitur Lutherus" (Venetiis 1546, 482).

[78] Ibid.: „Quintus error omnino tollit confessionem et iste est error Valdensium, qui coincidit cum errore, qui est Iacobitarum et Lutheri" (l. c. 483).

[79] Ibid.: „Tertius error dicit confessionem esse superfluam et inutilem, si contritio adsit; et huius haeresis author est Ioannes Witclef" (l. c. 483).

[80] Conc. Constantiense, sess. VIII, errores Io. Wicleff damnati n. 7 (*Mansi* XXVII 633 A. *Denzinger* l. c. n. 1157). *Martinus V*, bulla *Inter cunctas* (22. II. 1418), interrogationes Wicleffitis proponendae n. 29 (ibid. 1212 C. *Denzinger* l. c. n. 1260).

Digitized by Google

166r Articulus 6: *Confessionem omnium peccatorum, quam ecclesia faciendam praecipit, esse impossibilem . . .*[81]

Sententia. Quoniam ecclesia dumtaxat ea peccata generaliter et specialiter omnia confessum iri praecipiat, quorum confitens memoriam habet, certe nihil ipsa, quod impossibile est, praecipit. Calumniatur eapropter hic articulus parcitque veritati plurimum, quod censeat[a] praeceptum de confessione *traditionis* esse *humanae*, cum satis superque per omnes ecclesiae doctores ipsum iuris esse divini probatum sit. Propterea que a nullis unquam piis abrogari, sed semper magis ac magis in ecclesia restauratum iri debere [censuerunt], maxime *tempore quadragesimae*, quod ab ecclesia peculiariter[b] deputatum est poenitentiae, per quam se purgent, lavent et mundent manducaturi corpus illud Domini nostri sacrosanctum innocentemque eius sanguinem bibituri, quemadmodum pie cautum est in Lateranensi[c] [IV] concilio in c. [12] *Omnis utriusque sexus* [X de poenit. et remiss. V 38].

Articulus 7: *Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem . . .*[82]

Sententia. Post alios[83] in hoc doctissimo praelatorum et doctorum consessu paulo ante paucis hunc articulum esse falsum probavi, qui tam absurdus est et blasphemus idemque piarum aurium offensivus, ut plane responso sit indignus, sed surda potius aure praetereundus, cum contra universas scripturas et doctorum rationes et auctoritates totum poenitentiae sacra- 166v mentum | prorsus impudenter, sed frustra quidem in ordinem redigat.

Articulus 8: *Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi . . .*[84]

Sententia. Haud modo stupendam, sed et plane detestandam contrarietatem continet hic articulus omni ex parte haereticus omninoque falsus, duas tamen[d] in se particulas concludens.

Prima falso vult sacerdotem in peccato mortali existentem nec solvere nec ligare posse, quando spiritus sancti gratia et charitate non sit praeditus. Siquidem sacerdos, ut suo fungatur in administrandis sacramentis officio, non necessario opus habeat spiritus sancti gratia gratum faciente, sed ut illius gratiam et gratis datam habeat, quam utique Christus dedit suis apostolis[85], primis sacerdotibus, et eius loco dat episcopus [eis], quos sacerdotes ordinat, Christi loco dicens: *Accipe spiritum sanctum etc.*[86] Sed quum haec articuli particula concernat[e] sacramentum ordinis et sacrificium missae, reservabo ipsum falsitatis ipsius arguendum, donec disputatio erit super sacramento ordinis[87].

Secunda particula huius articuli falso vult omnes Christianos esse sacerdotes et Christum *ad omnes* dixisse: *Quorum remiseritis etc.*[85], ignorans scilicet sacerdotes dici ⌜quosdam spirituales similitudine et participatione quadam⌝[f], quia sacra dant et offerunt hostias spiritualiter utpote opera misericordiae et iustitiae etc. Cuiusmodi sacerdotes Christi sumus omnes, de quibus ait Ioannes: *Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes et regnabimus super terram*[88]. Huius sacerdotii spiritualis rationem graviter reddit divus Petrus[89]. Hoc sane pacto plerique omnes *sacer-* 167r *dotes* et *reges* a | Christo Iesu, summo sacerdote et rege, spiritualiter appellati sunt. Sacerdotes alii sunt reales, ut ita dixerim, dignitate et officio, quorum est conficere sacramentum eucharistiae, offerre corpus Iesu Christi patri coelesti pro nobis omnibus et reliqua sacramenta ministrare, de quibus ait apostolus apud Hebr. [5, 1ss.; 7, 11ss.]. Quo sane pacto sacerdotes sunt, qui certis ceremoniis ad sacerdotale munus vocati, selecti et ordinati sunt sacramento sacri ordinis, de quo suo loco. Ad eiusmodi solos sacerdotes summus sacerdos ait: *Quorum remiseritis etc.*[85], non autem ad laicos sive viros sive mulieres sive pueros sive ad id genus alios similitudinarios sacerdotes, qui nequaquam habent[g] sacramentaliter ligare vel solvere nec alia sacramenta vel eorum partes ministrare, sed ab omni sacerdotali officio coercendi sunt tanquam totius ecclesiasticae hierarchiae disturbatores.

Articulus 9: *Absolutionis ministrum, etiam si contra prohibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere . . .*[90]

Sententia. Iste articulus plane scandalosus est, ad inobedientiam, seditionem et rebellionem[h] subditos contra superiores provocans et excitans adversus Pauli praeceptum, quo prae-

[a] *Clm* sentiat [b] *Clm* spetialiter [c] *Car. Sch. Clm Vat.* Constantiensi
[d] *Vat.* tantum [e] *Clm* conveniat [f] *om. Clm* [g] *Clm* habeant [h] *Clm* rebellationem

[81] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 3s.
[82] Vide ibid. 236, 7ss.
[83] Cf. votum card. Tridentini, ibid. 293, 40.
[84] Vide ibid. 236, 14ss.
[85] Io. 20, 22s.
[86] Pontificale Rom., de ordinatione presbyteri, ad impositionem manuum.
[87] Vide infra p. 345ss.
[88] Apoc. 5, 10. [89] 1 Petr. 2, 9.
[90] Vide Conc. Trid. VII, I 237, 6ss.

Digitized by Google

cipit is, ut *nostris praepositis obediamus*[91]. Hic autem articulus vult, ut simplex sacerdos etiam prohibente episcopo sive alio superiore in casibus et peccatis reservatis absolvere possit. Quanquam ob paritatem ordinis et aeque inferiorem atque superiorem absolvere posse a culpa concesserim, non tamen inferiorem aeque posse a poena atque superiorem absolvere, sed insuper ipsum propter inobedientiam et contemptum superioris graviter peccare crediderim, quamvis ab eo vere confessum coram Deo esse absolutum a culpa minime negaverim. Quatenus | vero 167v ex causis summi pontifices et episcopi peccatorum casus aliquot sibi reservant, easque reservationes haud esse abrogandas, haud est, [cur] hoc loco multis agam, quum quidquid huius[a] est materiae, satis abunde disseruerim[b] in libro Responsorum ad centum gravamina Germaniae in quinto gravamine[92].

Nec est, quod hic addam aliud, quam ut ex animo moneam, ne eiusmodi casuum reservatio plus aequo multiplicetur, sed ut ibi ratio habeatur expensarum sinistrarum, suspicionum et scandalorum, quae saepenumero fieri committique solent in iisce peccatorum reservationibus. Atque ideo ego me ad librum meorum Responsorum remitto, ne plus aequo hic sim prolixior.

Articulus 10: *Totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo . . .*[93]

Sententia. Tres habet hic articulus periodos. Prima ait *a Deo semper* poenitenti *totam poenam simul et culpam remitti*. Ad cuius articuli intelligentiam scire profuerit, quod, quum quis peccat adversus Deum vel proximum suum, duo sibi mala contrahat[c], nempe culpam et poenam pro culpa, et[d] fieri quidem posse, ut poenitens usque adeo possit de suo peccato poenitere, ut *Deus, cuius misericordiae non est numerus*[94], ei simul remittat culpam et poenam peccati, veluti non impium credi possit esse factum in Petro, Magdalena et latrone in cruce[95]. Regulariter vero non semper a Deo remissa culpa remissa quoque sit et poena, verum oportet, ut pro poena poenitens ipse satisfacere satagat. Id quod patet in protoplastis, quibus etsi Deus culpam | remiserat, poenam tamen ipsi pro culpa luerunt[96], prout et plerique adhuc luimus, 168r luituri, donec vixerimus. Patet pariformiter in Davide, cui licet culpa remitteretur, pro ea tamen poena quadam satisfacere cogebatur[97]. Idem patet multis exemplis in sacra scriptura contentis, quibus plus quam aperto claret non semper simul cum culpa remitti quoque poenitenti poenam. Sed huius [poenae] reatus multoties ita manet, ut poenitens eam poenitentiae operibus redimere teneatur, ut Ioannes Baptista poenituris praecipiebat dicens: *Facite fructus dignos poenitentiae*[98]. Atque hoc est, quod scriptura dicit: *De propitiato peccato noli esse sine metu et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*[99]. Eo tendunt etiam verba Pauli dicentis: *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem*[100].

Secunda[e] periodus ait: *non esse satisfactionem* pro peccatis *aliam quam fidem, qua adprehendimus Christum pro eis satisfecisse*, id quod falsum est. Etsi enim Christus, ut pro omnibus passus idemque mortuus est, ita pro omnibus quoad culpam satisfecerit dicente Ioanne: *Filioli mei, haec scribo vobis, ⌜ut non⌝[f] peccetis. Sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi*[101]. Et illud quoque dudum confessus est propheta inquiens: *quia apud Dominum misericordia est et copiosa [apud eum] redemptio*[102]. Quoad poenam tamen necessum est, ut homo cooperetur passioni Christi, qua ipse satisfecit. Passio quidem ipsius[g] sufficiens est ad tollendum omnem reatum poenae non solum aeternae sed etiam temporalis. Et secundum modum, quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem a reatu poenae. Licet enim Christus ipse, quantum in se est, pro omnibus satisfecerit, eius tamen satisfactio

[a] *Car. loco del.* minus [b] *Clm* disserui [c] *Car. Sch. Clm Vat.* contrahere [d] *Clm* ut
[e] *Car. Sch.* secundus [f] *Clm* ne [g] *Clm* illius

[91] Hebr. 13, 17.

[92] *Frid. Nausea*, Responsa una cum eorundem declarationibus et moderaminibus sacrosanctae sedis apostolicae ad aliquot inclytae Germanicae nationis adversus illam gravamina, gravamen 5: „De reservatis casibus tollendis... Responsum: Casuum quorundam reservationem non modo esse proficuam rei publicae sed et divinitus approbatam. Declaratio responsi: Non erat quorundam peccatorum vel transgressorum sedi apost. reservatio prorsus incusanda..., quando id non nuper sit inventum, sed sacris literis consonum et in commune bonum salubriter institutum..., ut maior sit peccantibus deinceps abstinendi cura et delinquendi verecundia... Addamus et hoc ideo fieri coeptum, ut per maiorem sacerdotem melius peccati gravitas et magnitudo dinoscatur, ne qua fiat confitenti vel iniuria vel iniquitas" (Coloniae 1538, 6v). Cf. *J. Metzner*, Friedrich Nausea 24. 75.

[93] Vide Conc. Trid. VII, I 237, 11ss.

[94] Missale Rom., missa pro gratiarum actione, oratio.

[95] Cf. Matth. 26, 75; Luc. 7, 44ss.; 23, 41s.

[96] Gen. 3, 16ss.

[97] 2 Reg. 12, 13s.

[98] Matth. 3, 8; Luc. 3, 8.

[99] Eccli. 5, 5s.

[100] Rom. 6, 19.

[101] 1 Io. 2, 1–2. [102] Ps. 129, 7.

Digitized by Google

tantum prodest eis, qui se illa dignos faciunt. Siquidem *multi sunt vocati, pauci vero electi*[103].
168v Atque hoc | est, quod Petrus ait inquiens: *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam faciatis vocationem et electionem vestram*[104].

Tertia[a] periodus huius articuli inculcat *canonicas satisfactiones*, de quibus nescit ipse, quid vel adfirmat vel negat. Ad quem breviter respondeo canones quidem poenitentiales esse non modo constitutos[b] in exemplum sed etiam in satisfactionem et quidem principalius, ut aperte colligere est ex tertio concilio Carthaginensi can. 8 et 11[105] et ex concilio Nicaeno[106], in quo non sunt illi primum, sicut falso garrit hic articulus, sed ante ipsum exorti, id quod patet ex canonibus Gregorii Neocaesariensis martyris[107]. Addiderim, quod Germanis etiam canones poenitentiales scripsit s. Bonifacius[108], qui nostra patrumque memoria in usu fuere. Atque utinam in disciplinam, in satisfactionem et in exemplum denique adhuc servarentur, ut alii caverent ab eiusmodi peccatis utpote publicis criminibus, quae merito solemnem merentur poenitentiam. Qui, cum populus in charitate timoreque Dei decrevit poenitentiaeque austeritatem ferre noluit, eo usque semper mitiores esse coeperunt, donec a schismaticis et haereticis in horrendam ecclesiae perniciem, ⌜quae omnem⌝[c] oppressit disciplinam, de medio prorsus sublati[d] sunt. Quorum praecipuus fuit usus, ut sacerdos noscat confitenti emendam imponere. Ideoque mentitur hic articulus ogganniens[e] ipsas canonicas satisfactiones numquam ad remissionem poenae constitutas fuisse.

Articulus 11: *Optimam poenitentiam esse novam vitam* ...[109]

169r Sententia. Ego sane eam *novam vitam* fortasse non gravatim[f] pro | poenitentia[g] acceptarem, si iuxta Paulum deposita[h] vita propter peccata vetera nos renovandi de eisdem peccatis contristaremur[110], ea confiteremur[i] bonisque vel quamlibet duris et asperis operibus pro eis medio satisfactionis D. N. Iesu Christi pro virili nostra satisfacere satageremus. Ad quod hortatur Paulus: *Deponite*, inquiens, *secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini*[k] *autem spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis*[111]. Idem quoque ad Colossenses ait: *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creavit eum*[112]. Haec si feceritis, dubium non est, quin una poenituerimus et in vita nova quotidie magis ac magis renovabimur[l] vere poenitentes.

Quod autem hic articulus negat hominem poenitentiam *ieiuniis, orationibus, eleemosynis et aliis* id genus *bonis operibus* et poenis a Deo inflictis minime satisfacere posse, veritati prorsus parcit, quum sit inter multa alia adversus Danielis consilium, quod dedit Nabuchodonosor ad ipsum dicens: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum*[113]. Iam vero, quid est peccati redemptio aliud quam satisfactio? Atque in hanc rem dicit Sapiens: *Fili, peccasti? Ne adicias iterum, et de praeteritis deprecare, ut dimittantur tibi*[114]. Attendat idcirco hac parte impudens hic articulus haud esse satis ad veram poenitentiam vitae innovationem. Postquam enim Sapiens praeceperat vitae emendationem dicens: *Ne adicias iterum*, tanquam hoc satis non esset, addidit: *et de praeteritis deprecare, ut dimittantur tibi.* Sed quid multis, quum huius articuli falsitatem lib. 3 nostri Catechismi fundamentis et rationibus multis planeque catholicis ostendi[115], quo quemlibet remittere non erubuerim. |

169v Articulus 12: *Satisfactiones non esse cultus Dei* ...[116]

Sententia. Falsus hic est et erroneus articulus garriens ob id *satisfactiones non esse Dei cultus*, quia[m] sint *traditiones hominum*. Quandoquidem, licet eas[n] fortasse docuissent homines

[a] *Car. Sch.* tertius [b] *Car. Sch. Clm Vat.* constitutum
[c] *Clm* quem [d] *Clm* sublatae [e] *Clm* obgarriens
[f] *Clm* gravanti [g] *Vat.* propriam [h] *Clm* disposita [i] *Clm* confitemur
[k] *Car. Sch.* revocamini [l] *Clm* renovabitis [m] *Clm Car. Sch.* quid [n] *Clm* eos

[103] Matth. 20, 16; 22, 14.
[104] 2 Petr. 1, 10.
[105] Breviarium Hipponense (secundum traditionem *Collectionis Hispanae* conc. Carthaginense III, a. 397), c. 8 et 30 (CChr. CXLIX 35, 55ss.; 41, 170ss.; 331, 64ss.; 335, 190s.).
[106] Conc. Nicaenum I, can. 11–12 (*Lauchert* 40, 10ss. 20ss. Conciliorum oecum. decr. l. c. 11, 20ss.; 12, 1ss.).
[107] *Gregorius Thaumaturgus*, episc. Neocaesariensis, epist. canonica, can. 11 (*Migne*, PG X 1047/48 A).
[108] *Ps.-Bonifatius*, Statuta quaedam, can. 31–32 (*Mansi* XII 386 B. *Migne*, PL LXXXIX 823 B). Cf., *A. Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands II[3-4] 247, adn. 5.
[109] Vide Conc. Trid. VII, I 238, 1ss.
[110] 2 Cor. 7, 10s.; Eph. 4, 22s.
[111] Eph. 4, 22–24.
[112] Col. 3, 9s. [113] Dan. 4, 24.
[114] Eccli. 21, 1.
[115] *Frid. Nausea* in Cath. catechismo III, c. 59–65 de satisfactione egit (l. c. 46v–52r); cf. praesertim c. 63: „Sunt autem tria eorum opera satisfactoria adversus praedicta peccata, ad quae omnia alia satisfactionis opera reducuntur, scil. oratio, eleemosyna et ieiunium" (l. c. 49v).
[116] Vide Conc. Trid. VII, I 238, 7ss.

Digitized by Google

easque tradidissent, haud tamen propterea non essent Dei cultus, quum constet: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit a patre luminum etc.*[117] et ipsos quoque homines, quantumvis perfectos, *non esse sufficientes aliquid* ex se ipsis *quasi ex* ipsis *cogitare, sed eorum a Deo esse sufficientiam*[118] proptereaque non tam humanas quam divinas esse vocandas eiusmodi[a] *traditiones,* quas hic articulus adpellat *humanas.* Contra quas si quis peccaverit, eum censet Paulus aeque peccare in Dei *traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram*[119]. *Qui* enim *haec spernit, non* modo *hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum in nobis*[120].

Quod deinde blaterat articulus iste, quia eiusmodi *satisfactiones obscurent doctrinam de gratia, cultum Dei et beneficium Christi,* plane mentitur nec probat quidquam, quum Dei cultum magis augeant illae. Nunquid est hoc *Dei cultum obscurare,* quod Catholici media nocte surgunt et Domino confitentur? Num David meritum passionis dominicae pro peccatis suis et nostri omnium exhibitae merito[b] ipsius obscuravit, quando complevit, quod promisit, inquiens: *Factae sunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte*[121] et: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymys meis stratum meum rigabo*[122], sed et: *Cinerem sicut* | *panem manducabam et potum meum cum* 170r
fletu miscebam[123]*?* Valeat igitur hic articulus, qui non veretur asserere per hasce poenitentiae satisfactiones Christi meritis, eius bonitati et misericordiae derogari, cum potius ingens daretur ansa peccandi, si, quoties peccant homines, Christus, qui satis pro cunctis faciat, unus inveniatur nobis per eadem D. N. Iesu Christi [merita] aeternam illam reatus poenam remittere[c], de qua scribitur: In inferno autem nulla est redemptio[124]. Proinde si eiusdem quoque benignitate post amissam semel ac saepissime gratiam a Domino adhuc recipitur peccatoris satisfactio, nonne sic magis elucescit gratiae Dei et meritorum Christi exaltatio, sine quibus neque contritio neque confessio neque satisfactio nostra quidquam valeret?

Insuper hic articulus errat, quod existimat *esse fictiones virtute clavium aeterna supplicia in poenas temporales commutari,* quandoquidem liqueat peccatorem peccando incidere in culpam et poenam aeternam et illud [peccatum] per contritionem remitti, haec[d] vero, quae, quum fuerit sicuti culpa aeterna, per virtutem clavium quasi commutatione quadam fit temporalis, et succidaneo[e] tempore per opera poenitentiae vel hic vel alibi in purgatorio totaliter remittitur ac diluitur. Simul enim totam remitti poenam temporalem pro culpa debitam vel ideo par credi non est, quum, sicut ait scriptura: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*[125]. *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*[126], ex iis igitur et aliis paulo ante dictis claret post dimissam culpam restare aliquam poenam temporalem solvendam et in eius poenae compensationem per sacerdotem confessorem dari constituique poenitenti ⌈poeni|tentiam, [qua] legitime servata⌉[f] remitti poenam, quam hic temporaliter luere multo quidem 170v
tempore debuisset.

Nec *fictio* est, quod credimus hoc ipsum fieri *clavium virtute* nec hoc facere sacerdotem posse, quandoquidem habeat ille sicut iudex spiritualis de peccati quantitate et qualitate cognoscere et ipsum peccatum ex Christi, summi sacerdotis, commissione vel remittere vel retinere. Profecto habet illud ipse, quod minus est, nempe poenam et eius quantitatem imponere ex officio sibi commisso, maxime quia sit *minister* ipse *Christi,* cui est tanquam *dispensatori misteriorum*[g][127] eius dispensatio credita, cuius dispensationis virtute *in persona Christi donare*[128] potest poenam, non vero culpam, prout latius dicam, quum de indulgentiis et purgatorio forte tractabitur.

Patet igitur ex dictis omnibus praefatos articulos omnes et singulos esse tanquam haereticos et anathemate feriendos.

[a] *Car.* cuiusmodi [b] *Car. Scb. Clm Vat.* meritum
[c] *Car. Scb.* remitti [d] *Car. Scb. Clm Vat.* hanc [e] *Clm* succedente
[f] *Car. Scb.* poenitentiam servatam [g] *Car. Scb. Clm Vat.* ministeriorum

[117] Iac. 1, 17.
[118] 2 Cor. 3, 5.
[119] 2 Thess. 2, 14.
[120] 1 Thess. 4, 8.
[121] Ps. 41, 4.
[122] Ps. 6, 7.
[123] Ps. 101, 10.
[124] Cf. Luc. 16, 26.
[125] Deut. 25, 2.
[126] Apoc. 18, 7.
[127] 1 Cor. 4, 1.
[128] 2 Cor. 2, 10.

Digitized by Google

[II.] Super disputatis de sacramento extremae unctionis articulis sententiae

Articulus 1: *Extremam unctionem non esse sacramentum novae legis* . . .[1]

Sententia. In prima sui parte hic articulus est haereticus, quod ait: *Extremam unctionem non esse sacramentum novae legis.* Primo enim, quia catholica ecclesia, quae *veritatis est columna* 171r *et firmamentum*[2], ad hunc usque diem semper et ubique sensit, sicut dudum | definivit[3] extremam unctionem esse sacramentum unum ex septem ab ea receptis. Secundo, cum competat ei definitio sacramenti. Est enim *visibilis forma invisibilis gratiae*[4]*:* visibilis forma est ipsa unctio oleacea cum oratione, gratia vero invisibilis est remissio peccatorum, quam secreto operatur spiritus sanctus sub unctione oleacea, per quam significatur ipsa gratia spiritus sancti, cui remissio peccatorum adscribitur iuxta Dominum dicentem: *Accipite spiritum sanctum* et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[5]. Tertio, quia in extrema collatione typicae unctionis adsunt omnia, quae ad perfectum sacramentum requiruntur, materia videlicet, forma et effectus. In hoc ipso enim sacramento unctionis materia est oleum sacrum, quo ungendus est infirmus. Forma est sacerdotis oratio. Effectus est remissio peccatorum. Id quod testatur Iacobus apostolus ex Christi iussu de hoc sacramento dicens: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus et, si in peccatis sit, remittentur ei*[6].

Est et hic articulus in secunda eius parte haereticus in hoc, quia negat ipsum *a Christo institutum.* Siquidem sacramentum est, non poterit nisi a Christo Deo esse institutum, non autem ab ullo puro homine. Etsi enim non clare pateat, ubi vel quando vel quomodo Dominus ipse illud instituerit, haud tamen defuerunt ex antiquis doctoribus, qui censuerunt ipsum esse institutum, quando convocans ipse suos discipulos dedit eis *potestatem spirituum immundorum*[7] et eos misit ad praedicandum. *Et* ipsi *exeuntes praedicarunt, ut poenitentiam agerent. Et daemonia multa eiciebant et ungebant oleo multos aegros et sanabantur*[8]. Caeterum, quamvis ego illam unctio-171v nem saltem putarim praelusisse sacramento extremae unctio|nis, quia tamen theologi certent et *sub iudice lis sit*[8a], haud est, ut ipse quidquam definiam hac de re, quam potius iudicio huius sacrosanctae synodi relinquam, nihil tamen addubitans, quin[a] Christus Dominus hoc unctionis extremae sacramentum instituerit et eius iussu Iacobus apostolus promulgaverit inquiens: *Infirmaverit*[b] *quis in vobis etc.*

Est praeterea articulus iste in tertia sui parte scandalosus paeneque blasphemus, quod ait hoc sanctum extremae unctionis sacramentum *esse figmentum humanum*, siquidem liqueat ex praecedentibus nequaquam esse *humanum*, sed divinum potius, multo minus *figmentum*, sed a filio Dei traditum. Id quod ipse Augustinus haud dubie credidit, quando dixit: *Qui aegrotat etc.*[9]

Articulus 2: *Extremam unctionem non conferre gratiam* . . .[10]

Sententia. Hic articulus est omnino falsus et haereticus, ut perspicuum fit ex iis, quae dixi paulo ante in sententia mea super primo articulo. Nec est, ut ulterius aliud addam.

Articulus 3: *Extremae unctionis ritum et usum non observari ab ecclesia* . . .[11]

Sententia. Quum articulus iste constet in facto, necessum est, ut ipsum probet, quum loquatur sine ratione. Atque nos eum falso negare dicimus, donec probet ipsum. Interea teneamus eundem plane falsum et mendacem. |

172r Articulus 4: *Extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem* . . .[12]

Sententia. Falsus est hic articulus et erroneus volens *non solum sacerdotem esse* huius *extremae unctionis*, sed et quemlibet hominem *senectute venerabilem*[13], quemlibet sacris haud initiatum *esse ministrum,* nempe nitens[c] vocabulo *presbyteros*, quod graecum sit ac latine sit *senior*, propter-

[a] *Clm* quomodo [b] *Clm* infirmatur [c] *Car. Sch.* nitentes

[1] Vide Conc. Trid. VII, I 239, 4s.
[2] 1 Tim. 3, 15.
[3] Conc. Florentinum, decr. pro Armenis (*Mansi* XXXI 1058 A). Conc. Tridentinum, sess. VII, can. 1 de sacr. in genere (Conc. Trid. V 995, 8).
[4] *Petrus Lomb.*, Sent. IV, dist. 1, c. 2, n. 2 (l. c. II 746).
[5] Io. 20, 22s.
[6] Iac. 5, 14s.
[7] Marc. 6, 7. [8] Marc. 6, 12s.
[8a] *Horatius*, De arte poetica 78.
[9] *Ps.-Augustinus*, De rectitudine cath. conversationis c. 5 (*Migne*, PL XL 1173). *Idem*, sermo 265 in appendice, c. 3 (*Migne*, PL XXXIX 2238).
[10] Vide Conc. Trid. VII, I 239, 9s.
[11] Vide ibid. 240, 1s.
[12] Vide ibid. 240, 6ss.
[13] Sap. 4, 8s.

Digitized by Google

eaque censens Iacobum apostolum velle, ut, si quis infirmus sit, ad ipsum vocentur et adducantur seniores ex plebe, ut ipsum illi inungant. Sed errat hic articulus aut certe maligne et in odiosam partem contra christianam charitatem interpretatur, quod in partem posset ac deberet[a] meliorem, tritiorem[b] communioremque rectius interpretari, potiusque[c] rem paulo altius trutinare scireque ipsum debere *presbyter*, quem dubio procul esse vocem graecam notareque *seniorem* et esse utique vocem et nomen aetatis, sed hoc nimirum casu aetatem [non] iuxta numerum annorum, sed iuxta sensus maturitatem computandam esse, veluti scriptura dicit *senectutem venerabilem esse non diuturnam neque annorum numero computatam canosque sensus hominis et aetatem senectutis vitam esse immaculatam*[13]. Eiusmodi vero presbyterorum et seniorum canities non aliud est quam sapientia, prudentia et scientia, quae plurimum propter aetatis longaevae experientiam et usum magis ac frequentius inest[d] senibus quam iuvenibus.

Iam vero cum sacerdotes singulariter prae ceteris esse debeant scientes, prudentes et sapientes, coeperunt olim sa|cris initiari[e] crearique sacerdotes illi, qui non tam aetate quam sapientia 172v
senes essent eosque credi commodiores et graviores, qui tam essent aetate quam prudentia senes. Atque inde factum est, quod ubique gentium et plerumque ferme semper per presbyteros (et in latina quidem ecclesia) sacerdotes intellecti sunt et adhuc intelliguntur. Hoc ut apertius ab omnibus Christianis intelligeretur certius, ipse divus Hieronymus in translatione Bibliorum in eis locis, ubi de sacerdotibus negotium fuit, haud usus est nomine *sacerdotis*, sed in idiomate graeco manere sinivit vocabulum *presbyteri*. Ita sane legitur in Paulo a Paulo dicente: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina*[14]. Et iterum in eodem loco: *Adversus presbyterum*, inquit, *accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus*[15]. Idem ad Titum [1, 5] ait: *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas presbyteros, sicut et ego disposui tibi*. In quibus sane locis nomen *presbyter* accipitur pro eo, qui sacerdos ab episcopo ordinatus est, non pro quopiam laico seniore, quemadmodum accipitur quoque in Actis apost. [14, 22], cum dicitur de apostolis, quod constituerint hominibus *per singulas ecclesias presbyteros*. Nec dubium, quin et iuxta s. Hieronymi translationem s. Iacobus non laicos ex plebe seniores, sed ipsos ordinatos in ecclesia sacerdotes intellexerit per *presbyteros*, prout satis aperto constat ex ipso actu, quo ibi presbyteri uti debent, et testantur verborum inibi circumstantiae.

Addo demum, quod praeceptum apostoli, quod indubie a Domino habuit, referri debet non ad laicos seniores de communitate, sed omnino ad sacerdotes ordinatos, quorum ex officio est, ut orent, intercedant, offerant idque genus alia spiritualia munia | quasi publicae in ecclesia 173r
personae pro ceteris hominibus utpote laicis faciant, ut est apud Iudith, quae, quum loquitur de sacerdotibus, ad eos ait: *Et nunc, fratres, cum vos, qui estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendeat anima illorum, ad eloquium verum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt et patres vestri*[16]. Et ipse Paulus scribit *omnem pontificem*, i. e. sacerdotem, *ex hominibus assumi et pro hominibus constitui in iis, quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis etc.*[17] Administratio vero sacramentorum est eorum, quae pertinent *ad Deum*. Ergo sacerdotes soli ordinati sacramenta, quae res sunt spirituales, administrare habent.

Iam vero, quia nunc ex dictis [satis] superque constet extremam unctionem, de qua articulus hic perperam loquitur, esse sacramentum, conferre gratiam, in ecclesia Romana recte usitatam nec recentem esse, utpote quae fuerit ante 1100 annos sub Innocentio I[18], superest modo non aliud, quam ut ii articuli super salutaribus poenitentiae et extremae unctionis sacramentis omnes et singuli per hanc sacrosanctam synodum tamquam vere haeretici, blasphemi, scandalosi, falsi piarumque aurium offensivi perpetuo damnentur anathemateque feriantur, authores eorum ex sententia Pauli[19] *in virtute et nomine D. N. Iesu Christi in interitum carnis sathanae tradantur*, ut discant non blasphemare, sed sint ipsorum *spiritus salvi in die* eiusdem *D. N. Iesu Christi*, cui laus sit ac gloria sempiterna.

[a] *Clm* debeat
[b] *Clm* tutiorem [c] *Clm* potius quam [d] *Car. Sch. Clm* inesse [e] *om. Clm Car. Sch.*

[14] 1 Tim. 5, 17. [15] 1 Tim. 5, 19. [18] *Innocentius I*, ad Decentium epist. 25 (19. III. 416), c. 8 (*Migne*, PL XX 559 B).
[16] Iudith 8, 21.
[17] Hebr. 5, 1. [19] 1 Cor. 5, 4s.

Digitized by Google

10.

Thomas Campegius, episcopus Feltrensis
Sententia de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis
dicta in congregatione patrum concilii Tridentini[1]

habita die 7. mensis Novembris 1551

Bibl. Vat., *Vat. lat. 3916*, 149r–166v *(copia coaeva ab auctore correcta)*

⌜De sacramento penitentie⌝[a]

Vat. l. 3916 149r

[Articulus 1]

Poenitentiam non[b] *esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum a Christo institutum* . . .[2]

Atestatur[c] Augustinus lib. 10 De civitate Dei, — ⌜et habetur in c. [32] *Sacrificium* de consecr. dist. 2 — inquit⌝[d], quod *sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma*[3], et in lib. De doctrina christiana, quod est illud, quo[e] sub tegumento rerum visibilium divina virtus salutem nostram operatur[4]. Gregorius — ⌜et habetur in c. [84] *Multi* [C.] 1 qu. 1⌝[f] — dixit, quod *sacramentum est, cum res gesta ita fit, ut aliquid sanctificate accipiamus*[5]. Cum autem haec recte tribuantur poenitentiae in relapsis, subsequitur per locum a definitione ad definitum, quod poenitentia in relapsis sit proprie sacramentum a Christo institutum. Illa enim sensibilis forma: *Ego te absolvo etc.* signum est invisibilis gratiae, qua peccator virtute passionis Domini nostri Iesu Christi consequitur remissionem peccatorum. Sub tegumento illorum verborum Deus
149v operatur in nobis salutem. Ex illis verbis *sanctificate accipimus* | remissionem peccatorum, reconciliationem Deo et vitam aeternam.

Quod vero subiicitur: *nec recte a patribus secundam tabulam post naufragium appellari*, non multum refert, quod adversarii veritatis tropum hunc non recipiant, quandoquidem ex his, quae figurative dicuntur, non sit sumendum argumentum. Fuit tamen sententia Hieronymi, de qua in c. [72] *Secunda tabula* de poenit. dist. 1[6], tanto consensu ab omnibus fere recepta, quod a pluribus usurpetur.

Advertendum tamen[g], si illam admittimus, prout admittere debemus, duplici modo dici posse *secundam tabulam post naufragium:* primo, quod, sicut illi, qui tranquillo navigant mari, prima tabula sustentantur, id est ipsa integra navi, sic mare tempestuosum navigantes naufragium passi alicuius tabulae navis fractae auxilio ad portum salutis vehuntur, quae *secunda* dicitur habita ratione ad primam, non quod secunda sit, imo prima post naufragium. Hanc interpretationem dederunt multi theologorum.—Aliam dedit glossator canonum[7], quod dicitur secunda post naufragium, non quod integra navis sit prima tabula, sed quod naufragium passi ex peccato originali sustentamur et vehimur prima tabula fractae navis, quae est sacramentum baptismi. Ex actuali peccato naufragium passi sumus sustentati secunda tabula, quae est sacra-
150r mentum poenitentiae, | ad portum salutis pervenire.

[a] *loco del.* prima assertio improbanda [b] *del.* [c] *ab auctore postea add.*
[d] *del. eorumque loco supra lin. et in marg. add.:* cum dixit c. [32] *Sacrificium* de cons. dist. 2
[e] *corr. e* quod [f] *del. eorumque loco in marg. add.:* c. [84] *Multi* 1 q. 1 [g] *cod. perg.* quod

[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 299, 22–300, 9. De auctore cf. ibid. 149[a] et Conc. Trid. VI, I 133[4]. *H. Jedin*, Tomm. Campeggio (1483–1564), Münster 1958, 52s. *Idem*, Eine bisher unbek. Denkschrift T. Campeggios, in: Festgabe Jos. Lortz I, Baden-Baden 1958, 405–417. *Idem*, LThK II[2] 910.

[2] Vide Conc. Trid. VII, I 233, 10ss.

[3] C. 32 *Sacrificium* de consecr. dist. 2, § 1 (*Friedberg* I 1324), quae vero non sunt Augustini, sed *Ivonis Carnot.*, Panormia I, c. 130 (*Migne*, PL CLXI 1074 A), *Hugonis de S. Victore*, Summa sententiarum tr. 4, c. 1 (*Migne*, PL CLXXVI 117 B), *Petri Lomb.*, Sent. IV, dist. 1, c. 2, n. 2 (l. c. II[2] 746).

[4] *Augustinus*, De doctrina christ. II c. 3, 4 et III c. 9, 13 (CChr. XXXII 34, 16ss.; 86, 16ss.), non ad verbum.

[5] C. 84 *Multi* C. I qu. 1, § 3 (*Friedberg* I 388), quae vero non sunt Gregorii, sed *Isidori Hispal.*, Etymologiarum VI, c. 19, 39 (rec. *W. M. Lindsay*), qui secutus est *Augustinum*, epist. 55, c. 1, 2 (CSEL XXXIV, II 170, 11–13).

[6] *Friedberg* I 1179. *Hieronymus*, epist. 84, c. 6, 3 (CSEL LV 128, 5); eadem leguntur in epist. 117, c. 3, 2 et epist. 130, c. 9, 2; cf. supra p. 289, 27s. cum adn. 14.

[7] Glossa in c. 72 *Secunda* de poenit. dist. 1: „incurrimus naufragium ex peccato primi hominis, quo sumus morti addicti. Prima tabula est baptismus, ubi purgatur vetus homo... Secunda tabula est poenitentia, qua post baptismum resurgimus. Post baptismum enim lapsi per poenitentiam revocari valent" (Decretum Gratiani, Parisiis 1612, 1853).

Digitized by Google

Nec admittendum, quod dicitur: *baptismum vere esse ipsum sacramentum poenitentiae*, quoniam nec baptismum ipsum Ioannis, qui appellatus est *baptismus poenitentiae*[8], nec ipsam poenitentiam, quae in adultis requiritur ante baptismum iuxta illud Petri Act. 2 [37s.]: *Quid faciemus? Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*, dicere possumus esse sacramentum, quod baptismus ianua sit omnium sacramentorum, nec aliquod ex sacramentis administretur his, qui sunt extra ecclesiam, quales sunt, quicunque baptizati non sunt. Propterea nihil eorum, quae praecedunt baptismum, dici potest sacramentum.

[Articulus] 2[a]

Non esse tres poenitentiae partes, contritionem, confessionem et satisfactionem ...[9]

Non digladiandum puto, an sint partes integrales an [non], quia necessariae sint ad sacramentum poenitentiae, etsi non videatur, quomodo esse possint partes integrales, si eius forma est, quam posuit concilium Florentinum[10]: *Ego te absolvo etc.*, etsi quandoque nulla subsistente satisfactione remissa sunt peccata, cum tanta scilicet est contritio, quod vices confessionis et satisfactionis supplet. |

De contritione 150v

Contritionem et dolorem de commissis peccatis docuit David Ps. 37: *Poculum meum cum fletu miscebam*[11]. *Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*[12]. *Miser factus sum et curvatus usque in finem, tota die contristatus ingrediebar*[13]. *Rugiebam a gemitu cordis mei et gemitus meus a te non est absconditus*[14]. Item Ioel 2 [12s.]: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu et planctu. Scindite corda vestra et non vestimenta vestra.* Esaias 38 [15]: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* De hac locutus est Paulus 2 ad Cor. c. 7 [10]: *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem operatur.* Huc respicit, quod salvator dixit Luc. 5: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*[15].

De confessione

[1.] Ante legem confitebantur patres nostri soli Deo, post legem et Deo et in figura quadam sacerdotibus. Qui enim deliquerat, iubebatur afferre hostiam iuxta qualitatem delicti, Lev. 4 [2ss.], 5 [1ss.] et 6 [2ss.]. *At postquam venit plenitudo temporis*[16] et revelata sunt omnia *scisso templi velo*[17], plenior est | instituta confessio non soli Deo, non sacerdoti per figuram, sed Deo 151r
per contritionem et sacerdoti per peccatorum enumerationem. Quod aperte docuit salvator noster, cum dixit: *Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis etc.*[18] Si enim non pandantur peccata sacerdoti habenti potestatem ligandi et solvendi, habenti potestatem remittendi vel retinendi vel omnes ligandi aut omnes solvendi, aut omnia peccata retinenda vel dimittenda aut sine delectu pro eius arbitrio aliqua retinenda, aliqua dimittenda, alii ligandi, alii solvendi [sunt]. Quod cum minime deceat, opus est, ut sibi revelentur peccata, quae retinenda sunt et quae dimittenda.

2. Illud probare videtur illud Iacobi c. 5 [16]: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (etsi plures asserant id non probari eo dicto, quoniam dixit: *Confitemini alterutrum*) ponendo divinam institutionem, quae praecesserat, cum dictum fuerit[b]: *Quorum remiseritis*, et de his intelligendum, de quibus proxime locutus fuerat, cum dixit: *Inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*[19]. Subiiciens: *Confitemini ergo alterutrum* sicut in simili, si princeps pluribus astantibus mandet aliquid fieri, non censetur omnibus mandare, sed his, ad quorum officium id munus spectat. Non itaque Iacobus locutus est de mutua confessione, qua fate|mur 151v
nos peccatores, ut oretur pro nobis, sed de sacramentali, ut exponit Augustinus lib. De visitatione infirmorum[20] et d. Thomas[21]. Nec interpretandum, quod voluerit omnes audire confessiones, sed ordinate et secundum subiectam materiam.

3. Etsi legum conditores in gravioribus delictis puniunt etiam solam[c] voluntatem, etiam non subsecuto effectu, quando manifestata est aliquibus exterioribus actibus, l. [5] *Si quis non dicam rapere* C. de episcopis et cler. [1, 3]; l. [5] *Quisquis cum militibus* C. ad leg. Iuliam maiest. [9, 8], nuda tamen voluntas, de qua nihil extra appareat, non punitur l. [18] *Cogitationis* ff. de

[a] *cod.* secundo [b] *cod.* fuit [c] *cod.* solum

[8] Marc. 1, 4; Luc. 3, 3; Act. 13, 24.
[9] Vide Conc. Trid. VII, I 233, 14ss.
[10] Decr. pro Armenis c. 5, 4 (*Mansi* XXXI 1058 A. *Denzinger*, Enchiridion[24] n. 1323).
[11] Ps. 101, 10.
[12] Ps. 37, 4.
[13] Ps. 37, 7.
[14] Ps. 37, 9s.
[15] Matth. 5, 4; cf. Luc. 6, 21.
[16] Gal. 4, 4.
[17] Matth. 27, 51; Marc. 15, 38; Luc. 23, 45.
[18] Io. 20, 22s.
[19] Iac. 5, 14.
[20] *Ps.-Augustinus*, De visitatione infirmorum II, c. 4 (*Migne*, PL XL 1154).
[21] Summa th. III, Suppl. qu. 8, art. 1 ad 1.

Digitized by Google

poenis [48, 19][22]. Similiter ecclesia ex auctoritate sibi a Christo data non habet potestatem super homines nisi in ordine ad actus exteriores, ita quod non potest punire secreta cordis peccata, c. [34] *Tua nos* [X] de simonia [V 3]. Homo enim videt quae patent, Deus autem intuetur cor[23]. Ergo ecclesia non potest praecipere, quod quis confiteatur peccata cordis, quae secreta sunt. Ex consequenti, si praecepta est confessio peccatorum secretorum, praeceptum erit divinum et non humanum.

4. Absolvere et remittere peccata quis non potest nisi auctoritate divina iuxta illud: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?*[24] Ergo confessio, qua consequimur absolutionem peccatorum, erit iuris divini. |

152r 5. Sicut adversarii veritatis argumentantur: Si confessio est iuris divini, ostendatur, ubi in sacris litteris est instituta, ita et nos dicamus: Si est iuris humani, ostendatur, quando initium sumpsit, cum de ea meminerint Origenes[25], Cyprianus[26], Basilius[27], Chrysostomus[28] et alii tanquam de re aetate sua observata, quanvis nos institutionem divinam ostendamus ex illis verbis: *Quorum remiseritis etc.*

6. „Quomodo secundum auctoritatem Leonis papae sine *supplicationibus sacerdotum indulgentia nequit obtineri*[29], si sine oris confessione possumus emendari; quis enim supplicabit pro peccato quod nescit? Quomodo secundum Augustinum[30] frustratur *claves ecclesiae*, qui sine arbitrio sacerdotis poenitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentia impetratur? Quomodo secundum Ambrosium ius ligandi et solvendi *solis sacerdotibus* a Domino creditur *esse permissum*[31], si quisquis suo arbitrio [se ipsum] peccando ligat atque post satisfactionem seipsum Deo reconciliat?“ Et habetur in c. [87] *Quis aliquando* de poenit. dist. 1[32].

Quod si dicatur, concesso etiam confessionem institutam per illa verba: *Quorum remiseritis etc.*, non tamen constat nec subsequitur: ergo praecepta, respondemus, quod, cum quisque teneatur propriam salutem quaerere, si non esset praecepta, liceret cuique contemnere bonitatem et gratiam Dei et absque crimine negligere salutem propriam. |

152v Si testimonia quaerimus, habemus Clementem epist. 1, qui testatur hanc esse Petri doctrinam, ut „si forte in alicuius cor vel livor vel infidelitas vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animae suae curam gerit, confiteri haec ei, qui praeest, ut ab ipso verbum Dei et consilium salubre curetur, quo possit fide integra et operibus bonis poenas aeterni ignis effugere et ad perpetuae vitae praemia pervenire“[33], subiiciens: *intrinsecus latens amaritudo peccati abiicienda prorsus* et evomenda[34], ex quibus verbis colligitur eum de occultis peccatis loqui.

Dionysius ad Demophilum meminit moris antiqui prosternendi se ad pedes sacerdotis et confessionis *quaerere remedia peccatorum*[35]. — Tertullianus exigit exomologesin facientes non solum facti sed etiam voluntatis occulta manifestare, ne faciant peccatores, quod committere solent, qui morbum *in verecundis partibus* abscondunt[36]. — Origenes in Ps. 37 inquit: „Vide, quid edoceat nos scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortasse enim sicut qui habent intus inclusam escam indigestam aut humoris[a] vel flegmatis stomacho graviter immanentis[b] [abundantiam], si vomuerint, relevantur, ita hi, qui peccaverunt, |
153r siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a flegmate“[37]. — Cyprianus serm. 5 De lapsis inquit: „Quanvis nullo facinore sint constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesin conscientiae faciunt, animae suae pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt“[38]. Et ex post: „Confiteantur singuli quaeso vos, fratres, delictum suum, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est“[39]. — Basilius in Regula monachorum c. 12 inquit: „Necessarium videtur his, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa

[a] *cod.* humores [b] *cod.* immanentia

[22] Eaedem leges allegantur in c. 6. 9. 14 de poenit. dist. 1.
[23] Cf. Ps. 7, 10; Eccli. 23, 28; Hebr. 4, 12.
[24] Luc. 7, 49.
[25] Vide infra lin. 35ss. cum adn. 37.
[26] Vide infra lin. 40ss. cum adn. 38s.
[27] Vide infra lin. 45ss. cum adn. 40s.
[28] Vide infra p. 303, 6ss. cum adn. 46s.
[29] *Leo I*, ad Theodorum Foroiul. episc. epist. 108, c. 2 (*Migne*, PL LIV 1011 B) = c. 49 *Multiplex* de poenit. dist. 1. *Jaffé*, Reg. 485.
[30] Serm. 392, c. 3 (*Migne*, PL XXXIX 1711) = c. 44 *Agite* de poenit. dist. 1.
[31] *Ambrosius*, De paenitentia I, c. 2, 7 (CSEL LXXIII 122, 33s.) = c. 51 *Verbum Dei* de poenit. dist. 1.
[32] Pars III, § 9–11 (*Friedberg* I 1186s.).
[33] *Ps.-Clemens I*, epist. 1 ad Iacobum Ps.-Isidori, c. 11; vide supra p. 279, 12ss. cum adn. 10.
[34] Ibid. c. 14 (l. c. 35).
[35] *Ps.-Dionysius Areopag.*, epist. 8 ad Demophilum, c. 1 (*Migne*, PG III 1087/88 B. Dionysiaca II 1514s. A).
[36] *Tertullianus*, De paenitentia c. 10, 1 (CChr. I 337, 3ss.).
[37] In Ps. 37 hom. 2, c. 6 (*Migne*, PG XII 1386 A). Cf. supra p. 246, 21ss. cum adn. 67.
[38] De lapsis c. 28 (CChr. III 236, 549–553).
[39] Ibid. c. 29 (l. c. 237, 571–574).

Digitized by Google

est, confitenda esse peccata“[40]. Quod probat ex pluribus locis sacrae scripturae, Matth. 3 [6], Act. 3 [19] et 19 [18][41]. — Cyrillus lib. 3 super Levit. docet *peccatorum remissionem per poenitentiam* obtineri posse, nempe „cum lavat peccator *lachrimis stratum* suum[42] et fiunt ei *lachrimae panes die ac nocte*[43], cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum et quaerere medicinam secundum eum, qui ait[44]: *Dixi: pronunciabo adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti etc.*“[45] — Chrysostomus super Matth. omilia 4: „Confessio peccatorum“, inquit, „est testimonium conscientiae timentis Deum. Qui enim | 153v timet iudicia Dei, peccata sua non erubescit confiteri; qui autem erubescit, non timet. Perfectus enim timor solvit omnem pudorem[a]. Illic enim turpitudo confessionis aspicitur, ubi futuri iudicii poena non creditur. Nunquid nescimus, quia confessio peccatorum habet pudorem, et quia hoc ipsum erubescere poena est gravis? Ideo iubet Deus confiteri peccata nostra, ut verecundiam patiamur pro poena; nam et hoc ipsum pars est iudicii“[46]. — Idem lib. 3 De sacerdotio extollens sacerdotalem dignitatem inquit: Sacerdotibus datum est, ut potestatem habeant, „quam Deus neque angelis neque archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: *Quaecunque alligaveritis etc.*“[47]. Pater enim omnifariam filio potestatem dedit[48]; caeterum video ipsam eandem omnifariam potestatem a filio illis traditam. At[b] potestas ista iudicandi sine praecedente confessione exerceri non potest, cum cognitio et discretio iudicium debeant praecedere. — Hieronymus super Ecclesiasten cap. 10: „Si quem“, inquit, „serpens diabolus occulte momorderit et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est et non egerit poenitentiam nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet | 154r ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat“[49]. — Sozomenus lib. 9 cap. 35 Tripartitae historiae ait: „Quando omnino non peccare divinum et ultra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem et poenitentiam agentibus veniam Deus dari praecepit, qui vero confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt. Propterea visum est antiquis pontificibus, ut veluti in theatro sub testimonio ecclesiastici populi delicta pandantur, et ad hanc causam presbyterum bonae conversationis servantemque secretum ac sapientem virum statuerunt. Ad quem accedentes hi, qui delinquebant, delicta propria fatebantur et ille secundum uniuscuiusque culpam indicebat et mulctam. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus servatur ecclesiis“[50]. Haec Sozomenus, qui de publica confessione minime loquitur, cum sacerdos *servare secretum* teneretur, licet in ecclesia *velut in theatro sub ecclesiastici populi testimonio* peccata soli sacerdoti confiterentur. — Ambrosius in Exhortatione ad poenitentiam[51] monet sanum unumquenque vitare peccata, *quia nescit, si possit ipsam poenitentiam accipere et confiteri Deo et sacerdoti.* — De eo scribit Paulinus in vita sua, quod „quotiescunque illi aliquis | 154v ob percipiendam poenitentiam lapsus suos confitebatur, ita flebat, ut et illum flere compelleret. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino, apud quem intercedebat, loquebatur“[52]. — Augustinus in Ps. 60 ait: „Ergo tristis esto, antequam confitearis. Confessus exulta. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat; adhibet medicus fomenta verborum. Tu agnosce medici manum. Confitere; exeat in confessione et defluat omnis sanies“[53]. — Idem in c. 5 Ioannis tract. 27: „Mortuus in corde tuo tanquam in sepulchro iacebas et tanquam saxo malae consuetudinis gravabaris. Surge et procede et crede et confitere. Quia antequam confiteretur, occultus erat; cum autem confiteretur, procedit de tenebris ad lucem“[54].

Item Chrysostomus in Genesim omilia 19: Peccator „post absurdum facinus obambulat, nullo conscio sustinens intolerabiles poenas illas, et iudex sui ipsius factus et accusator. Iam

[a] *cod.* timorem [b] *cod. perg.* quia

[40] Regula s. Basilii (ex interpretatione *Rufini*), interrogatio 21 (*Luc. Holstenius*, Codex regularum monast. I, Augustae Vind. 1759 [Graz 1957], 80).

[41] Ibid.: „Scriptum est enim in evangelio, quia Ioanni Baptistae confitebantur peccata sua et in Actibus apost. apostolis, a quibus baptizabantur“ (l.c. 80).

[42] Ps. 6, 7. [43] Ps. 41, 4.

[44] Ps. 31, 5.

[45] Non Cyrillus, sed potius *Origenes*, In Leviticum hom. 2, c. 4 (GrChrSchr. 29. Origenes VI 296, 18–22).

[46] *Ps.-Chrysostomus*, Opus imperf. in Matth. hom. 3 (al. hom. 4, *Migne*, PG LVI 650).

[47] De sacerdotio III, c. 5 (*Migne*, PG XLVIII 643).

[48] Matth. 28, 18.

[49] Comment. in Eccl. c. 10, 11 (CChr. LXXII 338, 190–196).

[50] *Cassiodorus-Epiphanius*, Hist. eccl. tripartita IX, c. 35, 2–3 (CSEL LXXI 553, 9–20), quae sumpta sunt e *Sozomeni* Hist. eccl. VII, c. 16, 2–4 (GrChrSchr. 50, 322, 21–323, 5).

[51] *Ps.-Ambrosius*, De poenitentia agenda adhortatio (Operum s. Ambrosii pars III, Basileae ed. per Io. de Amerbach 1492, fol. n 8v), potius *Caesarius Arelatensis*, De paenitentia ex dictis s. Augustini sermo 63, c. 2 (CChr. CIII 273), quae fere ad verbum sumpta sunt ex *Augustini* serm. 393 (*Migne*, PL XXXIX 1714).

[52] Vita Ambrosii auctore *Paulino* c. 39 (*Migne*, PL XIV 43 A–B).

[53] Enarrat. in Ps. 66 (non 60), c. 7 (CChr. XXXIX 864, 14–20).

[54] In Ioannis evang. tract. 22 (non 27), c. 7 (CChr. XXXVI 227, 29–35).

Digitized by Google

qui haec fecit, si voluerit (ut decet) uti conscientiae adiumento et ad confessionem facinorum festinare et medico ostendere ulcus, qui curet et non exprobret, atque ab illo remedia accipere et soli ei loqui nullo alio conscio et omnia | 155r dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit“[55]. — Idem serm. De poenitentia et confessione inquit: „Non sufficit dicere: Peccator sum; sed operae pretium est et speciatim peccatorum et delictorum comminisci“[56]. — Augustinus serm. 30 Ad fratres in heremo inquit: „Dicere solent homines: Deus cuncta novit, omnia videt, omnia ponderat. Quare igitur vult, ut confiteamur hominibus peccata nostra, quae nequiter gessimus? Nunquid est melius cuncta tacere quam ea *praedicare in tectis*[56a]? Vult Deus, quod confiteamur, non quod ignoret peccata nostra, sed ut diabolus audiat, quod confitemur et poenitet nos peccasse. Nec soli Deo sufficit confiteri, sed alterutrum peccata nostra confiteri debemus. Discute mentem tuam; prospice singula secreta cordis; considera, antequam ad confessionem accedas, quod cor appetendo mala peccavit, oculus videndo“[57]. — Idem lib. De vera poenitentia c. 10 inquit: „Quem poenitet, poeniteat et dolorem lachrimis ostendat. Repraesentet vitam suam Deo per sacerdotes, praeveniat iudicium Dei per confessionem. Praecepit enim Dominus mundandis, ut se ostenderent sacerdotibus“[58]. — Idem lib. De visitatione infirmorum cap. 4 inquit: „Sunt quidam, qui sufficere sibi existimant, si soli Deo, cui nihil occultum | 155v est, quem nullius latet conscientia, sua crimina confiteantur. Nolunt enim aut erubescunt seu dedignantur se ostendere sacerdotibus, quos tamen inter lepram et lepram discernere per legislatorem constituit Dominus[59]. Sed nolo, ut decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri Christi vicario, tabescens prae rubore vel cervicosus prae malignitate. Nam ipsius est humiliter subeundum iudicium, quem Dominus suum non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire rogas sacerdotem, et fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem“[60]. Subiiciens hoc *testari sanam doctrinam*, quod *sacerdotis egeamus iudicio*, *qui* inter Deum et nos *mediator sit*[61]. „Alioqui“, inquit, „et sub lege et sub gratia: *Ite et ostendite vos sacerdotibus*[62] responsum divinum quomodo consummaretur? *Confitemini alterutrum peccata vestra*[63], quomodo compleretur illud?“[64] „Ergo sine causa dictum est[65]: *Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo?* Ergo sine causa datae sunt claves ecclesiae Dei? Frustramus evangelium Dei, frustramus verba Christi? Promittimus vobis[a], [quod ille] negat? Nonne vos[b] decipimus?“[66]

Negocium facessit multis factum Nectarii, Constantinopolitani episcopi, qui ob scelus scelerati illius diaconi sustulit presbyterum[67], quem *velut in theatro* constituerant, cui *sub testimonio* | 156r *ecclesiastici populi delicta panderentur*[68]. Pluresque ex eo putarunt sublatam etiam secretam confessionem apud Graecos[69]. — Sed respondemus vidisse aliqua exemplaria, in quibus non extant illa verba: *tenentem secretum*[70]. Et propterea sublatam duntaxat publicam poenitentiam, quod ostendere videtur modus publicae poenitentiae, qui mox explicatur, quem morem dicit a Romanis pontificibus observari[71]. — Secundo dici potest, quod, etsi *velut in theatro sub ecclesiastici populi testimonio* confiterentur secrete, tamen quae confitebantur peccata a sacerdote publicabantur, quod confitens ferebat ex devotionis fervore, et ut magis de peccato erubesceret, et hunc morem sublatum a Nectario. — Tertio dici potest non publicari prius peccata secrete confessa, sed duntaxat iniunctam poenitentiam, quae quanquam tam gravis erat, ut innotesceret omnibus confessum graviter deliquisse, laudabilemque habitam consuetudinem, cum *minora peccata pro pudore confessionis et subtilitate examinantium patrarentur*, ut dixit Sozomenes lib. 9 Tripartitae historiae c. 35[72].

[a] *cod.* nobis [b] *cod.* nos

[55] In Genesim c. 4 hom. 20, c. 3 (*Migne*, PG LIII 170).
[56] Sermo: *Non esse ad gratiam concionandum atque utile esse . . . propria incusare peccata*, c. 5 (*Migne*, PG L 662).
[56a] Cf. Matth. 10, 27; Luc. 12, 3.
[57] *Ps.-Augustinus*, Ad fratres in eremo serm. 30 (*Migne*, PL XL 1288).
[58] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 10, 25 (ibid. 1122).
[59] Deut. 17, 8s.
[60] *Ps.-Augustinus*, De visitatione infirm. II, c. 4 (l. c. 1154).
[61] 1 Tim. 2, 5. [62] Luc. 17, 14. [63] Iac. 5, 16.
[64] *Ps.-Augustinus*, De visitatione ibid. (l. c. 1154s.).
[65] Matth. 18, 18.
[66] *Augustinus*, serm. 392, c. 3 (*Migne*, PL XXXIX 1711).
[67] *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripart. IX, c. 35, 5–6 (l. c. 554, 40–47). Cf. *G. Rauschen*, Eucharistie und Bußsakrament l. c. 133. 147ss.
[68] Vide quae auctor allegavit e *Sozomeno* vel potius ex Hist. tripartita, supra p. 303, 22ss. cum adn. 50.
[69] E. gr. *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 11, n. 22: „Ob id facinus Nectarius... confitendi ritum abrogavit... eodem calculo damnabunt ecclesiam Constantinopolitanam, in qua confitendi morem non ad tempus modo dissimulatum fuisse, sed ad suam usque memoriam obsolevisse affirmat Sozomenus. Imo non Constantinopolitanam, sed orientales omnes ecclesias defectionis reas agant, quae inviolabilem legem et Christianis omnibus mandatam neglexerunt“ (Corp. Ref. XXIX 700s.).
[70] Quae vero verba in editionibus huius aetatis leguntur; vide supra adn. 50.
[71] *Cassiodorus*, Hist. eccl. tripart. IX, c. 35, 5: „Haec ergo antiquitus Romani pontifices usque ad nostrum conservaverunt tempus“ (l. c. 554, 33–36).
[72] Ibid. c. 35, 6 (l. c. 554, 47ss.).

Digitized by Google

Nec ex eo, quod in principio capitis dicitur, quod, *ex quo Novatiani ab ecclesia sunt divisi, [cum] his, qui deliquerant sub persecutionibus imperatoris Decii, communicare nolentes, episcopi pro ecclesiastica regula presbyterum super poenitentes constituerunt*[73], subsequitur tunc primum | initium 156v habuisse confessionem, sed duntaxat, quod tunc primum constituerunt illum presbyterum, qui *velut in theatro* prostaret ad audiendas confessiones, ut omnibus constaret lapsos ad poenitentiam admitti contra Novati sententiam.

Quod autem a Nectario sublatus fuerit ille mos publicandi peccata, non autem ipsa secreta confessio, colligitur ex epistula Leonis [I] 68 universis episcopis per Campaniam, Samnium et Picenum constitutis registrata de poenit. dist. 1 c. [89] *Quanvis* et c. [61] *Sufficit*, cum dixit sufficere reatum conscientiarum solis sacerdotibus indicari confessione secreta, subiiciens: „Quanvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen, quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, qui[a] poenitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis facta reserare, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis"[74]. | Propterea Gregorius, et habetur in c. [2] *Sacerdos*[75] de poenit. dist. 6, statuit depo- 157r nendum sacerdotem, qui revelat confessionem.

Ex his colligitur, quomodo sit interpretandum, quod dixit Chrysostomus in epistolam ad Hebraeos, et habetur in c. [87] *Quis aliquando* de poenit. dist. 1, cum dixit[76]: „Non dico tibi, ut te prodas in publicum neque apud alios te accuses. Sed obedire te volo prophetae dicenti[77]: *Revela ante Deum vitam tuam*", quoniam Chrysostomus, qui immediatus successor fuit Nectarii, approbare voluit prohibitionem illam publicationis peccatorum factam per Nectarium, non autem secretam revelationem, quae in confessione fit sacerdoti. Alias pugnaret cum his, quae alias asseveravit.

Nec obstat, quod dixit: *Revela ante Deum vitam tuam*[77] et quod alias dixerat: „Lavant lachrimae delictum, quod pudor est confiteri"[78], quoniam, quae sacerdoti revelantur, ante Deum, cuius vices gerit et cuius auctoritate impertitur absolutionem, revelari dicuntur.

Hinc est, quod, si episcopus excommunicet scientem et non revelantem, qui commiserit furtum, non tenetur sacerdos revelare, quod in confessione accepit, quia id rescivit non ut homo, sed ut Dei vices gerens, imo *ut Deus* secundum glossam[79] in c. [1] *Qui vult* de poenit. dist. 6, in tantum, quod, si ad iuramentum compelleretur, posset iurare se nihil scire, [X] de off. ord. [I 31] c. [2] *Si sacerdos*[80].

Et quia sacri theologi non multum fidei tribuunt glossatori | canonum, fidem tribuant 157v Tertulliano lib. De poenitentia, cum inquit: „Caeterum inter fratres atque consortes, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus de communi Domino et patre, quid tuos aliud quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere. Condoleat universum et ad remedium collaboret necesse est. In uno et altero ecclesia est, ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua prosternis, Christum contrectas, Christum exoras; aeque illi cum super te lachrimas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat"[81].

Hinc in concilio Carthaginensi III can. 5 habetur: „Placuit, ut, si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum atque ille neget, non putet ad iniuriam suam episcopus pertinere, quod illi soli non creditur, etsi scrupulo propriae conscientiae se

[a] *cod.* quae

[73] Ibid. c. 35, 1 (l. c. 553, 3–7).

[74] *Leo I*, epist. 168 ad episc. Campaniae, c. 2 (*Migne*, PL LIV 1211 A–B) = c. 89 et c. 61 de poenit. dist. 1. *Jaffé*, Reg. 545.

[75] Cap. incertum sub rubr. *Unde Gregorius* (*Friedberg* I 1244); legitur apud *Petrum Lomb.*, Sent. IV, dist. 21, c. 9 (l. c. II 885).

[76] *Io. Chrysostomus*, In epist. ad Hebr. hom. 31, c. 3 (*Migne*, PG LXIII 216), quae leguntur in c. 87 *Quis aliquando* § 1 (*Friedberg* I 1184), unde sumpta allegantur in Confessione August. art. 25, n. 11 (Die Bekenntnisschriften I 99, 14ss.). [77] Ps. 36, 5.

[78] Haec in c. 2 *Lacrimae* et in c. 87 *Quis aliquando* § 1 de poenit. dist. 1 attribuuntur Io. Chrysostomo; re vera sunt *Ambrosii*, Expositio evang. sec. Luc. X, c. 88 (CChr. XIV 371, 848s.).

[79] Potius glossa in c. 2 *Sacerdos* de poenit. dist. 6 in v. *sacerdos:* „Vel dic: ibi scivit ut homo, hic ut Deus, et praeterea iste non conscius nec sciens dici debet" (Decr. Gratiani l. c. 1968).

[80] Glossa in c. 1 *Perniciosum* X de off. iud. ord. I 31, in v. *secundum quod:* „Alii dicunt et melius, quod, licet iudex aliud habeat in conscientia sua..., non debet sequi conscientiam, quia non scit illa tanquam iudex, sed tanquam Deus" (Decretales Gregorii IX, Venetiis 1600, I 284).

[81] *Tertullianus*, De paenitentia c. 10, 4–6 (l. c. 337, 14–24).

Digitized by Google

dixit neganti nolle communicare. Quandiu excommunicato[a] non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis convincere non potest"[82]. Et habetur in c. [3] *Placuit* C. 6[b] q. 2.

158r Ex his subsequitur non carere reprehensione Gratianum, | qui, postquam in pluribus capitulis sanctorum patrum hinc inde testimonia citavit, utrum sola cordis contritione et secreta satisfactione absque oris confessione quisquam possit Deo satisfacere, per totam dist. 1 de poenit. et praecipue in c. [31] *Porro*, in c. [60] *Voluissent* et in c. [87] *Quis aliquando*, nesciens sese de pugnantibus inter se testimoniis extricare in c. [89] *Quanvis* ea[dem] dist. *lectoris iudicio reservavit*, *cui potius adhaerere* voluerit[83].

Similiter non carere reprehensione glossatorem canonum in c. 1 de poenit. dist. 5 et qui eum secuti sunt in c. [12] *Omnis utriusque sexus* [X] de poenit. et remiss. [V 38], cum voluerunt[c] *confessionem institutam ex quadam ecclesiae traditione*, non autem iure divino[84].

Aberrarunt etiam, cum asseruerunt[c] Graecos neque confiteri neque ad confessionem teneri[85], quoniam observant Graeci confessionem, et extant apud eos severissimi canones poenitentiales et plures, qui de ea scripsere[86], licet, quod soli Deo confiteantur, asseruerit etiam Theodorus Cantuariensis archiepiscopus in suo Poenitentiali, ut refert Gratianus in c. finali de poenit. dist. 1[87].

De satisfactione

Dimissa culpa remanere poenam, quae expianda sit, pluribus comprobari potest. Quemadmodum enim vulnerato non sufficit ad salutem spicula de corpore evellere, sed etiam opus est
158v remedia vulneribus adhibere, et sicut aperta | vomica non sufficit exisse crassiorem humorem et saniem, quae dolorem inferebat et ad interitum perduxisset, nisi et reliquiae unguentis purgarentur et consolidaretur vulnus, sic nec sufficit per contritionem apostema maturuisse et per confessionem apertam exisse crassiorem humorem, sed opus est operum satisfactione quod superest purgare. Non quod insufficiens fuerit passio D. N. Iesu Christi, a qua omnia sacramenta vim suam et virtutem recipiunt, cum *ipse factus sit reconciliatio*[88] *pro peccatis nostris*, 1 Io. 2 [2], quia ea deleta est culpa et ablata aeterna poena, nec propterea insufficiens, quod non sustulerit, quod reliquum erat temporalis poenae, quoniam id factum est, quia noluit, non quia non potuit. Noluit autem, quoniam decebat, ut tantae clementiae, tanto muneri aliquid foret ex parte nostri, quo tanti muneris digni redderemur; digni autem, non quod meritum aliquod esset in nobis, sed quia ipse voluit opera nostra pro merito acceptare, ipse voluit passione sua, quod nihil est et inane, meritum facere et pro merito acceptare. Voluntati autem divinae conveniebat, ut iustitia *et veritas obviarent sibi*[89]. Sed quid voluntatis eius rationem exquirimus, cum
159r *incomprehensibilia sint* | *iudicia eius?*[90] Potuisset enim Deus, si voluisset, absque hoc, quod filius carnem susciperet humanam, absque hoc, quod annis 33 nobiscum conversaretur, quod crucis tormentum subiret et alia redemptionis nostrae mysteria impleret, humanum genus redimere. Noluit autem hac sui[c] omnipotentia his mediis omissis nos in gratiam recipere et aeternae vitae indignissimos coelum aperiendo dignos reddere. Acquiescamus igitur et iterum clamemus: *Incomprehensibilia sunt iudicia* tua, Deus.

Praeterea quemadmodum in baptismo, etsi in adultis remittatur tam originale quam actuale peccatum nec tantum culpa, sed omnis etiam poena, remanet tamen corruptio non solum in corpore, quod mortales sumus, quod comminatas aerumnas patimur: *In sudore vultus tui pasceris pane* tuo[91], sed etiam in animo, qui est homo interior, in quo, si perfecta foret novitas, non diceret apostolus 2 Cor. 4[d] [16], quod *de die in diem renovamur*, sic et in sacramento poenitentiae,

[a] *cod. perg.* non communicató [b] *cod.* 5 [c] *cod. sic* [d] *cod.* primo

[82] Conc. Carthaginense XVIII (a. 419), c. 5 (*Mansi* IV 438 B) = Codex canonum eccl. Africanae can. 132–133 (*Bruns* I 195s. CChr. CXLIX 232, 1620–1630) = c. 3 *Placuit* C. 6 qu. 2. Cf. *Hefele–Leclercq* II, I 198. 208.

[83] *Gratiani* dictum ad c. 89 *Quamvis* de poenit. dist. 1 (*Friedberg* I 1189).

[84] Glossa in c. 1 *Consideret* de poenit. dist. 5 ad v. *In paenitentia*: „Alii dicunt, quod [confessio instituta sit] in novo testamento a Iacobo [5, 16] dicente: *Confitemini*... Sed melius dicitur eam institutam fuisse a quadam universalis ecclesiae traditione potius quam ex novi vel veteris testamenti auctoritate" (Decr. Gratiani l. c. 1958). Quae glossa laudatur in Confessione August. art. XXV, n. 12: „Et glossa de poenit. dist. 5 in c. *Consideret* fatetur humani iuris esse confessionem" (l. c. 99, 19ss.).

[85] Cf. quae ex *Io. Calvini* Institutione allegata sunt supra adn. 69.

[86] Praesertim *Io. Zonaras* et *Theod. Balsamon*, Commentaria in canones (*Migne*, PG CXXXVII–CXXXVIII).

[87] C. 90 de poenit. dist. 1 sub rubr.: *Theodorus Cantuar. archiep. ait in Penitenciali suo*, potius conc. Cabillonense (a. 813), c. 33 (MG Conc. II, I 280, 1ss.). Cf. *Burchardi Vormat.* Decretum XIX, c. 145 (*Migne*, PL CXL 1011 A).

[88] Eccli. 44, 17.

[89] Ps. 84, 11.

[90] Rom. 11, 33. [91] Gen. 3, 19.

Digitized by Google

etsi sublata sit culpa et sit remissa aeterna poena, remanent tamen maculae quaedam, reliquiae quaedam purgandae et expiandae.

Si autem quaeratur: cur est, quod in baptismo omnis poena cum culpa remittatur, non sic in sacramento poenitentiae, etsi difficile sit | rationem reddere, tamen forte dici potest id esse, 159v
quoniam in baptismo perfectior sit renovatio iuxta illud apostoli, Rom. 6 [3s.]: *An ignoratis,* fratres, *quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Ex his enim et aliis eiusdem loci verbis colligitur baptismum esse veluti quandam mortis Christi figuram, quod, sicut in morte Christi peccatum mortuum est, ita et in baptismo peccatum nostrum perit per meritum passionis eius. Cum autem ex aqua emergimur, resurrectionem Christi figuramus.

Potest idem comprobari ex loco Matth. 3 [16] et Marc. 1 [10], cum dicitur: *Baptizatus autem Iesus ascendit de aqua et ecce aperti sunt coeli et vidit spiritum Dei descendentem sicut*[a] *columbam et venientem super se.* Ubi Chrysostomus inquit: „Ideo dicitur, quia omnibus renatis aperitur ianua regni coelestis"[92]. Et Beda in eundem locum dicit: „Hoc autem, quod apertos coelos post baptismum vidit, nostri utique gratia factum est, quibus per[b] lavacrum regenerationis ianua panditur regni coelestis, nobis quidem, quibus clausa fuerat in expul|sione primi parentis appo- 160r
sito Cherubim custode cum flammeo gladio"[93], non sibi, qui idem erat in coelo et terra. Per id igitur designatur nullas peccati reliquias remorari baptizatum ab ingressu coeli, quemadmodum et subeuntes martyrium per id, quod legitur in lapidatione Stephani, quod *vidit coelos apertos*[94].

Item de poena remanente post dimissam culpam exempla habemus: Num. 14 [2ss.] de peccato murmurationis populi Israel *contra Moysen et Aaron*, Num. 20[95] de peccato idololatriae adorationis *vituli conflatilis*, de David 2 Reg. 12 [13], qui audierat a Nathan propheta: *Transtulit Dominus peccatum tuum* et tamen post multa adversa passus est persecutionem filii, exilium et alia, de quo in c. [82] *Si peccatum*[96] de poenit. dist. 1 et [2 Reg.] c. 24 [2. 10ss.] de peccato superbiae ob numerationem populi.

Ad faciendam huiusmodi satisfactionem pro poena reatus hortatur Daniel regem Babylonis, Dan. 4 [24]: *Peccata tua elemosinis redime.* Ioannes Baptista praedicavit faciendos *fructus dignos poenitentiae*, Matth. 3 [8]. Quomodo autem fructificare valeamus, docuit Chrysostomus in eum locum, cum dixit: „Fructus poenitentiae [quomodo faciemus]? Si peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti? Incipe iam donare propria"[97], et quae sequuntur. Notus est locus. | Quod prius 160v
docuerat apostolus, Rom. 6 [19]: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem*, quod exposuit Theophilactus de satisfactione, ut scilicet contrariis actibus compensaremus peccata[98]. Pro huiusmodi satisfactione dixit David Ps. 6 [7]: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrimis meis stratum meum rigabo.* Ps. 41 [4]: *Factae sunt mihi lachrimae meae panes die ac nocte.* Ps. 101 [10]: *Cinerem tanquam panem manducabam et poculum meum cum fletu miscebam.*

Quod vero dicitur in eadem assertione: *sed duas tantum, terrores scilicet incussos conscientiis agnito peccato et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum [esse] remissa peccata*[99], inquantum fatentur illos partem esse poenitentiae, aliquid lucis admittunt per rimulam fenestrae, si sane accipiant illos terrores, quod scilicet peccator concussus terrore commissi peccati ob comminatam poenam damnationis perpetuae convertit se ad Deum et cognita eius bonitate, benignitate et clementia concipit spem veniae proponens se de caetero abstinere. Haec enim est interior confessio | et ipsa contritio, quae vere est pars poenitentiae. 161r
Sed inquantum non admittunt oris confessionem et operum satisfactionem, occludunt fenestram ampliori lumini et ambulant in tenebris.

Quod vero ex eo, quod ex *fide, qua quis credit sibi per Christum remissa peccata,* quenquam fore absolutum, excluditur ex verbis Pauli 1 Cor. 4 [4]: *Nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc*

[a] *cod.* super [b] *cod.* post

[92] *Io. Chrysostomus*, In Matthaeum hom. 12, c. 3 (*Migne*, PG LVII 206). Cf. *Ps.-Chrysostomus*, Opus imperf. in Matth. hom. 4 (ibid. LVI 659).
[93] *Beda Venerabilis*, Expositio in evang. Marci 1, 10 (CChr. CXX 443, 252–256).
[94] Act. 7, 56.
[95] Potius Exod. 32, 4; cf. Num. 20, 2s.: *convenerunt adversum Moysen et Aaron et versi in seditionem.*
[96] Sub rubr.: *Item Gregorius = Gregorius I*, Moralium IX, c. 34, 54 (*Migne*, PL LXXV 889 D).
[97] *Io. Chrysostomus*, In Matthaeum hom. 10, c. 6 (l. c. 190).
[98] *Theophylactus*, Expositio in epist. ad Rom. 6, 19 (*Migne*, PG CXXIV 417/18 A).
[99] Art. 2, Conc. Trid. VII, I 233, 15s. Vide Confessionem August., art. XII, n. 3–5 (l. c. 64, 10ss.).

Digitized by Google

iustificatus sum. Et quia hoc pertinet ad articulum certitudinis gratiae alias examinatum[100], non diverto a proposito.

[Articulus 3[a]]

Contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem [peccatorum], non praeparare ad gratiam Dei . . .[1]

Improbatio colligitur ex praemissis.

[Articulus 4[b]]

Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non esse . . .[2]

Confessionem sacramentalem secretam esse iuris divini abunde superius ostensum fuit. Eam in usu fuisse ante Lateranense concilium [IV] ostendunt testimonia sanctorum patrum, qui |
161v ante illud concilium fuerunt.

[Articulus 5[c]]

Enumerationem peccatorum in confessione non esse necessariam ad illorum remissionem, sed liberam . . .[3]

Enumerationem peccatorum fieri debere probant rationes deductae. Quod sit iuris divini confiteri circunstantias, docuit Augustinus lib. De vera poenitentia[4], et habetur in c. [1] *Qui vult* de poenit. dist. 6.

[Articulus 6[d]]

Confessionem omnium peccatorum, quam ecclesia faciendam praecipit, esse impossibilem . . .[5]

Non obligat ecclesia, nisi ad quae meminerit. Traditionem fuisse divinam, non humanam satis supra fuit declaratum, licet tempus praefinitum sit iuris humani, quod dicere non servandum est docere non parendum ecclesiae.

[Articulus 7[e]]

Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse
162r *| peccata confitenti . . .*[6]

Absolutionem fore actum iudicialem probant rationes deductae per Petrum de Palude dist. 17 q. 3, cum inquit[7]: „Sacerdos nisi proprius aut de licentia proprii non potest absolvere vel ligare, c. [12] *Omnis utriusque sexus* [X de poenit. et remiss. V 38]. Et hoc non solum (ut quidam dicunt), quia ipse confitens sacerdoti alieno licentia a proprio non petita ex hoc, quod ipse delinquit; et sic est indispositus et fictus, propter quod sibi absolutio non prodest, sicut ordinatus ab episcopo alieno contra iura licet recipiat characterem, non tamen executionem, quia in ipso sacramento totum impedit sicut et in matrimonio, in quibus per se requiritur actus suscipientis, non sic autem in aliis. Secundum enim istam rationem, si ipse non esset fictus, utpote quia nescivit istud ius vel sciat, sed putavit illum proprium, qui est alienus, ille esset vere absolutus, quod est contra illam decretalem, quod ille non valet eum absolvere vel ligare. Nec distinguit inter scientem et ignorantem, quia error non dat iurisdictionem.

162v Dicendum igitur, quod, sicut in naturalibus ad hoc, quod agens agat | in passum, requiritur, quod dominetur super ipsum et illud subiiciatur ei secundum virtutem, unde actio est, secundum quam in id, quod subiicitur, agere dicitur, ita in politicis nemo potest alium ligare nisi subditum sibi nec absolvere, quia regula iuris est, quod *nemo, qui condemnare non potest, absolvere potest*[8], supple propter defectum iurisdictionis; sicut in naturalibus ad hoc, quod agens corrumpat, requiritur, quod habeat dominium super materiam, sicut ad hoc, quod generet. Quia ergo in isto sacramento confessor absolvit et ligat, inde est, quod oportet ipsum habere iurisdictionem super confitentem. Nam si non esset nisi [sicut] causa sine qua non, non oporteret illum esse subditum“.

[a] *in marg. legitur:* 2ª assertio improbanda
[b] *in marg. legitur:* 3ª assertio improbanda
[c] *in marg. legitur:* 4ª assertio improbanda
[d] *in marg. legitur:* 5ª assertio improbanda
[e] *in marg. legitur:* 6ª assertio improbanda

[100] Sess. VI, decr. de iustificatione c. 9 et 12 et can. 13–14 de iustificat. (Conc. Trid. V 794, 20ss.; 795, 34ss.; 798, 29ss.).
[1] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 3–5.
[2] Vide ibid. 234, 8–10.
[3] Vide ibid. 235, 4–10.
[4] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 10, 25–12, 27 et c. 20, 36 (l. c. 1122s.; 1129s.).
[5] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 3s.
[6] Vide ibid. 236, 7–10.
[7] *Petrus de Palude*, In IV Sent. dist. 17, qu. 3, concl. 2 (Venetiis 1493, 82r).
[8] *Ulpianus*, reg. 37 *Nemo* Dig. de div. reg. iuris 50, 17.

Digitized by Google

[Articulus] 8

Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi, nisi spiritus sancti gratia et charitate sint praediti . . .[9]

Sacramenta esse penes malos ministros, imo penes schismaticos et haereticos docuit Augu-
stinus lib. 3 De baptismo | contra Donatistas, cum dixit: „Non interest, cum de sacramenti 163r
integritate et sanctitate tractatur, quid credat et quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacra-
mentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti rationem nihil interest.
Fieri enim potest, ut integrum homo habeat sacramentum et perversam fidem“[10]. Idem Contra
Cresconium lib. 5 inquit: „Christiana ecclesia caretis, christianam charitatem non habetis.
Christiana sane in vobis sacramenta agnosco“[11]. „Quos baptizavit Iudas, non sunt iterum
baptizati[a]. Quos baptizavit Ioannes, sunt iterum baptizati[a]?“, Augustinus super Ioannem[12], et
habetur in c. [39] *Aliud* de cons. dist. 4. „Baptismus talis est, qualis est is, in cuius potestate
datur“[13]. „Quid tibi facit minister malus, ubi bonus est Dominus?“[14], Augustinus super Ioan-
nem, et habetur in c. [26] *Baptismus*[b] de cons. dist. 4. Donum spiritus sancti in ministro ex-
igitur, non ut sine quo fieri non posset, sed quia sine eo incongrue fit ex parte utentis, quanvis
subiiciens se clavibus effectum clavium consequatur. S. Thomas in IV dist. [18][15]. Augustinus
contra haereticos, et habetur in c. [30] *Si iustus fuerit* [C.] 1 q. 1: „Si iustus fuerit minister, com-
putatur cum Paulo, qui gloriam suam non quaerit dicens: *Ego plantavi etc.*[16] | Qui vero super- 163v
bus fuerit minister, cum Zabulon computabitur, sed non contaminatur donum Christi, quia
per illum purus fluvius transit et venit ad fertilem terram. Scio, quia lapis ex aqua fructum
ferre non potest, sed per lapideos canales transit ad fertiles agros“[17].

[Articulus] 9

Absolutionis ministrum, etiam si contra probibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere coram Deo . . .[18]

Quemadmodum, quando Exod. 18 [21s.] mandatum fuit Moysi, ut *provideret de omni plebe
viros sapientes et Deum timentes, in quibus esset veritas et qui odissent avaritiam, et constitueret ex eis
tribunos et decanos, centuriones et quinquagenarios, qui iudicarent populum omni tempore; quicquid autem
maius foret, referretur* ad Moysen perinde ut maiorem, et ipsi minora *tantum iudicarent*, sic Roma-
nus pontifex et episcopi absolutionem in maioribus delictis sibi reservarunt. Quod etiam optima
ratione factum est, ne scilicet populus nimis facili proposita remissione proclivior ad peccata
reddatur graviora, ut maiori erubescentia, quae pars est poenitentiae, crimina detegantur, ut, |
quae graviora sunt et maiori indigent examine, ad magis peritum et maioris auctoritatis anti- 164r
stitem deferantur, sicut in gravioribus morbis peritiores adhibemus medicos.

[Articulus 11]

Optimam poenitentiam esse novam vitam poenisque temporalibus a Deo inflictis minime satisfieri . . .[19]

Error huius assertionis colligitur ex Augustino ad Felicianum: „Omnis, qui suae voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum[c] veteris vitae poeniteat, novam inchoare non potest“[20], et habetur in c. [81] *Tres sunt* de poenit. dist. 1.

[Articulus 12]

Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et vero cultu Dei atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes . . .[21]

Ex his, quae dicta sunt, colligi potest assertionis huius confutatio. Hoc enim agunt adver-
sarii, ut detestentur bona opera et satisfactiones. Et dum dicunt his *obscurari beneficium mortis
Christi*, sub humilitatis specie | venenum propinant melle circunlitum et, ut illi omnia tribuunt, 164v
quod nec nos negamus, segnes homines reddunt et desides ad bona opera et nimium fidentes
et oscitantes, quasi nihil ex parte nostri exigatur omniaque pendeant ex gratia simusque tan-

[a] *cod.* baptizandi [b] *cod.* Aliud [c] *cod.* etiam

[9] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 14ss.

[10] *Augustinus*, De baptismo III, c. 14, 19 (CSEL LI 208, 24–29).

[11] *Idem*, Contra Cresconium II, c. 10, 12 (CSEL LII 370, 23s.).

[12] *Idem*, In Ioannis evang. tract. 5, c. 18 (CChr. XXXVI 51, 25–27).

[13] Ibid. tract. 5, c. 6 (l. c. 43, 8s.).

[14] Ibid. tract. 5, c. 11 (l. c. 46, 11, 8).

[15] *Thomas Aqu.*, In IV Sent., dist. 18, qu. 1 art. 3, sol. 4; dist. 19, qu. 1, art. 2, sol. 2 ad 3 et 4.

[16] 1 Cor. 3, 6.

[17] *Augustinus*, In Ioannis evang. tract. 5, c. 15 (l. c. 49, 15, 20ss.); auctor secutus est tenorem verborum c. 30 C. 1 qu. 1.

[18] Vide Conc. Trid. VII, I 237, 6–8.

[19] Vide ibid. 238, 1–3.

[20] *Augustinus*, serm. 351, c. 2 (*Migne*, PL XXXIX 1537) = c. 81 de poenit. dist. 1.

[21] Vide Conc. Trid. VII, I 238, 7–10.

Digitized by Google

quam stipites aut plantae seu veluti vasa aenea et marmorea ad recipiendum solum deputata. Sed et de his supra diximus, de quibus locus proprius fuit, cum de iustificatione actum fuit[22]. |

165r

De extrema unctione

[Articulus 1]

Extremam unctionem non esse sacramentum novae legis a Christo institutum ...[1]

Iac. 5 [14s.]: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus et, si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Marc. 6 [13]: Apostoli *ungebant oleo multos aegros et sanabantur*, etsi de presbyteris et sacerdotibus nullam fecerit mentionem, quoniam adhuc non erant instituti sacerdotes. Et quod dictum fuit a Marco, declaratum fuit a Iacobo et insimul iungenda, sicut de confessione diximus[2]. Dionysius designat eam cap. 7 De eccl. hierarchia[3]. Augustinus lib. 2 De visitatione infirmorum docet infirmum debere confiteri, communicare et unctionem sumere[4]. Idem De rectitudine catholicae conversationis dicit: „Qui aegrotat, in sola Dei misericordia confidat et eucharistiam cum fide et devotione accipiat oleumque benedictum fideliter ab ecclesia petat, unde corpus suum ungatur"[5]. Innocentius I epistola ad Decentium episcopum Eugubinum c. 8
165v asserit istam unctionem oleo per episcopum benedicto fore *genus sacramenti*[6]. | Sicut plures immersiones sunt unum baptismi sacramentum, ita plures unctiones unum constituunt sacramentum. Unctio extrema ordinatur ad remissionem peccatorum, unctio vero catecumenorum ad sacramentum baptismi nec potest esse sacramentum, quia nihil praecedens baptismum potest esse sacramentum et catecumeni adhuc sint[a] extra ecclesiam.

[Articulus] 2

Unctionem extremam non conferre gratiam nec remissionem peccatorum ...[7]

Sicut in baptismo missio spiritus sancti in forma visibili, quae tamen expost cessavit, nec tamen cessavit effectus et gratia illius, sic, etsi *gratia curationum*[8] cessaverit nec comitetur sacramentum extremae unctionis, non propterea cessat gratia sacramenti, cum maxime distinctae sint gratiae, *gratiae curationum*[8] et *gratiae sanitatum*[9]; alias sine una alia conferri non posset. Nec semper in primitiva ecclesia hanc sanctam unctionem comitabatur aegri sanitas. At etiam dici potest *alleviari* infirmos ex eo, quod ex sacramenti susceptione aegri fortiores redduntur ad resistendum diabolo, qui forte ex peccatorum gravitate suggerit desperationem, ut auferat
166r spem divinae misericordiae et proinde allevietur infirmus spe | veniae nec tantum terreatur imminentis mortis expectatione, quo terrore et timore saepius aggravantur morbi.

[Articulus] 4

Extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotes ...[10]

Laici non possunt esse ministri huius sacramenti, quia per hoc fit remissio peccatorum, quod ad laicos non pertinet. Item oratio, quae fit in hoc sacramento, *non fit a sacerdote* nomine proprio, „quia, cum sit aliquando peccator, non esset exaudibilis. Sed fit in persona totius ecclesiae, in cuius persona potest orare quasi publica persona"[11] et *mediator* inter Deum et homines[12], „non autem laicus"[11], s. Thomas. — Quod si dicatur: *verbum* et *elementum* conficiunt *sacramentum* iuxta illud Augustini[13], et habetur in c. [54] *Detrahe* [C.] 1 qu. 1, sed oleum consecratum potest per laicum administrari, respondetur, quod illud verum est in sacramentis, quae possunt per quencunque administrari, non in omnibus; alias eucharistia confici posset per laicos. Non quisque senior administrabit hoc sacramentum, sed *presbyteri ecclesiae*, quos praecepit apostolus Tito *constitui per civitates*[14] et de quibus dixerat 1 Tim. 5 [17]: *Qui bene praesunt* |
166v *presbiteri, duplici honore digni* sunt et Act. 14 [22]: *Cum constituissent illis per singulas ecclesias presbiteros.*

[a] *cod. sic*

[22] Cf. episcopi Feltrensis vota de iustificatione diebus 6. Iul. et 17. Aug. 1546 data, Conc. Trid. V 297 44ss.; 412, 36ss.

[1] Vide Conc. Trid. VII, I 239, 4s.

[2] Vide supra p. 301, 33ss.

[3] *Ps.-Dionysius Areopag.*, De eccl. hierarchia VII, c. 3, 8 (*Migne*, PG III 565/66 A), ubi vero de fusione olei super defunctos agitur, non autem de unctione infirmis danda.

[4] *Ps.-Augustinus*, De visitatione infirm. II, c. 4 (l. c. 1154).

[5] *Ps.-Augustinus*, De rectitudine cath. conversationis c. 5 (*Migne*, PL XL 1173).

[6] Ad Decentium epist. 25, c. 8, 11 (*Migne*, PL XX 561 A). *Jaffé*, Reg. 311.

[7] Cf. Conc. Trid. VII, I 239, 9–11.

[8] 1 Cor. 12, 28. 30. [9] 1 Cor. 12, 9.

[10] Vide Conc. Trid. VII, I 240, 6–8.

[11] *Thomas Aqu.*, Summa th. III, Suppl. qu. 31, art. 1 ad 1. [12] Cf. 1 Tim. 2, 5.

[13] In Ioannis evang. tract. 80, c. 3 (l. c. 529, 5s.).

[14] Tit. 1, 5.

Digitized by Google

II.

Christophorus Metzler, episcopus Constantiensis
Sententia super articulis poenitentiae et extremae unctionis[1]

[Tridenti, die 13. Novembris 1551]

Caroliruhae, Arch. rei publ. gener., *Abt. 82, n. 454,* 102r–104v *(autogr.)*

A. [Forma prior ante congregationem generalem concepta[2]] Caroliruhae 82, 454 102r

Ill^me^ D. legate apostolice, R^mi^ DD. presidentes cetterique[a] Patres amplissimi.

Brevibus, quo potero, dico et assero omnes et singulos articulos tam super sacramento penitenciae quam sacramento extreme unctionis positos eo modo et sensu, quibus positi sunt, fore et esse temerarios et seditiosos, erroneos et plasphemos[a]. Quod etsi per doctissimorum theologorum sententias, tum censuras P^tatum^ VV. plus satis iam probatum sit, attamen, ut et ipse fidem meam in his omnibus quoque faciam, dicam breviter infra, quid sentiam.

Et quantum ad primum articulum: *Penitentiam non esse a Christo institutam nec illam proprie esse sacramentum aut secundam tabulam post naufragium recte appellari* posse etc.[3]

Et in primis dico, quod penitentia a Christo instituta sit, probari hoc modo. Nam Christus predicare incipiens dixit: *Penitemini et credite evangelio*, Marc. 1 [15]. Item Christus discipulos suos in universum mundum mittens illis iniunxit, ut *in nomine* Iesu *penitentiam in remissionem peccatorum predicarent*, Luc. 24 [47].

Quod autem penitentia sit sacramentum, probatur etiam hoc modo. Nam in illo sacramento adest forma visibilis, ut Math. 8 [4]: *Vade et ostende te sacerdoti* et Math. 3 [8]: *Agite dignos fructus penitentie etc.* Ecce ibi signum quoddam manifestum et actum quendam exteriorem formamque visibilem.

Preterea in isto sacramento penitentie adest invisibilis gratia, quod quidem probatur Math. 3 [2]: *Penitentiam agite* et *appropinquabit* vobis *regnum celorum* et Apoc. Iohannis 3 [20]: *Ecce sto ad ostium et pulso. Et si quis aperuerit, intrabo ad illum et cenabo cum eo etc.* Ecce ibi per promissionem Christi invisibilis gratia adest, ut notatur ex illis verbis: *Appropinquabit enim* vobis *regnum celorum* et ibi: *Intrabo ad eum et cenabo cum illo etc.* | Unde non immerito b. Ieronimus 102v post baptismum penitentiam *secundam tabulam post naufragium* appellare cepit[4], utpote per illam a peccatis nostris resurgamus, ut habetur in c. [72] *Secunda* de poen. dist. 1[5].

Ad secundum et tertium articulos, quibus habetur *non tres, sed tantum duas esse partes penitentiales etc.*[6]

Ad illos articulos respondeo, quod tota catholica tenet ecclesia tres partes esse penitentie, a qua vero est temere recedendum, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem.

Contritio enim probatur per illud Davidis Ps. 50 [3. 19], ubi dicitur: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* et ibi: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*, et iuxta illud [Ioel 2, 12]: *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

Confessio vero probatur per apostolum Iacobum c. 5 [16]: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, et probatur Act. apostolorum 19 [18] ibi: *Confitentes et annuntiantes actus suos*, et Paulus ad Rom. 10 [10]: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Confessio est de iure divino. Attamen modi et forme confitendi sunt de iure humano et positivo, utpote quod de tempore quadragesime[7] et flectendo genua depositoque pyreto confiteri etc.

Satisfactio quoque probatur per illud Apoc. Iohannis 18 [7] ibi: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuerit, tantum date illi tormentum et luctum*, et Deut. 25 [2]: *Pro mensura delicti erit plagarum modus.*

[a] *cod. sic*

[1] Massarellus in Actis de hac sententia paucis tantum verbis rettulit, Conc. Trid. VII, I 316, 27s. Auctor, qui paulo ante diem 20. Oct. 1551 Tridentum venerat (Conc. Trid. XI 676, 6), congregationi theologorum die 24. Oct. primum aderat, Conc. Trid. VII, I 265, 9s. De eo cf. ibid. 316, adn. 14.

[2] Haec sententiae forma ad congregationem relata non est, cuius loco Christophorus episcopus forma brevissima inter congregationem patrum usus est, quam vide infra sub litt. B, p. 314, 1ss. cum adn. a.

[3] Cf. Conc. Trid. VII, I 233, 10ss.

[4] *Hieronymus*, epist. 84, 6; 117, 3; 130, 9 (CSEL LV 128, 5; 425, 14; LVI 189, 4s.).

[5] *Friedberg* I 1179 ex *Hieronymi* epist. 84, 6 (l. c. 128, 5–8).

[6] Conc. Trid. VII, I 233, 14s.

[7] *Albertus de Castello OP.*, Liber sacerdotalis: „Omnes ... tenentur confiteri semel in anno, id est in quadragesima" (Venetiis 1523, 44r).

Digitized by Google

Ad quartum articulum: *Confessionem sacramentalem secretam non esse iuris divini nec* illam secretam *apud antiquos fuisse etc.*[8]

Ad illum articulum breviter dico, quod usus secrete confessionis [fuit] longe ante concilium Lateranense, quod quidem concilium anno 1210 celebratum fuit, sicuti per doctissimos theologos hactenus sufficienter probatum extitit[9]. Preterea per adversarios non potest aliquod certum tempus aut etiam aliqua constitutio legalis vel humana allegari vel probari, ubi nam coepta esset talis confessio secreta, unde necessario inferri potest et debet, quod ille usus secrete con-
103r fesionis[a] referendus est ad constitutionem Christi per apostolos suos ecclesie | sue traditam,
et sic per traditionem usque in hunc diem viguisse.

Quod vero talis confessio secreta apud antiquos patres fuerit, constabit et probatur, quod fuerit temporibus Clementis[10] papae[b] primi martiris et Tertulliani[11] ac Ieronimi[12], tum aliorum antiquissimorum patrum, prout per doctissimorum theologorum allegationes satis superque auditum et probatum est.

Ad quintum et sextum articulos: *Enumerationem omnium peccatorum, nec etiam* eorumdem *circumstantias confiteri necessarium sit etc.*[13]

Ad quos quidem articulos ita respondendum esse arbitror. Nam certum est, quod poenitentia medicinalis sit atque nullum simile idem sit; verum singuli morbi singulos vel singulares expostulant medicinas. Necessario tum infertur, quod penitens *peccata sua omnia* et singula (de quibus saltem memoriam habet) enarrare habet et debet[14], ut a sacerdote tanquam iudice debita et exquisita medicina hisce morbis et peccatis adhiberi possit, quia in comperto est, quam magna sit distantia inter lepram et lepram et inter lepram et non lepram etc.[15]

Preterea cum circumstantie peccata aggravant et nonnumquam immutant peccata, rationi consonum est, ut iudex sacerdos inter peccatum et peccatum secernere et arbitrari possit, quod qualitates et circumstantie peccatorum exprimantur, ut habetur in c. [1] *Consideret* de penit. dist. 5[16].

Ad septimum articulum: *Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi etc.*[17]

Ad quod breviter respondetur, quod per illud Io. 20 [23]: *Quorumcumque peccata remiseritis etc.* Christus apostolis et sacerdotibus ac eorundem successoribus id ipsum ligare vel solvere commiserit et consequenter etiam ipsis quandam iurisdictionem sive potestatem in iudicando et arbitrando, quando omnia aut singula peccata solvenda vel liganda fuerint aut debeant, pariter commisit et delegavit. Et ita senserunt sancti patres plures atque communis usus et consuetudo ecclesie suffragatur.

Ad octavum articulum: Non solum sacerdotibus verum *omnibus potestas ligandi et solvendi* data sit.[18]

Ad quem quidem octavum articulum breviter respondeo, quod in veteri testamento sacer-
103v dotium et administratio ministeri|orum et sacrificiorum solum primogenitis ut Gen. 4 [3s.],
postea vero nonnisi levitarum generi, Gen. 14 [18] et Exodi 28 [41–43] et Lev. 8 [2–31] et 9 [8ss.], ac tandem adveniente lege gratie ipsis apostolis et presbyteris et eorum successoribus hoc ministerium commissum est, quia *translato sacerdotio*, scilicet de Moise in Christum et de Christo in Petrum, *necesse est legis translationem fieri*, Paulus ad Hebr. 7 [12] et 8 [6ss.] et c. [3] *Translato*[19] [X] de constit. [I 2] in antiquis. Unde satis et clare colligitur, quod administratio sacerdotii et sic clavium nonnisi certis et deputatis et non omnibus hominibus concessa fuit et est, quem modum, usum et consuetudinem Romana et catholica universalis ecclesia usque in hodiernam diem observat et tenet, quae merito hac in re pro lege habebitur.

Ad nonum articulum: *Casuum reservationem non impedire sacerdotis absolutionem etc.*[20]

Breviter respondeo, quod limitata causa limitatum habet effectum, quia nemo potest dare, quod non habet. Cum itaque ut plurimum simplices presbyteri vero, recto et elaborato discretionis iudicio careant, non immerito aliqui casus, utpote graviores, reservari ad examen pastoris

[a] *cod. sic* [b] *cod.* pappe

[8] Conc. Trid. l. c. 234, 8s.
[9] Cf. votum Iac. Lainez (20. Oct.), ibid. 243, 33ss.
[10] *Ps.-Clemens I*, epist. Ps.-Isidor. 1, c. 11; vide supra p. 279, 26ss. cum adn. 10.
[11] *Tertullianus*, De paenitentia c. 10, 1; vide supra p. 302, 33ss. cum adn. 36.
[12] *Hieronymus*, Comment. in Ecclesiasten c. 10, 11; vide supra p. 303, 18ss. cum adn. 49.
[13] Conc. Trid. l. c. 235, 4s. 8s.; 236, 3.
[14] Cf. c. 12 *Omnis utriusque* de poenit. et remiss. V 38 (*Friedberg* II 887).
[15] Cf. *Hieronymus*, Comment. in Matheum c. 16, 19 (CChr. LXXVII 142, 91ss.).
[16] *Ps.-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia c. 14, 29 (*Migne*, PL XL 1124). *Friedberg* I 1238.
[17] Conc. Trid. l. c. 236, 7s.
[18] Ibid. 236, 14s. [19] *Friedberg* II 8.
[20] Conc. Trid. l. c. 237, 7s.

Digitized by Google

possunt, quemadmodum in primitiva ecclesia mos fuit, quod gravitas culpae et magnitudo criminis ad *seniores*[21], id est presbyteros, ⌈penes quos potestas iurisdictionis, non ordinis tantum erat⌉[a], referebantur.

⌈Paulus nonnullos excommunicavit, id est *sathane* dedit, et absolutionem sibi reservavit 1 Cor. 5 [5] et 1 Thim. 1 [20]. Iam Moises nonnullos casus reservavit maioribus iudicibus, Deut. 17 [8ss.] et 2 Par. 29 [20ss.]⌉[a].

Ad decimum articulum: *Penam et culpam simul remitti etc.*[22]

Respondeo cum communi observantia sancte matris ecclesie, quod de quolibet peccato mortali duo reatus nascantur, scilicet culpe et pene. Reatus culpe per contritionem deletur, pene vero reatus per contritionem et confessionem quoad hoc, ut pena non sit eterna, sed temporalis delebitur, ut habemus exempla in Adam et Eva, qui transgrediendo divinum preceptum peccaverunt et tamen procul dubio de hoc penituerunt. Unde pena, que alioquin erat eterna, comutata[b] est in temporalem. Nam Deus[c] Ade dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*[23]. Eve vero dixit: *In dolore paries filios tuos etc.*[24] Simile exemplum habetur in Davide, ubi | de- 104r
lictum et peccatum patris in filio punitum fuit. Nam dixit propheta: *Filius tuus morietur etc.*[25] Et habetur etiam Io. 20 [22s.] ibi: *Accipite spiritum sanctum* et: *Quorum remiseritis etc.*, quia D. N. Iesus Christus eque *dominus ultionum*[26] ac *pater misericordiarum*[27] est. Rigor etiam divine iustitie vult, quod *nullum malum impunitum* sit, sicuti etiam *nullum bonum irremuneratum* maneat[28].

Ultimos duos undecimum et duodecimum articulos eo modo et sensu, quibus positi sunt, dico esse temerarios et erroneos, et ideo ab ecclesia damnandos esse per DD. theologos et P^tates VV. sufficienter deductum et probatum est.

De extrema unctione

De articulis et sacramento extreme unctionis

Quod hoc *sacramentum non* sit *a Christo institutum* etc.[29]

Quod autem sacramentum hoc extreme unctionis sit a Christo institutum, probabitur hoc modo. Nam Christus mittens discipulos suos *in universum mundum*[30] *dedit illis* commissionem et *potestatem eiiciendi demones*, *sanare egrotos*[31], *mundare leprosos* etc., ut habetur Math. 10 [8], Marc. 3 [15] et Luc. 9 [1s.]. Unde nihil verisimilius quoque est, quam quod Christus hoc sacramentum extreme unctionis illis pariter commiserit, quia credendum aliter non est, quam quod discipuli Christi aliud quicquam predicaverint, egerint et dixerint, quam quod Christus, eorum magister, ipsis iniunxerit vel eos iusserit, ne *discipulus sit super magistrum* etc.[32]

⌈Si enim Christus promisit apud ecclesiam permanere *usque ad consummationem seculi etc.*[33], merito potuit ecclesia et hoc sacrum concilium modum et formam nobis prescribere, quibus debeamus uti illo sacramento extreme unctionis, etiamsi s. Iacobus[34] hanc in sua canonica non promulgasset⌉[a].

Quod vero extrema unctio sit sacramentum, probabitur, quia ibi adest visibilis forma, scilicet *oleum ab episcopo consecratum*[35]. Adest preterea verbum, scilicet: *In nomine patris et filii etc.*[36] Adest insuper | invisibilis gratia, ibi: *et oratio fidei salvabit infirmum etc.*[34] 104v

Adstipulatur ad hoc illud Marc. 6 [13]: *Ungebant egrotos multos oleo et sanabant*. Preterea hoc sacramentum unctionis extreme promulgavit apostolus Iacobus c. 5 [14]: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesie*, *ut orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*. Proinde habemus hoc per traditionem apostolorum et sanctorum patrum, quorum communis usus et generalis consuetudo pro constitutione ecclesie haberi possit.

Causas et rationes fidei mei ut supra paratus fui R^mo et Illmo D. legato Crescentio aut eius secretario sive cancellario, si petyerit, offerre etc. et presentare.

[a] *in marg. add.* [b] *cod. sic* [c] *cod.* Christus

[21] Cf. Act. 11, 30; 14, 22; 15, 6.
[22] Conc. Trid. l. c. 237, 11s.
[23] Gen. 3, 19.
[24] Gen. 3, 16.
[25] 2 Reg. 12, 14.
[26] Ps. 93, 1.
[27] 2 Cor. 1, 3.
[28] *Ps.-Augustinus*, Ad fratres in eremo serm. 44 (*Migne*, PL XL 1321). *Thomas Aqu.*, In IV Sent. dist. 15, qu. 1, art. 3, quc. 4, 1.
[29] De extr. unct. art. 1, Conc. Trid. VII, I 239, 4.
[30] Marc. 16, 15.
[31] Marc. 6, 13.
[32] Matth. 10, 24; Luc. 6, 40.
[33] Matth. 28, 20.
[34] Iac. 5, 14s.
[35] Cf. conc. Florentinum, decr. pro Armenis 5, 5 (*Denzinger*, Enchiridion[34] n. 1324). *Albertus de Castello:* „Materia huius sacramenti est oleum olivarum ... ab episcopo prius sanctificatum et benedictum" (l. c. 114v).
[36] Ibid.: „Sacerdos intincto pollice in oleo sancto dicat absolute: *In nomine patris et filii et spiritus sancti exstinguatur ...*" (l. c. 116v).

Digitized by Google

B. [Forma in ipsa congregatione generali dicta[a]]

Rmi legati et Rmi ac Amplissimi Patres.

Articuli super utroque sacramento tam poenitentiae quam etiam extremae unctionis sunt per doctissimorum [theologorum] sententias, tum Ptatum VV. censuras usque adeo et ad amussim disputati, examinati et discussi, ut non video[b], quid illis superaddi et adimi possit. Nam etsi prolixioribus verbis forsitan sententiam meam explicarem[37], tamen nihil, quod antea non dictum aut etiam decies non repetitum fuisset, denuo adducerem. Ne igitur Dtionibus VV. Rmis fastidiosus sim, breviter, quid sentiam, aperiam. Nam dico omnes et singulos articulos eo modo et sensu, quibus positi sunt, partim esse temerarios et seditiosos, partim erroneos et hereticos, et ideo eosdem ab ecclesia fore et esse damnandos, et hoc causis, rationibus et allegationibus per Illustrem et magnificum D. oratorem[38] Regiae Mtis nudiustertius deductis, quibus omnibus et singulis me subscribo. Et nihilominus me et dictos articulos censurae et determinationi huius sacrosanctae synodi subicio et submitto. — Hec volui dixisse.

12.

Christophorus Patavinus, generalis ordinis Eremitarum s. Augustini Sententia super articulis de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis[1]

Tridenti, die 14. Novembris 1551[c]

Romae, Bibl. Angelica, *cod. lat. 425*, 31r–47v *(copia coaeva)*

Bibl. Angelica 425 31r

[Super articulis de sacramento poenitentiae]

Articulus primus

Poenitentiam non esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum a Christo institutum . . .[2]

Articulus iste tres habet partes: prima, quod poenitentia non sit sacramentum; secunda, quod non recte *secunda tabula* appelletur; tertia, quod sacramentum baptismi est sacramentum poenitentiae.

Prima pars. Si sanctorum patrum testimoniis, si antiquitatis consuetudini sanctorumque generalium conciliorum decretis standum sit et qui contra concilia in his, quae ad fidem pertinent, non credant, haeresim incurrant, profecto haec prima huius articuli pars haeretica est, quae Florentino concilio[3] adversatur. Est enim veluti maxima propositio et ab omnibus theologis concessa, quod generalia concilia in his, quae ad fidem pertinent, errare non possunt, licet Augustinus Contra Donatistas lib. 2, c. 2 et 9 aperte dicat concilia provincialia a generalibus solere reprehendi, generalia vero *priora* a *posterioribus emendari*[4], quod non intelligitur, quod contrarium posteriora dicant. Sed inquit eodem in loco Augustinus: Dum quod claris-
31v simum est *aperitur*, aut quod intus latet, *agnoscitur*[5]. ⌜Si quae⌝[d] | vere concilia generalia posteriora inveniuntur, quae[e] contrarium prioribus conciliis in his, quae ad fidem pertinent, determinent, dicendum illa concilia non legitime congregata fuisse. Dicas ut b. Augustinus Contra Maximinum lib. 3 c. 14 de Ariminensi concilio, quod determinavit *homousion* in divinis non posse inveniri, cuius tamen contrarium Nicenum generale concilium decreverat[f]. Sed inquit

[a] *in marg. auctor haec adn.:* Hec viva voce in conspectu totius congregationis retuli, praesertim Maguntino et Coloniensi [archiepiscopis] praesentibus, hec 13. Novembris anno 51 [b] *cod. sic*
[c] *in cod. f. 30v hic antepositus est titulus:* Eiusdem Rmi patris generalis votum de poenitentia. Item de extrema unctione in eodem concilio dictum [d] *cod.* signa [e] *cod.* inveniunturque [f] *cod.* decernerat

[37] Videlicet in forma priore supra sub litt. A.
[38] Videlicet per Paulum episcopum Zagrabiensem die 6. Nov., Conc. Trid. VII, I 295, 1ss.; cf. supra p. 288–299.
[1] Excerpta ex hac sententia Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 320, 39–321, 28. De auctore cf. supra p. 204, adn. 1.
[2] Vide Conc. Trid. l. c. 233, 10ss.
[3] *Eugenii IV* decr. pro Armenis (*Mansi* XXXI 1057 E. *Denzinger* l. c. n. 1323).
[4] De baptismo II, c. 3, 4 et c. 9, 14 (CSEL LI 178, 24s.; 190, 18s.).
[5] Ibid. II, c. 3, 4: „aperitur quod clausum erat et cognoscitur quod latebat" (l. c. 178, 26).

Digitized by Google

ibi Augustinus[6]: illud Ariminense concilium *sub imperatore Constantino heretico multis paucorum*[a] *fraude receptis* congregatum. Ideo veritate agnita ad Niceni concilii veritatem pervenerunt.

Ex definitione sacramenti probari potest poenitentiam esse sacramentum; est enim *signum sensibile*[7], quia ibi confessio, absolutio etc. Hac eadem ratione probarent ipsi heretici, si quis inter illos [negaret], baptismum esse sacramentum.

Omnes deinde aliae particulae huius articuli ex hac prima sequuntur[b], videlicet quod sit *ad reconciliationem pro relapsis* et quod *a Christo* fuerit *institutum*. Ab eodem enim sacramenta sunt instituta, a quo efficaciam habent. Igitur solum a Christo sunt instituta. Propterea ecclesia nulla potest sacramenta instituere. Etiam sequitur, ut *recte a patribus secunda tabula appelletur*[8], quia, si septem sunt sacramenta, igitur non est prima, sed secunda, quoniam duo sacramenta. Iccirco illi heretici *non* | *recte secundam tabulam appellari* volunt, quia illam non proprie sacra- 32r mentum esse volunt.

Ultima itaque pars falsa est, apparens scilicet *baptismum esse sacramentum poenitentiae*. Stultissimum quidem hoc videtur et inintelligibile: a pari circuncisio, alia omnia *sacramenta*[c] dici tunc temporis debuissent. Postmodum baptismus est contra originale peccatum per se loquendo, poenitentia vero contra actuale mortale. Igitur non sunt idem. Item baptismus est tam ratione utentium quam puerorum, poenitentia vero solum libero arbitrio. Igitur non sunt idem.

Secundus articulus

Non esse tres partes poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem . . .[9]

Articulus hic pariter haereticus videtur cum superiori, cum concilio Florentino repugnet expresse *tres partes* poenitentiae ponenti ac statuenti[10].

De contritione nemini dubium est. Haec enim semper necessaria fuit; imo haec sola poenitentia alias dicebatur, prout poenitentia virtus est, quamvis contritio non sit virtus, sed poenitentiae virtutis actus. Non tamen ab origine proposi|tum confitendi erat. Ipsa tamen 32v contritio poenitentiae, ut sacramentum [est], pars esse potest integralis, quamvis concilium Florentinum non explicet, nisi quod sunt partes *quasi materia*[10]. Nec obstat, quod contritio sit insensibilis et sacramentum sensibile, quia dicunt aliqui, quod non refert alicuius rei sensibilis partem aliquam esse insensibilem. Nam homo est quid sensibile; tamen anima eius est quid insensibile. Sed licet hoc apparentiam habeat, tamen non satisfacit, quia, licet alicuius rei naturalis forma possit esse insensibilis, nunquam tamen invenietur, quod materia sit insensibilis et forma sensibilis, imo res sunt per materiam sensibiles et per formam intelligibiles. Cum igitur contritio sit materia vel *quasi materia* poenitentiae, quomodo insensibilis esse poterit? Iccirco dicerem, quod materia propinqua semper est sensibilis, sed non materia remota. Nam materia prima est insensibilis. Sic contritio est quasi materia remota; peccatorum autem confessio est materia proxima[d]; sic est sensibilis.

Quare autem haec tria *tres poenitentiae partes* dicantur? Aliqui dicunt, quia necessario ad poenitentiam requiruntur. Sed hec est frivola ratio; non enim omne, quod necessario ad aliquid requiritur, est eius pars. Nam visio ad fruitionem necessario requiritur, non tamen est eius pars. Posset dici, quod hoc ideo est, quia haec necessario requi|runtur et cum hoc quodlibet istorum 33r est poena quaedam. Nam contritio est poenalis, quia dolor; confessio est poenalis, quia erubescit turpia facta ac cogitata narrando; satisfactio etiam est poenalis.

Confessio etiam est pars poenitentiae secunda. Confessio publica vel secreta utraque est sacramentalis. Sed unde habetur, quod confessio sit pars poenitentiae sacramentalis? Potest dici, quod ex dicto Io. 20 [23]: *Quorum remiseritis peccata etc.* Deducitur nanque ex illa auctoritate, quia satis fuit Christo medium ostendere, quo omnes opus habent. Alioquin, ait Augustinus hom. 49, si aliter remitti peccata post baptismum possunt, frustra *sunt claves datae ecclesiae. Frustramus*, inquit, *evangelium*, *frustramus verbum Dei. Promittimus vobis, quod ille negat*[11]. Quid clarius dici potest ab Augustino? Videas etiam hom. 50[12] clarissime. Vide hom. 27 expresse de confessione sacerdoti facienda[13]. Et Origenes hom. 2 super Ps. 37[14].

[a] *cod.* Francorum [b] *cod.* sequitur [c] *cod.* sacrificia [d] *cod.* prossima

[6] Contra Maximinum II, c. 14, 3 (*Migne*, PL XLII 772). De concilio Ariminensi (a. 359) cf. *Hefele-Leclercq* I, II 929–955. *D. Girgensohn*, LThK VIII² 1314.

[7] *Augustinus*, De civitate Dei X, c. 5 (CChr. XLVII 277, 15s.). *Idem*, Contra adversarium legis II, c. 9, 34 (*Migne*, PL XLII 658). *Petrus Lomb.*, Sent. IV, dist. 1, c. 2 (Ad Cl. Aquas II² 745s.).

[8] Vide supra p. 289, 27s. cum adn. 12–14.

[9] Vide Conc. Trid. VII, I 233, 14ss.

[10] Decr. pro Armenis (l. c. 1057 E. *Denzinger* l. c. n. 1323).

[11] *Augustinus*, serm. 392 (olim hom. 49 inter Homilias 50), c. 3 (*Migne*, PL XXXIX 1711).

[12] Serm. 351 (olim hom. 50 ibid.), c. 4, 7 (l. c. 1542).

[13] Serm. 352 (olim hom. 27 ibid.), c. 3, 8 (l.c. 1558).

[14] In Ps. 37 hom. 2, c. 6; vide supra p. 302, 35ss. cum adn. 37.

Digitized by Google

Quod autem *terrores incussi*, similiter *et fides concepta ex evangelio, qua credit [quis] sibi remissa peccata*, non sint partes poenitentiae, clarissimum est. Primum de terroribus, quia terror directe non respicit peccata, sed poenam. Etiam terror tollit iudicium. Desperationem potius inducit, 33v quam veniam inducat obtinendam. Plus est enim timor quam terror. Terror ponit | hominem extra se, sicut ecstasis est gaudium et raptus vehementissimus in Deum. Sic poenitentiae pars esse non potest. Etiam terror non stat cum remissione peccati, quia qui terretur inquietam conscientiam habet. Cui autem dimissa sunt peccata, pacem habet iuxta[a] illud: *Vade in pace*[15]. *Noli amplius peccare*[16]. Et Paulus in suarum epistolarum exordiis ait: *Gratia vobis et pax*[17]. Est etiam doctrina nova, quae suspecta esse debet. De quibus dicit apostolus: *Doctrinis variis et peregrinis nolite etc.*[18]

Fides etiam non est pars poenitentiae neque ullius sacramenti, sed est id, sine quo nulla prosunt sacramenta. Omnia enim sacramenta fidem, ut prosint, praesupponunt. Neque enim pro materia aut forma sacramentorum assignari potest. Nam materia est elementum, forma autem sunt verba iuxta illud Augustini: „Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum"[19].

De satisfactione infra dicetur[19a], quae est tertia pars poenitentiae.

Tertius articulus

Contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem[b] *et detestationem peccatorum, non praeparare ad gratiam Dei* . . .[20] |

34r Prima pars huius articuli manifeste falsa apparet. Timor enim servilis ad gratiam praeparat. Imo sunt verba Augustini expresse super primam canonicam Ioannis[21], de quo secundum ipsum illud Davidis intelligitur: *Initium sapientiae timor Domini*[22]. Salomon etiam in Prov. [15, 27; 16, 6] ait: *Timore Domini declinamus a malo.* Etiam Deus frustra hunc timorem nobis incuteret, si non prodesset. *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Timete autem eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*[23]. Et multa alia similia Christi dicta.

Et ex hoc ruit et destruitur secunda pars huius articuli, videlicet quod *non remittat peccata*, saltim dispositive. Similiter aliae particulae falsae sunt, videlicet quod *faciat hominem hipocritam et magis peccatorem.* Alioquin Deus, qui hunc timorem incutit, hipocrisis minister erit. Etiam Deo auctore nemo fit deterior. Cum igitur timor hic servilis ex hoc oriatur, scilicet ex fide, qua Deum vindicem peccatorum credimus, et cum nos ipsos peccatores esse agnoscamus, iccirco timemus. Effectus autem doni Dei, scilicet fidei, per se non facit hipocritam nec magis peccatorem, sed dona Dei ad utilitatem semper a Deo donantur. Per accidens autem ex malo usu non est inconveniens, sicut etiam Paulus poterat ex donis et *revelationibus* vane *extolli*, nisi 34v *angelus sathanae colaphizasset* eum[24]. | Sic etiam inquit apostolus: *Bona est lex, si quis ea legitime utatur*[25]. Tamen ea male uti possumus; sed nobis male utentibus imputandum est, non Deo. Sic timor servilis per se bonum operatur, per accidens autem malum.

Si dicas: Quicquid est sine charitate, ut Lutherus dicit[26], nihil est, 1 ad [Cor.[c]] 13 [1ss.], respondetur, quod non dicit apostolus: Talia dona, fides, scientia et alia nihil sunt, sed dicit: *Nihil sum*[27], quoniam, etsi illa magna sunt Dei munera, ad salutem tamen sine charitate non valent, ita, ut ego dico, de timore illo servili, quandiu est sine charitate, ad salutem *non prodest*[28], id est non sufficit salvare, licet disponat. Si quis tamen ante susceptam a Deo charitatem moreretur, non esset in statu salutis. Tamen timor ille est aliquod bonum, sicut etiam fides informis est donum spiritus[29].

Alia etiam particula falsa est, videlicet *dolorem* illum de peccatis metu poenae conceptum *coactum esse*, non voluntarium. Si intelligat simpliciter coactum, falsum dicit; si autem dicat sic esse coactum, sicut actus voluntatis illius, qui sic maxima et periculosa tempestate merces in mare proiicit, conceditur, quod est coactus. Sed hoc non tollit, quin etiam sit liber, et habet

[a] *cod.* iusta [b] *cod.* collationem [c] *in cod. patet lacuna*

[15] Marc. 5, 34; Luc. 7, 50; 8, 48.
[16] Io. 8, 11.
[17] Rom. 1, 7; 1 Cor. 1, 3 etc.
[18] Hebr. 13, 9.
[19] In Ioann. evang. tract. 80, c. 3 (CChr. XXXVI 529, 5s.). [19a] Vide infra p. 322, 8s.
[20] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 3ss.
[21] In epist. 1 Ioannis ad Parthos tract. 9, c. 4: „Timor quasi locum praeparat charitati" (*Migne*, PL XXXV 2047).
[22] Eccli. 1, 16.
[23] Matth. 10, 28.
[24] 2 Cor. 12, 7. [25] 1 Tim. 1, 8.
[26] *M. Luther*, Assertio omnium articulorum per bullam Leonis X damnatorum, art. 6: „nemo negabit contritionem quantumlibet magnam, nisi fiat amore iustitiae et . . . in charitate Dei, non est vera, sed simulata. Omnia enim, quae extra charitatem fiunt, nihil, vana et falsa sunt, ut 1 Cor. 13 [1ss.] docet Paulus" (WA VII 114, 4–7).
[27] 1 Cor. 13, 2.
[28] 1 Cor. 13, 3.
[29] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. II, II, qu. 4, art. 4; qu. 19, art. 5 ad 1.

Digitized by Google

magis de voluntario quam de involuntario. Alioquin non proiiceret, quamvis iudicio meo videatur congruentius talis dolor dici violentus aut necessarius quam coactus. Violentia autem et necessitas stat | cum libertate. Beati namque necessario Deum diligunt, tamen libere et magis [35r] secundum Augustinum in Enchiridio c. [28, 105] libere[30], quam si non diligant, sed etiam odire possent. Etiam si aliquis homo post lapsum sit omni Dei gratia et praeveniente et subsequente destitutus, necessario ille peccabit, tamen libere. Nonne, inquit Augustinus[31], libere peccat, quem peccare delectat?

Quartus articulus

Confessionem sacramentalem secretam iuris divini non esse . . .[32]

Hic articulus est difficilis. Videtur communiter teneri, quod confessio publica vel secreta hoc disiunctum est de iure divino. Neutra tamen pars divisive est de iure divino, quod probatur ut supra articulo 2 ex Ioanne [20, 23]. Quaelibet nanque illarum est sacramentalis et qualibet usa est ecclesia. Tempore Clementis publice confitebantur[33] et tempore Origenis[34] et multa constant exempla. Et hoc maximae erat humilitatis et maximi fervoris. Neque hoc est contra charitatem, ut aliqui dicunt, et contra ius naturae, ut aliquis se ipsum diffamet secreta peccata publicando. Dico, quod nul|la est diffamatio sui, sed maxima edificatio ecclesiae. Caeteri nanque [35v] peccatores tantam illius peccatoris humilitatem videndo et dolorem ac compunctionem commoventur ad poenitentiam etiam ipsi. Diffamaret quis se ipsum, si ioco sua crimina panderet alios ad illa eadem facinora provocando. Iob dicebat: *Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea etc.*[35] Posset ergo quis confiteri coram tota ecclesia praesente sacerdote et postmodum absolvi ab eodem. Nec secrete confiteri tenetur, quod tamen teneretur, si secreta confessio esset de iure divino.

Nota, quod confessio secreta est de iure divino ex parte confessoris et iure naturae et de iure positivo. De iure naturae clarum est. Si non tenenda[a] essent secreta aliqua proximi, esset confessio in politia humana et cives inter se diffidentes redderentur. Dicit Salomon: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana amici*[36]. Contra ius positivum, quia lex canonica poenam statuit contra revelantes confessionem[37]. Contra ius divinum, quoniam est contra rationem iuramenti; quicquid enim est impeditivum sacramenti, est contra ius divinum. Modo, si posset impune revelari confessio, nemo confiteretur peccata. Potest tamen confessor de licentia confitentis revelare aliqua, quando subest honesta causa, et sine alicuius preiudicio non nominan|do personam[38]. [36r] Si diceres: Non potest dare hanc sententiam, si contra ius divinum est et contra ius positivum, dicas, quod non est contra ius divinum in tali casu, quando dat licentiam secundum illas duas conditiones. Et certe, ut quidam dicunt theologi, in illo casu, quando datur licentia, videtur id confessor quasi extra confessionem habere. In aliis casibus non potest revelare, *immo potest iurare se nihil scire* coram iudice[39]. Sunt tamen aliqui, qui tenent contrarium, quod[b], sive detur licentia sive non, sive sit[c] in confessione sive extra, modo id sciat etiam in confessione, non potest revelare, quia dicunt, multi mali sacerdotes panderent confessionem dicentes se id scire extra confessionem, non tantum in confessione, et sic scandala orirentur. Sed haec ratio pauci est momenti, quoniam hoc non sequitur per se ex hoc, quod supra dictum est, sed ex malitia confessoris. Imo superior opinio videtur probabilior, quia, nisi posset revelare confessor sciendo aliquid etiam extra confessionem, hoc cederet in favorem pudentis, quoniam multi, quorum crimina pluribus sacerdotibus nota sunt, illis sua confiterentur peccata, ne illos accusare possent.

Quod etiam dicit secretae confessionis ante Lateranense concilium non factam fuisse mentionem, sed tantum publicae, falsum est. Colligitur ex Origene hom. 2 [in] Ps. 37[40]. Verum ecclesia sanxerat[d] super hoc. |

[a] *cod. iter.* tenenda [b] *cod.* qui [c] *cod.* sint [d] *cod.* xanserat

[30] Enchiridion c. 28, 105: „Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato" (CChr. XLVI 106, 16s.).

[31] Contra duas epistolas Pelagianorum I, c. 2, 5: „liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per ipsum peccent, maxime omnes, qui cum delectatione peccant" (CSEL LX 426, 4–6).

[32] Vide Conc. Trid. VII, I 234, 8s.

[33] *Ps.-Clemens I*, epist. 1 Ps.-Isidor., c. 11 (*Hinschius*, Decretales 33); vide supra p. 279, 12ss. cum adn. 10.

[34] In Ps. 37 hom. 2, c. 6; vide supra p. 246, 21ss. cum adn. 67; 302, 35ss. cum adn. 37.

[35] Iob 31, 33 secundum interpretationem Augustini, serm. 392, c. 3 (l. c. 1711).

[36] Prov. 11, 13.

[37] C. 12 *Omnis utriusque* X de poenit. et remiss. V 38.

[38] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, Suppl. qu. 11, art. 4. *I. B. Sägmüller*, Lehrbuch d. kath. Kirchenrechts II³ 52.

[39] *Thomas de Vio*, card. *Caietanus*, Summula de peccatis, s. voce *confessor*: „imo potest iurare se nihil scire, si de alicuius peccato, quod in confessione tantum scit, interrogatur" (Lugduni 1539, 43v).

[40] Vide supra adn. 34.

Digitized by Google

36v Quintus articulus

Enumerationem omnium peccatorum in confessione non esse necessariam ad illorum remissionem . . .[41]

Hic articulus multas habet partes, quae omnes haereticae videntur.

Prima pars videtur heretica, quod *enumeratio peccatorum* non requiratur. Si enim tantum in genere confitenda essent peccata, cum actus absolventis sit iudicialis, aeque iudicium et sententiam in magis peccatorem et minus peccatorem ferret, cum non posset discernere ex generali tantum confessione, quis eorum magis peccasset. Hoc autem absurdum est, quoniam *secundum mensuram delicti* esse debet *plagarum modus*[a42].

Praeterea coram Deo non sufficit unum confiteri et non aliud. Confessio nanque coram Deo nihil aliud esse videtur quam dolor de peccatis cum spe veniae. Sed coram Deo non suf-
37r ficit dolere et conteri de uno sine alio. Alioquin, si de aliquo | non displiceret se Deum offendisse, veniam de illo non assequeretur; igitur nec de aliis. Sicut enim, ait b. Iacobus [2, 10], *offenderit in uno, factus est omnium reus*, ita, cui unum non dimittitur, nec alia dimittuntur. Et quia confessio coram Deo ordinatur ad sacramentalem confessionem, igitur et sacerdoti omnia pandenda sunt peccata. Legimus etiam in sacris litteris, cum aliqui reprehensi sunt a Deo quoad eorum peccata in specie, peccata tecta sunt et circumstantiae, ut patet de Nathan, quando ab ipso reprehensus est David rex[43]. Etiam in veteri lege diversa erant sacrificia pro diversis in genere et specie peccatis, pro malitia, pro ignorantia et sic de singulis[44]. Igitur et a fortiori nostro tempore magis dearticulate peccata dicenda et confitenda sunt. Etiam non minor cura est adhibenda in infirmitate spirituali quam corporali; sed in infirmitate corporali omnes infirmitates detegendae sunt medico; igitur et spirituales, quae animam occidunt. Etiam Adam in specie peccata confessus est[45].

Sic patet multas huius articuli partes ex consequenti esse falsas. Quod autem dicit *non omnia* et maxime *[contra duo] ultima decalogi [praecepta] non esse confitenda*, quoniam *nihil divinae misericordiae ignoscendum*[b] *relinqueretur*, imo magis divinae misericordiae ignoscendum relinquitur,
37v cum | suam miseriam Deo ostendit atque explicat. Augustinus in Ps. [94] dicit: *[Laus*[c]*] ignoscentis est exaggeratio confitentis*[46]. Si quis autem secundum hanc falsam opinionem divinae misericordiae peccata dimittere ac relinquere oportuisset, David sic fecisset. Tamen psalmographus ille ubique et semper clamat pro homicidio et adulterio[47], tot lachrimas et gemitus quotidie se habere testatur[48].

Et *circumstantiae* etiam confitendae, quae mutant peccati speciem. Propterea et Dominus venditionem animalium in templo redarguit et tales eiecit de templo[49], qui suam avaritiam in templo exercebant[d].

Ultima etiam particula est erronea, quod *non liceat peccata venialia confiteri*, quia, licet non sit necessarium ea confiteri, quia in alia vita remitti possunt secundum Augustinum in Enchiridio c. 71[50], tamen dicere ea non licere confiteri est error, quia idem est dictu, quod malum sit ea confiteri. Quod enim non licet, est malum, sicut et Ioannes Baptista Herodi dicebat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*[51], quasi diceret: Non licet, id est male agis etc. Melius facit, qui confitetur ea. Omittens tamen non peccat, sicut de consiliis servandis dicendum foret iuxta illud Pauli [1] Chor. [7, 25ss.]. Si tamen contra praedicta dicatur, quod confessio, si sit de iure divino, est satis gravis, Deus autem liberavit per Christum ab onere legis, ut Augusti-
38r nus | ad Ianuarium epist. 118 c. 1[52], dicas, quod quoad ceremonialia nos liberavit, sed a moralibus non. Ideo ea magis perstrinxit Matth. 5[53]. Et ratio est, quia lex Christi est perfectior.

Sextus articulus

Confessionem omnium peccatorum, quam ecclesia praecipit faciendam, esse impossibilem . . .[54]

Hic articulus falsus et erroneus est. Imaginatur haec opinio unum falsum, quod videlicet ecclesia omnium absolute peccatorum confessionem faciendam [praescribat]. Recte id impossibile foret, maxime quoad cogitationis peccata, quae millies iterantur in dies et infinita quasi

[a] *cod.* nodus [b] *cod.* cognoscendum [c] *in cod. patet lacuna* [d] *cod.* exercebatur

[41] Vide Conc. Trid. VII, I 235, 4ss.
[42] Deut. 25, 2.
[43] 2 Reg. 12, 7–14.
[44] Cf. Lev. 4, 2ss. 22ss.; 5, 1ss.; 6, 2ss.
[45] Gen. 3, 12.
[46] Enarrat. in Ps. 94, c. 4: „Tanto enim maior laus est ignoscentis, quanto maior exaggeratio est peccata confitentis" (CChr. XXXIX 1333, 40s.).
[47] Ps. 49, 18.
[48] Ps. 6, 7; 30, 11; 37, 9s.; 41, 4; 79, 6; 101, 6; 114, 8.
[49] Cf. Matth. 21, 12; Marc. 11, 15; Io. 2, 14ss.
[50] Potius Enchiridion c. 29, 110 (CChr. XLVI 108, 5ss.).
[51] Matth. 14, 4; Marc. 6, 18.
[52] Ad inquisitiones Ianuarii I = epist. 54, c. 1: „Iesum Christum . . . leni iugo suo nos subdidisse et sarcinae levi" (CSEL XXXIV, II 159, 6s.).
[53] Matth. 5, 17ss. 22. 28. 32ss.
[54] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 3s.

Digitized by Google

sunt, quae memoria teneri certe impossibile est. Facta tamen sunt pauciora et rariora, quoniam impedimenta sunt multa, ne malae cogitationes executioni mandentur. Sed intentio ecclesiae est pia et sancta et rationalis. Non enim *sponsa* Christi ecclesia[55], quae spiritu Christi regitur, aliquid inordinatum facit nec fieri mandaret. Sed ea *omnia peccata confiteri* praecipit[56], quae praemissa diligenti moderatione memoriae occurrunt. Haec autem omnia possibilia sunt. Sacra etiam scriptura impossibilia mandaret, si litteram tantum spectare vellemus. |

Secunda etiam pars falsa est, videlicet quod *[confessio] omnium peccatorum*, quae memoriae 38v
occurrunt, *traditio sit humana*. Imo divina traditio est et institutio. Deducitur namque haec ipsa confessio ex illa Ioannis sententia c. 20 [23] secundum antiquos expositores, videlicet: *Quorum remiseritis peccata etc.*

Quod autem [in] tertia dicunt *non esse confitendum tempore quadragesimae*, si intelligunt, quod malum sit confiteri tempore quadragesimae, falsum est et erroneum; omni enim tempore licet bene facere. Si autem intelligunt, quod non sit confitendum tempore quadragesimae propter statutum papae, etiam hoc est falsum, quoniam licet praepositis in his, quae edificant ecclesiam, obtemperare, quamvis de tempore quadragesimae non sit ecclesiasticum statutum de confitendo. Caput nanque illud *Omnis utriusque sexus* non mandat confiteri in quadragesima, sed *semel in anno*[57]. Si quis nanque esset sine peccato mortali, posset in paschate absque confessione eucharistiam percipere.

Patet istos indoctos et instabiles, qui studio contradicendi sensum divinarum scripturarum amiserunt, iniquo animo et furore quodam mentis agitatos manifeste adversari veritati et sanctae ecclesiae consuetudini universali stare nolle. Qua de re Paulus apostolus 1 Chor. 11 [16] *consuetudini* ecclesiae Dei stare nolentes redarguit | tanquam viros *contentiosos* et in omnibus 39r
divinarum scripturarum auctoritatem querentes, quod fieri nequaquam potest, cum multa ex sola apostolica traditione sine scriptu[ra], ut supra Augustinus ait[58], servet ecclesia.

Articulus septimus

Absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed [nudum] ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti ...[59]

Hic articulus quantum ad omnes eius partes haereticus esse videtur. Nam quod absolutio non sit *actus iudicialis*, error est. Nam qui poenas secundum qualitatem criminis iniungere habet, iuditium habere videtur. Sacerdos autem inferre poenitenti poenam, taxare habet et satisfactionem iniungere, quod ad iudicium pertinet et iudicem. Etiam sacerdotes veteris testamenti iudicialem potestatem habebant[60]. Igitur et isti. Preterea dato, quod illi tantum ministerium habuissent, non sic de sacerdotibus novi testamenti. Talis enim comparatio sacerdotis ad sacerdotem, qualis est legis ad legem et sacramenti ad sacramentum. Sed lex nova est *ministratio spiritus*, illa | *mortis*[61]. Illa sacramenta gratiam non conferebant, haec autem dant salutem, ita a pari 39v
maioris virtutis debent esse sacerdotes novi testamenti quam veteris. Per consequens non *nudum* tantum *ministerium* habebant *declarandi esse remissa peccata*, sed etiam remittent iuxta illud Ioannis c. 20 [23]: *Quorum remiseritis peccata etc.*, licet Magister Sententiarum fuerit illius opinionis[62], quae quidem opinio aliquam probabilitatem habere potest, quia accedens pro absolutione ad sacerdotem iam contritus [est] per se loquendo, et sic per contritionem peccata iam sunt remissa iuxta illud: *Dixi: Confitebor etc. Et tu remisisti impietatem peccati mei*[63]. Igitur sacerdos non absolvit, sed declarat esse absolutum. Ideo dicunt aliqui theologi, quod tantum absolvit in foro ecclesiae, non Dei. Sed oppositum communiter tenetur, quod vere absolvit et, si iam est absolutus, hoc est virtute clavium in voto. Et effectualiter absolvit, quantum est de se potestas sacerdotis, si quis attritus accedit, facit de attrito contritum[64].

Alia pars etiam est erronea, quod, si quis absolutus [est], non *credat se esse absolutum*. Potest nanque hoc temere credere et falsa opinione decipi, sicut neque sacerdos etiam, etsi absolutionis verba dicat, non semper absolvit. Ideo, inquit Augustinus De doctrina christiana[65], Christus | dixit: *Quaecunque solveritis etc.*[66], non: Quaecunque credetis solvere, iniustam solu- 40r

[55] Cf. Apoc. 21, 2.

[56] C. *Omnis utriusque*; vide supra adn. 37.

[57] *Friedberg* II 887.

[58] Ad inquisitiones Ianuarii I, c. 1: „illa autem, quae non scripta, sed tradita custodimus, ... datur intelligi vel ab ipsis apostolis vel plenariis conciliis ... commendata atque statuta retineri" (l. c. 159, 15–18).

[59] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 7ss.

[60] Cf. Lev. 13, 2. 9. 15; 27, 8. 12. 18 etc.

[61] Cf. Rom. 8, 2; 2 Cor. 3, 7s.

[62] *Petrus Lomb.*, Sent. IV, dist. 18, c. 6, n. 186: „Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem ligandi et solvendi, id est ostendendi homines ligatos vel solutos" (l. c. 862). Cf. *P. Schanz*, Die Lehre von d. hl. Sacramenten, l. c. 525.

[63] Ps. 31, 5.

[64] Cf. *Thomas Aqu.*, Summa th. III, qu. 85, art. 5. Suppl. qu. 1, art. 3. *P. Schanz* l. c. 526s. 529.

[65] De doctrina christ. I, c. 18, 17: „Has igitur claves dedit ecclesiae suae ..., scil. ut, quisquis in ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur" (CChr. XXXII 15, 1–4).

[66] Matth. 18, 18.

Digitized by Google

tionem vel ligationem disrumpit iustitia. Dicit Augustinus De verbis Domini 16: Ideo dicit ibi: „Vide autem, ut iuste alliges, quia iniusta vincula disrumpit iustitia"[67]. Ita in proposito stat aliquem falso se credere esse absolutum, vel non erit absolutus. Hoc enim non pertinet ad fidem absolvendorum, quod credant[a] se absolutos, sed quod, [cum] digne servaverint, quae iubet Deus, et sacramenta susceperint, erunt absoluti. Paulus enim dicebat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*[68].

Multo peius dicitur in hoc articulo, cum dicitur, quod etiam erit absolutus, si *sacerdos non serio, sed ioco absolvat.* Ubi enim quis solo ioco formam absolutionis dicit super aliquem, cum non intendat quod ecclesia facit et ipse facere, sed solum iocari, planum est nihil inde facere. Potest tamen aliquis devote accedens hanc ipsius iocantis intentionem ignorans a Deo absolutus recedere, non tamen ille sacramentalem consequitur absolutionem; supplet enim Deus ministro [ecclesiae[b]] et maxime, ubi invincibilis ignorantia esse potest. *Multi* enim, inquit Augustinus[69], *foris sunt* quoad ecclesiam, qui *intus sunt* quoad Deum et e contra. |

Octavus articulus

40v *Sacerdotes non habent potestatem ligandi atque solvendi, nisi spiritus sancti gratia sint praediti et charitate ...*[70]

Hic articulus haereticus videtur quoad omnes eius partes. Nam communiter tenetur et alias decretum fuit[71] tam bonos quam malos sacerdotes sacramenta ministrare posse, ex quo dantur in virtute Christi et ab illo esse cognoscuntur[c]. Ideo et in ecclesia et ab his, qui sunt extra ecclesiam, dari possunt, licet non prosint nisi in ecclesia.

Tantum difficultas videtur de isto sacramento poenitentiae, an a malo dari possit, quia forma huius sacramenti annexa videtur necessario effectui huius sacramenti. Nemo enim videtur absolutus, nisi sint sibi peccata remissa, qui est effectus huius sacramenti. Remissionem autem peccati malus dare [non] potest, ut expresse Augustinus Contra Donatistas lib. 3 c. 18 inquit[72], quod per columbam tantum remittuntur peccata, quae non est nisi in bonis, et quod 41r *foeneratoribus* et avaris *non diceret Dominus: Quorum remiseritis,* | *remittuntur eis.* Et similiter lib. 5 c. 21; clare dicit enim in his locis: *Gratiam* solum *Deus per se ipsum aut per bonos dat*[73]. Epist. c. 7 et 6[74] idem dicit expresse. Hom. [23[b]] movet hanc questionem in forma: Si homines, inquit, non dimittunt peccata, cur dixit hominibus Christus: *Quorum remiseritis etc.?* Et tandem se resolvendo ait, quod nisi habendo spiritum sanctum peccata dimittunt[75]. Aliqui tamen solvunt et dicunt Augustinum non absolute negasse malos peccata dimittere posse, sed quod aut intelligit virtute et merito ipsorum ministrorum non remitti peccata aut quod mali non dimittunt quoad [vim clavium[b]] et digne. Sed certe longe hoc est ab intentione Augustini. Et ista opinio est Ioannis de Turrecremata De ecclesia tractando[76], quae videtur non esse de mente Augustini. Credo tamen digne accedenti ad sacramentum poenitentiae sive aliud semper gratiam [con-

[a] *cod.* creadatur [b] *in cod. patet lacuna* [c] *cod.* cognoscunt

[67] *Augustinus*, serm. 82 (olim De verbis Domini 16), c. 4, 7 (*Migne*, PL XXXVIII 509).

[68] 1 Cor. 4, 4.

[69] De baptismo V, c. 27, 38: „in illa ineffabili praescientia Dei multi, qui foris videntur, intus sunt et multi, qui intus videntur, foris sunt" (CSEL LI 295, 12–14). Cf. ibid. IV, c. 3, 4 (l. c. 225, 13ss.).

[70] Vide Conc. Trid. VII, I 236, 14ss.

[71] Sess. VII (3. Mart. 1547), de sacram. in genere can. 12 (Conc. Trid. V 995, 34ss.).

[72] De baptismo III, c. 18, 23: „remissam tamen peccatorum non dabant, quae per orationes sanctorum, id est per columbae gemitus, datur... Non enim raptoribus et faeneratoribus diceret Dominus [Io. 20, 23]: *si cui dimiseritis peccata, dimittentur* illi" (l. c. 215, 27ss.).

[73] Ibid. V, c. 21, 29: „quapropter sacramentum gratiae dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam non nisi per se ipsum vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per se ipsum facit vel per illius columbae membra, quibus ait: *si cui dimiseritis, dimittentur*" (l. c. 287, 21–25).

[74] Nescio an intelligenda sit epist. 185 (De correctione Donatistarum liber), c. 9, 40 et c. 11, 49 (CSEL LVII 35, 8ss.; 43, 1ss.).

[75] *Augustinus*, serm. 99 (olim 23 inter Homilias 50), c. 9: „dicunt [Donatistae]: Si non dimittunt homines peccata, falsum est ergo, quod ait Christus: *Quae solveritis in terra*... evidentius ostenderet Dominus a spiritu sancto... dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens a mortuis: *Accipite*... Deus ergo habitat... in sanctis suis fidelibus in ecclesia sua; per eos dimittit peccata" (*Migne*, PL XXXVIII 600).

[76] *Io. de Turrecremata*, Summa de ecclesia I, c. 100 (obiectiones adversariorum): „3. ex eo, quod ait b. Augustinus in lib. De baptismo [V, c. 21, 29] ...: *Sacramentum gratie dat Deus etiam per malos* ... [vide supra adn. 73]. Sed remissio peccatorum est usus clavium. Ergo peccatores, qui non sunt columbe membra, usum clavium non habent" (Lugduni 1496, f. i 6r). Ibid. c. 101 (responsa ad obiect.): „Ad 3. respondetur, quod b. Augustinus ... loquitur de remissione peccatorum, secundum quod sancti homines cooperantur ad ipsam, non ex vi clavium, sed ex merito congrui. Et ideo dicit, quod etiam per malos sacramenta ministrat, inter quae absolutio sacramentalis computanda venit; sed per membra columbe, i. e. per sanctos viros facit remissionem peccatorum, inquantum eorum intercessionibus peccata remittit" (l. c. i 6v).

Digitized by Google

ferri], sive administretur per bonum sive per malum, sed non per ministrum, sed a Deo. Vide Augustinum, quomodo intelligitur: *Nemo dat quod non habet.* Augustinus Contra Donatistas[77].

Quod postmodum dicit: *omnibus* passim *et singulis Christianis esse dictum : Quaecunque solveritis etc.*, haereticum[a] esse videtur et contra omnem ecclesiam et sanctorum scriptorum expositionem, contra Augustinum: hom. 49[78] expresse et 50, ubi *claves ecclesiae* commemorat[79], quae non omnibus datae sunt sicut nec claves scientiae. Matt. 18 [18]: *Quaecunque solve|ritis etc.* Textus 41v
ille de potestate iurisdictionis loquitur, quia de excommunicatione, quia dicit: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*[80]. Postea dicit: *Quaecunque alligaveritis etc.* Certum est autem, quod haec iurisdictionis potestas non omnibus data est. Si mulieribus Paulus docere in ecclesia non concedit[81], minus tamen solvendi et ligandi potestatem concedit. Ligare et solvere iudicium praesupponit et prudentiam, quibus mulier caret et multi; esset enim totam ecclesiam confundere. Vide Augustinum De verbis Domini serm. 16, quid dicat: Si dimittis peccata aut si habes *ut ethnicum et publicanum*, ligasti. Non habes ut ethnicum et publicanum, *solvisti*[82]. Sed hoc pertinet ad omnes. Igitur omnes ligare possunt et solvere? Dicas, quod habere ipsum *tanquam publicanum* per sententiam et iudicium est ligare, et habere ipsum iam iudicatum est omnium fidelium; sic autem non est ligare, sed est iam ligatus ab ecclesia.

Patet etiam ultimam partem esse erroneam, si cum nota exclusionis intelligatur, quod videlicet absolvant *peccata publica* tantum *per correptionem.*

Nonus articulus

Absolutionis ministrum, etiam si contra prohibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere coram Deo . . .[83] |

Hic articulus tres videtur habere partes, et falsas omnes. 42r

Primam nanque falsam esse ex his[b] constat, quae a Deo ordinata sunt. Cum igitur *potestas omnis sit a Deo, qui* igitur *potestati resistit, Dei ordinationi resistit*[84]. Igitur talem Deus absolutionem *contra superioris* potestatis iussionem non approbabit. Igitur talis non erit coram ipso absolutus, sicut matrimonia inter illegitimas personas per ecclesiam contracta non tenent nec etiam coram Deo. Si enim ecclesia pro comperto haberet talem absolutum coram Deo et tales absoluti talem fidem haberent, daretur facile materia superiorum iussa contemnendi[c], quoniam dicerent: Satis est, ut sim a Deo absolutus. Et sic non esset timor ob censuras ecclesiae.

Credo tamen, quod aliquis ignarus, an ille casus sit reservatus superiori, confessori suo [non] reservatus, et [is eum] absolvit coram Deo et erit absolutus, sed non virtute clavium, quia sunt ad illum casum ligatae claves, tenetur tamen, [ut,] cum certior fuerit factus, quod sacerdos ille non poterat eum absolvere, ad superiorem pro absolutione recurrat.

Etiam quando[d] quis, sciens sacerdotem aliquem quoad aliquos casus propter superioris reservationem non posse absol|vere, petat tamen ab eo absolutionem, nonne peccat non obtem- 42v
perans superiori? Si peccat, implicat, quod ille absolvat coram Deo, quia in hoc Deum offendit, quod implicat gratiam consequi in eo, in quo peccare dignoscitur.

Sed si diceres: Degradatus suspensus est ab omni sacramentorum executione, et tamen, si super debitam materiam consecrationis verba proferat ea intentione consecrandi, consecrat, et tamen est contra prohibitionem ecclesiae, dicas, quod non est similitudo, quoniam absolutio a casibus pendet a potestate iurisdictionis, consecratio vero innititur non iurisdictioni, sed characteri[e]. Et quia etiam, quum[f] sit degradatus, character remanet[85], ideo de facto consecrat. Prohibitio igitur ecclesiae non extendit se nisi ad hoc, quod non ad salutem et legitime consecrare possit, sed non quod absolute non possit. Non enim ecclesia talem sibi potestatem auferre potest, nisi characterem auferat, quod non potest. Absolutio autem, ut dixi, innititur iurisdictioni ultra characterem et ita, cum ista pendeat a superiori in fieri et conservari, cum eam tollit, nihil facit. — Patet itaque falsitas secundae partis, quod *casuum reservatio non impediat absolutionem.*

Tertia pars est erronea et falsa. Habet enim superior [potestatem] in ecclesia agendi ea omnia, quae ad edificandam ecclesiam pertinent, in amputando peccatoribus occasionem | pec- 43r

[a] *cod.* haerecticum [b] *cod.* hoc ipso [c] *cod.* contendemdi [d] *cod. perg.:* potest
[e] *cod.* chareteri [f] *cod.* quod

[77] De baptismo VII, c. 34, 67: „Iam ostendimus eos habere, quia non amittunt, cum recedunt ... Quapropter si propterea videbantur dare non posse, quia putabantur non habere, intellegantur iam dare posse, quia intelleguntur et habere" (l. c. 361, 4–7).
[78] Serm. 392, c. 3 (l. c. 1711).
[79] Serm. 351, c. 9: „veniat ad antistites, per quos illi in ecclesia claves ministrantur" (l. c. 1545).
[80] Matth. 18, 17.
[81] 1 Cor. 14, 34; 1 Tim. 2, 12.
[82] *Augustinus*, serm. 82, c. 4, 7 (l. c. 509).
[83] Vide Conc. Trid. VII, I 237, 6ss.
[84] Rom. 13, 1s.
[85] Cf. *I. B. Sägmüller* l. c. I 243; II 373.

Digitized by Google

candi. Quod fit, cum casus reservantur, ne passim ab omnibus solvi possint, quia nimia indulgentia est ad peccandum incitativa. Propter igitur assequendae absolutionis difficultatem timore saltim poenae *a peccatis [se] continent*[86], qui est *initium sapientiae*[87], assuescunt bene vivere, ut inde delectet in bonis versari operibus. Videtur etiam apostolus aequalem sibi in excommunicatum illum Chorinthium incestuosum potestatem reservasse, in dies aliqua disponens de illo et Chorinthiis scribens[88]. Legimus etiam Moisen aliqua sibi reservasse iudicanda et maxime difficilia[89].

Decimus articulus

Totam poenam et culpam simul remitti a Deo satisfactionemque peccatorum non esse aliam quam fidem . . .[90]

Prima huius articuli pars haeretica [esse] videtur contra scripturas divinas, ecclesiae universalem consuetudinem et sanctorum patrum [doctrinam], qui a principio nascentis ecclesiae scripserunt [et] de satisfactione etiam[a] culpa dimissa loquuntur plenissime. Inter caeteros
43v Augustinus, quem in omnibus | sequor, de hac ipsa satisfactione pluribus in locis loquitur, [in] homilia 50 expresse[91], in Enchiridio c. 65, 66, 70, 71[92], De ecclesiasticis dogmatibus c. 53, 54[93]. Expresse ostendit in istis locis, quod remissa culpa a Deo per elemosinas et ieiunia et orationes propitiandus est Deus de praeteritis et Deo satisfaciendum publice vel secrete. Videmus et legimus David ipsum[b] post peccati confessionem comminatam sibi poenam per Nathan profetam subiisse[c][94]. Et Augustinus super Psalmos multis in locis hoc affirmat, maxime super id: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et cogitabo pro peccato meo*[95] et super illud: *Nam et cogitatio confitebitur tibi et reliquiae cogitationis agent tibi*[96]. Ratio hoc exigit, quia Deus iustus est, nec, ut inquit Augustinus super Ps. [58, 6]: *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*[97], et super illud: *Universae viae Domini misericordia et veritas*[98], iustitia misericordiam auferre non potest nec misericordia iustitiam. Cum igitur Deus per misericordiam suam culpam deleat, qua offensus est, erga hunc [peccatorem] etiam iustitia uti debet. Ergo puniet ipse, nisi homo hoc in se minime puniat[99]. Ideo David punitus fuit[94]. Et ecclesia merito satisfactiones penitentibus iniungit publicas vel privatas. Potest tamen adeo vehemens cordis esse dolor, ut pro contritione
44r culpa et poena absolveretur; sed contritio in tali casu est etiam satis|factio.

Sed dices: Nonne David vehementissimum habuit dolorem, quem ipse tantis in locis maxime commendat[100], eo quod semper in luctu et squalore[d] esse visus est. Tamen doctores dicunt comminatas sibi poenas subiisse et satisfactorias fuisse. Dicas, quod fortasse a principio fuerunt satisfactoriae, sed postea manserunt ei ad exemplum et disciplinam, sicut videtur innuere Augustinus Contra Faustum lib. 22 c. 67[101]. Concedunt Lutherani remissa culpa poenas infligendas ab ecclesia aut a Deo, sed non esse satisfactorias, sed tantum ad castigationem esse disciplinam et ad exemplum[102]. Quod Augustinus dicit loco supra [citato] et hom. 50, sed esse ad satisfactionem[103] — vide homiliam 50 — et in hoc dissentit a Lutheranis.

Sed dices: Cur in baptismo tollitur omnis poena et culpa? Dicunt quidam, quod hoc est, quia ignorantes ad Deum veniunt; ideo indulgetur. Secus est de iis, qui cognoverunt. Et si dicas: Quid de illo, qui credit? Non est baptizatus; moritur, quia non potest baptizari; salvatur et poena omnis non est dimissa, facile respondetur: Nec valet, quod dicunt Lutherani[104]: Christus satisfecit pro nobis. Igitur non oportet nos satisfacere. Istis respondetur, ut quidam docte dicunt, per instantiam. Nam si consequentia esset bona, sequitur, quod non oporteret
44v nos orare | nec de peccato conteri nec mori, quoniam Christus oravit pro nobis, pro peccatis

[a] *cod.* esse [b] *cod.* ipse [c] *cod.* evenisse [d] *cod.* squalorem

[86] *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 127, c. 7 (CChr. XL 1871, 20ss.).
[87] Eccli. 1, 16.
[88] 1 Cor. 5, 3ss.
[89] Exod. 18, 13ss. 22. 26; Deut. 1, 17.
[90] Vide Conc. Trid. VII, I 237, 11ss.
[91] Serm. 351, c. 9: „a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum" (l. c. 1545).
[92] Enchiridion c. 17, 65s.; c. 19, 70s. (l. c. 84, 29ss.; 87, 4ss.).
[93] *Ps.-Augustinus*, potius *Gennadius Massil.*, De ecclesiasticis dogmatibus c. 23–24, al. 53s. (*Migne*, PL XLII 1217s.).
[94] 2 Reg. 12, 11ss.
[95] Ps. 37, 19. *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 37, c. 24 (CChr. XXXVIII 398, 35ss.).
[96] Ps. 75, 11. *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 75, c. 14–15 (CChr. XXXIX 1046s.).
[97] Enarrat. in Ps. 58, serm. I, c. 12s. (ibid. 739s.).
[98] Ps. 24, 10. Enarrat. in Ps. 24, c. 10 (CChr. XXVIII 138, 3ss.).
[99] *Augustinus*, Enarrat. in Ps. 58, serm. I, c. 13: „Prorsus aut punis aut punit. Vis non puniat? Puni tu" (l. c. 739, 6s.).
[100] Cf. Ps. 30, 11; 37, 18.
[101] Contra Faustum XXII, c. 67 (CSEL XXV 663, 22ss.).
[102] Cf. Apologia Conf. August. XII, n. 151ss. (Die Bekenntnisschriften I 285, 19ss.).
[103] Serm. 351, c. 9; vide supra adn. 91.
[104] Apologia Conf. Aug. art. XII, n. 140. 147 (l. c. 282, 5ss.; 284, 5ss.).

Digitized by Google

nostris vere doluit intrinsecus et flevit peccata nostra. Igitur non oporteret nos flere peccata nostra, sicut meretrix Lucae 7 [38] legitur flevisse, nec nos mori, quoniam Christus mortuus est pro nobis. Ita non sequitur: Christus satisfecit pro nobis; ergo non[a] debemus satisfacere. Satis est, quod Christi satisfactio nobis hoc contulerit, ut opera nostra et poenae nostrae essent validae et satisfactoriae, quae nequaquam sine Christi meritis essent satisfactoriae[b]. Etiam Christi passio et merita non respiciunt tantum praesentem fidelium vitam, sed futuram et Christi sacramenta salutaria, ut inquit Augustinus[105], futura bona respiciunt, non praesentia. Et sic aliquando in fine saeculorum omnem poenam et *dolorem absterget Deus ab oculis nostris*[106]. Interim tamen est tempus luctus et tribulationis et, si peccamus Deo, cum Dei adiutorio et Christi meritis quibusdam poenis Deo per Christum satisfacimus.

Impia igitur est horum hereticorum opinio, quae hominibus pro peccatis impunitatem pollicetur, ut liberius peccent, quia, cum conversi fuerint, simul culpa et poena condonabitur. Hanc diabolus, ut facilius ad peccandum inducerent[ur], primis parentibus suggessit, quod *nequaquam* morituri essent, sed *diis* potius quod *similes* essent, si vetitum pomum edissent[107]. Nec valet: Christus, quibus remisit peccata, non iniunxit poenam, et illud Ambrosii: *Petri lacri|mas* 45r *lego, satisfactionem non lego*[108]. Opera Christi perfectiora fuerunt quam aliorum, et *noverit corda*[109] hominum et quanta esset contritio. Etiam non erat instituta poenitentia. Etiam Ambrosius de satisfactione publica loquitur[110].

Undecimus articulus

Optimam poenitentiam esse novam vitam poenisque temporalibus a Deo inflictis minime satisfieri ...[111]

Hic articulus haereticus est. Nam poenitentia non potest tantum *nova vita* esse, si haec opinio dolorem de peccatis et satisfactionem excludat. Sic ex superiori articulo reprobato huius etiam falsitas apparet. Augustinus hom. 50: „Non sufficit", inquit, „mores in melius commutare, nisi ieiuniis etc. Deo satisfiat"[112]. Exempla infinita constant, quod poenitentia optima non sit tantum nova vita. De muliere peccatrice, Davide et aliis, qui *amare flebant* peccata sua[113]. David d[icit]: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*[114] et: *Lachrimae meae panes die ac nocte*[115]. Et si sancti peccata populi fleverunt — ait Hyeronimus[116]; Paulus 2[c] Chor. [2, 4]: *Per multas*, inquit, *lachrimas scripsi vobis* —, quanto magis illi, quorum sunt peccata, dolere debent. |

Duodecimus articulus 45v

Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et vero Dei cultu atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes ...[117]

Hic articulus quoad omnes eius partes falsus est et erroneus et, si bene consideretur, etiam haereticus est.

Quoad primam partem, cum dicat *satisfactionem non esse cultum Dei*, est falsus, cum omnis actio in charitate facta pertineat ad cultum Dei externum, si non internum, quia illum praesupponit. Huiusmodi autem est satisfactio.

Secunda pars illativa haeretica esse videtur, quod satisfactiones fidelium *mortis Christi beneficium*[d] *obscurent*. Nam sicut orationes nostrae non obscurant Christi orationes, ita nec nostrae satisfactiones Christi satisfactiones obscurant nec *fictiones* sunt[e]. Etiam etsi Deus nobis per Christum dimisit peccata nostra, tamen Christus vult etiam nos proximo[f] dimittere peccata[118]. Sunt ergo istae motiones quaedam subordinatae et secunda virtutem habet a prima.

[a] *cod.* nos [b] *cod. perg.:* fuissent [c] *cod.* prima
[d] *cod.* beneficio [e] *cod.* esse [f] *cod.* prossimo

[105] Enchiridion c. 17, 66: „ut intellegamus totum, quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum quam ad retentionem vel adeptionem praesentium pertinere" (l. c. 84, 47ss.).
[106] Apoc. 7, 17; 21, 4.
[107] Ps. 43, 22; Gen. 3, 4s.
[108] *Ambrosius*, Expositio evang. Luc. X, c. 88 (CSEL XXXII, IV 489, 8. CChr. XIV 371, 846s.).
[109] Cf. Luc. 16, 15.
[110] De obitu Theodosii c. 34: „non erubuit imperator publicam agere paenitentiam" (CSEL LXXIII 388, 6). De paenitentia II, c. 10, 95 (ibid. 200, 37s.).
[111] Vide Conc. Trid. VII, I 238, 1ss.
[112] Serm. 351, c. 5, 12 (l. c. 1549) = c. 63 *Non sufficit* de poen. dist. 1 (*Friedberg* I 1177).
[113] Cf. Matth. 26, 75; Luc. 7, 38; 22, 62.
[114] Isai. 38, 15.
[115] Ps. 41, 4.
[116] Dialogus adv. Pelagianos II, c. 30: „Vides ergo, quod tam pro peccatis suis quam pro peccatis populi [Daniel 9, 20] Dominum sit deprecatus" (*Migne*, PL XXIII 595 A). Contra Vigilantium c. 6 (ibid. 359 C). Comment. in Ioelem c. 1, 13 (CChr. LXXVI 172, 414s.).
[117] Vide Conc. Trid. VII, I 238, 7ss.
[118] Matth. 6, 14s.

Digitized by Google

Articuli de extrema unctione sequuntur

46r Primus articulus

Extremam unctionem non esse sacramentum novae legis a Christo institutum ...[1]

Hic articulus, si conciliis credendum est, ut vere credendum est, est haereticus, cum concilium Florentinum expresse sacramentum esse statuat[2]. Et propterea a Christo est institutum, quoniam ecclesia sacramentum instituere non potest, quin[a] nec illis efficaciam tribuet.

Etiam ex definitione sacramenti facile probari potest, quia est *signum sensibile invisibilis gratiae etc.*[3] Patet ex verbis Iacobi in canonica sua[4]. Temerarie igitur isti dicunt *tantum esse ritum acceptum a patribus aut*, quod pene sit *figmentum humanum*.

Secundus articulus

Extremam unctionem non conferre gratiam neque remissionem peccatorum ...[5]

Hunc articulum falsum esse sequitur ex primi impugnatione, quoniam, si extrema unctio est sacramentum, sequitur, quod *conferat gratiam* et ex consequenti *remissionem peccatorum*, si 46v invenit. Et iccirco spiritualiter, non corporaliter alleviat | infirmum, tolerabiliorem illi faciens mortem et infirmi animum exhilarando. Quae quidem [unctio] in corpus redundat, corporis gravitatem non ita sentiens.

Etiam potuit *cessasse* quantum ad unum fortasse, quod erat annexum, scilicet curatio infirmitatum, sed non quoad essentiale sibi, quod erat *remittere peccata* et spiritualiter *alleviare*, sicut olim impositioni manuum dabatur visibiliter *spiritus sanctus* et *genus linguarum*[6]. Nunc autem est impositio manuum, non tamen reliqua; cessaverunt enim, quae erant annexa. Et quomodo poterat esse idem cum *gratia sanitatum*[7]? Certum namque est, quod non omnibus hoc datum est. *Alii*, inquit, *datur gratia sanitatum etc.*[7] Mirum igitur, quod solum *senioribus*, quos Iacobus [5, 14] vocari iubet. Etiam illi, qui erant in domo, hanc gratiam habuissent.

Tertius articulus

Extremae unctionis actus et usus non observatur ab ecclesia Romana iuxta b. Iacobi sententiam ...[8]

Huius articuli falsitas et haeresis ex superioris impugnatione dilucide patet. Accidentalia enim sacramentorum varia sunt apud diversas ecclesias graecam et latinam in modo baptizandi in tertia et prima persona, in pane azimo et fermentato. Sed essentialia sacramentorum non 47r mutantur. Multa itaque | ad sollennitatem sacramentorum ab ecclesia in diversis temporibus addita fuerunt, tamen essentialia, quae Iacobus servavit, servat et nunc ecclesia Romana. Unde enim ausa fuisset ecclesia Romana essentialia mutare, cum in aliis sacramentis id non fecerit? Est solum ex odio et corrupto animi affectu id dictum. Nescientis est distinguere inter essentialia sacramentorum et accidentalia. Posito etiam, quod esset ecclesiae Romanae traditio, non posset adhuc non *sine peccato contemni*.

Quartus articulus

Extremae unctionis ministrum non esse sacerdotem presbiterumque ecclesiae ...[9]

Hic articulus mihi haereticus videtur. Nam aliorum sacramentorum ab baptismo, qui simpliciter est necessitatis, solus minister est sacerdos debite ordinatus. Neque Iacobus per *presbiteros* seniores intelligit in quavis communitate, quia, ut supra dicebatur per adversarium, hoc sacramentum est idem cum *gratia sanitatum*. Modo Iacobus non poterat scire, quod solum seniores etate hoc donum haberent, quid igitur dicendum? Dicendum videtur, quod non fuerit 47v idem cum *gratia sanitatum*[7] et ex consequenti *presbiter* fuerit ille, | qui est *sacerdos* vere et legitime *ab episcopo ordinatus*, cui ex officio ministrare hoc sacramentum et[b] alia convenit. Etiam hoc mihi persuadet, quod vult istos *presbiteros orare super infirmos* et exaudiri, ut patet ex verbis eius[4], ubi eorum orationis fructum ponit. Privatae autem personae, ex quo possunt esse mali[c], non exaudirentur, si non pro se, minus pro aliis. Sacerdotes autem, ex quo sunt publicae personae et orant in persona ecclesiae, etiam quod sint mali, exaudiuntur et sibi ex officio *pro populo* orare competit. Paulus ad Hebr. [5, 1]: *Omnis nanque pontifex etc.*

[a] *cod.* quia [b] *cod.* est [c] *cod.* male

[1] Vide Conc. Trid. VII, I 239, 4s.
[2] Decr. pro Armenis c. 5, 5 (*Mansi* XXXI 1058 A. *Denzinger* l. c. n. 1324).
[3] Vide supra p. 298, 5ss. cum adn. 4.
[4] Iac. 5, 14s.
[5] Vide Conc. Trid. VII, I 239, 9ss.
[6] Act. 19, 6; 1 Cor. 12, 10. 28.
[7] 1 Cor. 12, 9. 28.
[8] Vide Conc. Trid. l. c. 240, 1s.
[9] Vide ibid. 240, 6.

Digitized by Google

13.

[Sebastianus de Heusenstamm, archiepiscopus Maguntinus, elector[1]] ⌈Emendationes in doctrinam de poenitentia⌉[a] [et Sententia circa articulos de poenitentia et extrema unctione]

[Tridenti, diebus 17.–18. Novembris 1551]

Wirceburgi, Arch. rei publ., *Mainzer Urk., Geistl. Schr. L. 19*, fasc. 3, 7 *(copia coaeva)*

[Circa doctrinam de poenitentia]

[1.] In primis operae pretium videtur praemittere doctrinam de tribus distinctis poenitentiae actionibus in ecclesia[2]. Wirceburgi 1r

2. Videntur damnandi Anabaptistae et expositione commoda et catholica eripiendi eis loci Hebr. 6 [6] et 10 [22], quos ipsi ad stabiliendam suam impietatem rapiunt et contorquent[3]. Similiter exponendus locus 1 Io. 3 [9]: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit*[4].

3. Statuendum, ut concilium declaret omne peccatum a baptismo admissum excepto solo peccato *in spiritum sanctum*[5] a Deo poenitentibus remitti, et ut sint peccata in spiritum sanctum, quae ante finalem impoenitentiam committuntur, ecclesiam tamen neminem nisi finaliter impoenitentem a spe salutis penitus secludere, quod ei excepta revelatione incertum sit, an quis verbum blasphemiae in spiritum sanctum ex mera et destinata malitia, an vero ex ignorantia seu infirmitate malitiae coniuncta dixerit.

4. Ponendum discrimen inter poenitentiam et poenitentiae sacramentum, diffiniendum sacramentum poenitentiae proprie sacramentum esse a Christo institutum, a sacramento baptismi diversum[6].

5. Definiendum discrimen inter mortalia et venialia peccata[7] propter adversarios, qui faciunt omnia peccata paria. Nec aliud faciunt discrimen, nisi quatenus imputantur vel non imputantur.

6. Astruendum perspicue videtur, quod proprium signum huius sacramenti divinitus institutum sit absolutio[8] seu actus ipse sacerdotalis absolutionis externae institutus a Christo, quum dixit: *Quaecumque solveritis*[9] vel: *Quorum remiseritis*[10]. Cui secundum antiquissimum Romanae ecclesiae ritum *ex apostolica traditione* non incongrue adhibeatur manus impositio, ut etiam Eckius habet in libello de satisfactione cap. 4[11].

[a] *ab alia manu f. 2v add.*

[1] Hae *Emendationes* carent omni indicio auctoris, loci, diei, quo scriptae vel deputatis traditae sint. Quia vero exstant inter acta e curia Maguntini archiepiscopi provenientia, qui et ipse erat unus deputatorum pro conficiendis canonibus et doctrina de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis (Conc. Trid. VII, I 176, 32s.; 324, 15s. 23), haud dubium esse potest, quin illi attribuendae sint. Iam in congregatione deputatorum die 16. Nov. 1551 habita Massarellus recitavit *formam quandam doctrinae cura ipsius legati a quibusdam doctis et piis viris confectae super sacramento poenitentiae*, cuius *exemplum cuilibet eorum datum est, ut facilius eam aptare possent* (ibid. 324, 17ss.). Quae doctrina a deputatis diebus 19. 20. 21. Nov. examinata et die 22. Nov. perfecta est (ibid. 327, 6s. 11s.; 332, 5ss.; 333, 51ss.). Has *emendationes* ergo diebus 17. et 18. Nov. 1551 conscriptas esse coniciendum est. Textum doctrinae vide ibid. 343–357, ubi in apparatu critico prior eiusdem forma legitur.

[2] De quibus poenitentis actibus cf. Doctrinae c. 3, l. c. 345, 29.

[3] Cf. *Balth. Hubmaier*, Schriften (ed. *G. Westin-T. Bergsten*, Gütersloh 1962) 142. 150. 230. 239. 260. 331. Vide infra p. 334, adn. 3.

[4] Cf. ibid. 414.

[5] Matth. 12, 32; Marc. 3, 29; Luc. 12, 10.

[6] Cf. Doctrinae c. 2 (l. c. 345, 7ss.).

[7] Cf. ibid. c. 5 (l. c. 348, 5ss.).

[8] Cf. ibid. c. 6 (l. c. 350, 27ss.).

[9] Matth. 18, 18. [10] Io. 20, 23.

[11] *Io. Eck*, De poenitentia lib. II, de confessione c. 4: „Item confirmatum est, si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint ..., non eis manus tanquam poenitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur ... Nec eum, qui subierit, posse in clerum promoveri ... Meminit adhuc explicatius Leo papa in quodam canone 9 inter decreta illius, et [est] secundus eorum, quos scripsit ad Rusticum Narbonensem episcopum [*Leo I*, epist. 167, inquis. 2, *Migne*, PL LIV 1203 B], (facilius esset mihi citare *Gratianum* [c. 67 *Alienum* dist. 50]; at volo lectorem nihil haesitare de allegatis ...). *Alienum est*, inquit, *a consuetudine ecclesiastica, ut qui presbyterali honore aut diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi, quod utique ex apostolica traditione descendit*" (Prima pars operum contra Ludderum, Augustae Vind. 1530, 158r).

Digitized by Google

[Circa articulos de poenitentia]

Circa secundum articulum et praesertim postremam eius particulam, qui[a] est de fide remissionis et absolutionis etc.[12], ob impudentiam Melanchtonis[13] et Calvini[14] hanc synodum 1v calumniose | traducentium, quasi synodus statuisset impium et falsum decretum, scilicet quod homo debeat manere in dubitatione, an sit in gratia, bonum videretur in hoc concilio aliquid statuere de certitudine gratiae saltem coniecturali seu experimentali, et super fide, quam vere contritus et confessus absolutioni sacerdotali adhibere debet.

Circa tertium articulum diserte damnandum videtur timorem servilem *ad gratiam Dei non preparare*[15] et hunc quidem, si spem remissionis coniunctam habuerit, non numerari inter opera impiorum, sed gratiae praevenientis, ut retundatur calumnia Melanchtonis[16] asserentis hanc synodum sentire opera impiorum adhuc ad iustificationem preparare.

Circa quartum articulum[17] determinandum videtur, publica peccata publica exomologesi expiari debere, occulta vero secreta expiari sufficiat, et falsum esse confessionem sacramentalem pro ratione criminum faciendam olim unquam sublatam fuisse[18].

Circa quintum canon *Omnis utriusque sexus* asserendus et suae dignitati restituendus[19] videtur et docenda cum necessitas tum possibilitas confessionis inibi praeceptae.

Circa septimum articulum declarandum videtur, quo recurrendum sit, ubi de intentione ministri dubitatur[20], ut sacramentum perfectum habeatur.

Circa octavum articulum in sacerdotibus gratiam traditae potestatis sufficere, verbum: *Quaecumque solveritis*[21] solis presbyteris dictum esse[22], privatorum remissionem sacramentum non esse, sed ad sacramentum praeparare.

Circa nonum articulum origo reservationis casuum explicanda videtur, et cur *contra* legitimam *prohibitionem superioris* absolvens[23] nichil agat. |

2r Circa articulum decimum explicandum videtur, quibus de causis divinitus instituta sit satisfactio[24], et quae eius vis sit.

Circa undecimum astruendum: *poenis temporalibus a Deo inflictis et patienter sustentis*[25], itidemque voluntarie susceptis poenis debitis, pro peccatis *satisfieri*.

Circa duodecimum: *virtute clavium aeterna supplicia remitti et per Dei misericordiam in poenas temporales commutari*[26].

[a] *cod. sic*

[12] Cf. art. 2 de poenit. et Doctrinae c. 6 (Conc. Trid. VII, I 233, 15s.; 351, 3ss.).

[13] *Ph. Melanchthon*, Doctrina de poenitentia: „Cum autem synodus Bononiensis ordine de partibus fecerit decreta..., dicam breviter de singulis partibus" (Corp. Ref. XXIII 649). Ibid. de contritione: „Deinde quantae tenebrae sunt, quod non solum nihil de fide in doctrina poenitentiae dicunt, sed etiam pertinaciter negant opus esse hac fide, credas tibi ipsi remitti propter mediatorem etc. ... Ac relinquunt mentes in perpetua dubitatione, quia inquiunt: Nescis, an contritio fuerit sufficiens. Ideo semper dubites, an tibi data sit remissio" (l. c. 650). Ibid. de confessione: „Constat multos ambigentes, an satis pure confessi essent, in magnis moeroribus fuisse. Talis dubitatio fidem et invocationem impedit et aut desperationem aut Epicureum contemptum adfert" (l. c. 655). Vide libellum inscriptum: *ACTA CONCILII TRIDENTINI ANNO MDXLVI celebrati una cum Annotationibus piis ... per Philippum Melanchthonem* (s. l. 1546; cf. Conc. Trid. VI, III 116, adn. 6).

[14] *Io. Calvinus*, Acta synodi Tridentinae cum antidoto, in sextam sessionem [Decr. de iustificatione c. 9]: „Fatentur nunquam nisi gratis remitti peccata propter Christum. Sed hoc in suspenso relinquunt, quibus et quando remittantur, dum omnes conscientias tranquilla fiducia spoliant... Imo omnem veram Dei invocationem isti evertunt, quum piorum animos trepidatione suspendunt, quae sola nobis ianuam praecludit" (Corp. Ref. XXXV 455s.). Ibid.: „Sed neque illud asserendum, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque dubitatione apud se ipsos statuere se esse iustificatos... Pudet autem me quasi de re ambigua contendere cum iis, qui se Christianos appellant... Et sane totam fidei naturam ignorant, qui eam dubitatione miscent" (l. c. 456).

[15] Cf. art. 3 et Doctrinae c. 4 (Conc. Trid. l. c. 234, 3s.; 347, 2ss.).

[16] *Melanchthon*, Doctr. de poenit., de satisfactione: „Manifesti errores sunt in doctrina monachorum de satisfactionibus cum alibi tum hic quoque, quod fingunt opera non mandata a Deo esse cultus Dei, mereri remissionem culpae et poenarum, ut certis diebus abstinere a carnibus etc." (l. c. 659).

[17] Cf. Conc. Trid. l. c. 234, 8s.

[18] Cf. *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 9, 22: „Refert Sozomenus... Ob id facinus Nectarius ... confitendi ritum abrogavit" (Corp. Ref. XXIX 700). Ibid. c. 9, 23: „Hanc autem abrogationem tot locis evidenter Chrysostomus testatur" (l. c. 701).

[19] Cf. art. 5 et Doctrinae c. 5 (l. c. 235, 4ss.; 350, 8ss.).

[20] Cf. art. 7 et Doctrinae c. 6 (l. c. 236, 7ss.; 351, 1ss.).

[21] Matth. 18, 18.

[22] Cf. art. 8 et Doctrinae c. 6 (l. c. 236, 14ss.; 350, 16ss.).

[23] Cf. art. 9 et Doctrinae c. 7 (l. c. 237, 6ss.; 351, 9ss.).

[24] Cf. art. 10 et Doctrinae c. 8 (l. c. 237, 11ss.; 352, 8ss.).

[25] Cf. art. 11 et Doctrinae c. 9 (l. c. 238, 1s.; 354, 25ss.), praeterea votum archiepiscopi Maguntini post diem 20. Nov. datum, infra n. 16, p. 337, 7ss.

[26] Cf. art. 12 et Doctrinae c. 5 (l. c. 238, 9; 348, 1ss. cum adn. a et g).

Digitized by Google

Circa articulos de extrema unctione

Explicandum videtur, quur[a] dicatur *extrema*[27], et proponendum signum visibile cum re sacramenti.

Secundo falsum [esse, quatenus intelligit] apostolum [Iacobum] loqui de quadam speciali *gratia curationis*[28] iam dudum in ecclesia cessante[29].

Tertio religiosissimum ritum administrandi hoc sacramentum ecclesiam Romanam tradidisse[30].

Quarto astruendum apostolum *presbyterorum* nomine solos sacerdotes intellexisse[31].

14.

[Adolphus de Schaumburg, archiepiscopus Coloniensis, elector[1]] Sentientia super canonibus de sacramento poenitentiae et extremae unctionis[b]

[Tridenti, die 20. Novembris 1551]

Wirceburgi, Arch. rei publ., *Mainzer Urk.*, *Geistl. Schr. L. 19*, fasc. 3, 6 *(copia coaeva)*

[Circa canones de sacramento poenitentiae]

Wirceburgi 2r

Etsi canones isti de sacramento poenitentiae compositi[2] facile probari catholicis possint, si secundum sanum intellectum omnes accipiantur, tamen, quia in canonibus presertim *anathema*, que censura est in ecclesia omnium durissima et immanissima, infligentibus talis succincta verborum compositio et claritas requiri videtur, que nulli, quoad eius fieri potest, calumniae seu detorsioni aut incommodae interpretationi pateat, idcirco apparet nobis, iudicio tamen sacre synodi semper salvo, his incommodis haud difficulter — pauculis videlicet verbis immutatis — occurri posse in modum subsequentem:

Initio, ut primus articulus sic ponatur:

Si quis dixerit non esse poenitentie sacramentum secundum propriam sacramenti rationem a Christo Domino nostro pro fidelibus, quoties post baptismum in graviora peccata labuntur, reconciliandis Deo institutum, anathema sit.

Cum enim canon iste indiffinite ponatur etc., possit contentiosulus aliquis oppositum eis velle sustinere, nimirum obtendens[c] et esse in ecclesia poenitentiam, quae non proprie sit sacramentum pro relapsis institutum, qualis est actio poenitentiae adultorum ante baptismum, et poenitentiam levium seu quotidianarum culparum post baptismum.

In secundo articulo loco istorum verborum: *ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit* videntur ponenda hec verba: *ipsum baptismum etiam eius poenitentie, que post baptismum in ecclesia agitur, sacramentum esse*, ne canon, ut positus est, saltem in spetiem adversari videatur verbis evangelii de *baptismo poenitentiae*[3] et verbis Augustini[4] dicentis *unam esse poenitentiae actionem, que novum hominem per baptismum parturit etc.*, ut disertis verbis sententia adversariorum damnetur. |

[a] *cod. sic* [b] *F. 4v haec legitur rubr.:* Sententia R^mi super canonibus de s^to poenitentiae compositis
[c] *cod.* obtrudens

[27] Cf. Doctrinam de sacram. extr. unctionis, prooemium (Conc. Trid. VII, I 355, 5s. 13ss.).
[28] Cf. 1 Cor. 12, 28. 30.
[29] Cf. art. 2 de extr. unct. et Doctrinae c. 3 (l. c. 239, 10; 357, 2s.), praeterea *Compendium* die 6. Nov. ab archiepiscopo Maguntino prolatum, supra n. 8, p. 286, 25s.
[30] Cf. art. 3 de extr. unct. et Doctrinae c. 3 (l. c. 240, 1; 357, 3s.).
[31] Cf. art. 4 de extr. unct. et Doctrinae c. 3 (l. c. 240, 6s.; 356, 18ss.).
[1] In codice desunt indicia nominis auctoris, loci, diei, quo haec sententia prolata sit. Cum vero multis in locis conveniat cum iis, quae Massarellus de voto Coloniensis electoris die 20. Nov. 1551 dicto in Actis rettulit (Conc. Trid. VII, I 327, 20–28), sine dubio illi archiepiscopo attribuenda est.
[2] Quorum exemplum patribus die 19. Nov. 1551 datum erat; vide eos ibid. 325–327.
[3] Marc. 1, 4; Luc. 3, 3.
[4] Sermo 351, c. 2: „Tres sunt autem actiones poenitentiae... Una est quae novum hominem parturit, donec per baptismum salutare omnium praeteritorum fiat ablutio peccatorum" (*Migne*, PL XXXIX 1537).

Digitized by Google

2v In tertio articulo omittenda videntur hec verba: *detorserit autem ad auctoritatem predicandi evangelium*, ne locum illum Ioannis[5] ad solum poenitentiae sacramentum restringendo intellectus aliquot sanctorum patrum[6], qui illum latius patere docuerunt, anathematizetur. Pars certe prior digna est anathemate, de posteriori secus apparet.

In quinto articulo post verbum *incursum* loco illorum verborum: *non esse verum dolorem nec praeparare* ponendum videtur: *cum spe veniae non esse dolorem preparantem ad gratiam*. Nam alioqui calumniosus quispiam obtenderit anathematizari hic dicentes [contritionem] peccatorum Cain, Saulis et Iude[7] hypocriticam fuisse, nec Lutherani negant eiusmodi poenitentiam *verum esse dolorem*, sed aiunt eum nihil prodesse[8]. — Possit etiam, si videretur, omitti clausula: *demum ita esse dolorem coactum, ut non sit liber et voluntarius*, quod forsan ista formalia verba secundum intellectum canonis non reperiantur apud adversarios.

Sextus articulus, quum quod intendit sacra synodus in quarto canone precedente satis determinetur, videtur totus omittendus esse, ne sacra synodus adversariorum sententiam videatur adiuvare, qui asserunt sacerdotem absolventem non solvere peccatorem, sed solutum tantum declarare[9], neve catholicos anathematizare videatur, qui docent eos, qui asserunt sacerdotem, cum absolvit, magis absolutum declarare, videlicet per contritionem a Deo, priusquam ipse absolvat, vim verborum Christi destruere, non interpretari etc., denique, ne synodus in hoc et decimo sequenti canone sibi ipsi adversari videatur.

Septimus articulus sic videtur ponendus:

Si quis dixerit confessionem sacramentalem non esse iure divino institutam, aut in ecclesia catholica
3r *non ab initio ob|servatam, sed alienam ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit*,

ne videlicet per istam disiunctivam, quae est in canone: *vel iure divino institutam vel ad salutem necessariam*, innui videatur quedam esse iure divino instituta, ad salutem tamen non necessaria, et damnari videantur catholici et quidem novissimi, Caietanus[10] simul cum antagonista suo Catarino[11], qui in hoc consentiunt, quod *instituta a Domino confessione* etiam *modus* credatur *institutus, ut occulta occulte et publica publice* peccatores *confiteantur*, et ex veteribus manifestum sit

[5] Io. 20, 22s.

[6] E. gr. *Ps.-Augustinus*, Quaestiones vet. et novi testamenti c. 93, 2: „Illud autem, quod insufflasse in discipulos Dominus legitur..., ecclesiastica potestas intelligitur esse" (CSEL L 163, 20–22). Vide infra adn. 18.

[7] Cf. Gen. 4, 13s.; 1 Reg. 15, 10. 24; Matth. 27, 4.

[8] Apologia Confess. Aug., art. XII n. 36: „Haec fides ostendit discrimen inter contritionem Iudae et Petri, Saulis et Davidis. Ideo Iudae et Saulis contritio non prodest, quia non accedit ad eam haec fides apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum" (Die Bekenntnisschriften I 258, 37ss.); cf. ibid. n. 8 (l. c. 254, 10ss.). Cf. *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. (1539–1554), c. 9, 3 (Corp. Ref. XXIX 687).

[9] Cf. art. 7 de poenitentia (Conc. Trid. VII, I 236, 7s.). Vide votum archiepiscopi Maguntini, infra p. 335, 25s.

[10] *Thomas de Vio* card. *Caietanus*, Opuscula III, tract. 12 De communione sub utraque specie (25. Aug. 1531), c. 2: „Nos autem dicimus haberi ex evangelio confessionem peccatorum mortalium omnium... Quod enim peccata omnia confitenda sunt in sacramentali confessione, ex ipsa forma ministrandi sacramentum poenitentiae tradita a Christo, quando instituit hoc sacramentum Io. 20 [23], manifestatur; ait enim Christus apostolis: *Quorum remiseritis*... In quibus verbis datur a Christo ministro sacramenti facultas duarum actionum, videlicet remittendi vel retinendi peccata quorumcunque" (Venetiis 1596, 299, 48ss.). *Idem*, Quaestiones de confessione, qu. 2, n. 3: „Cum enim Dominus poenitentiale iudicium instituerit ac commiserit... dicens Io. 20 [23] apostolis iam sacerdotibus: *Quorum remiseritis*... et materiam iudicii explicaverit quoad substantiam tantum, dum remittendo vel retinendo explicavit *peccata*, et non possit intelligi ita nude, ut sonat littera, quoniam certum est, quod per eiusmodi commissionem non possunt nec potuerunt ministri novi testamenti remittere peccata eis totaliter incognita, inconfessa, obstinata, oportet aliquas subintelligere condiciones peccatorum remittendorum. Et quia iudicium praesupponit cognitionem et modus iudicii modum cognitionis, ideo communi catholicae ecclesiae sensu subintelligitur: *spontanea confessione ad vos delata*... Ex hac autem formali ratione materiae huius iudicii habetur facile, quod peccata quantumcunque occulta sunt materia huius iudicii" (Thomae Aqu. opera XII, Romae 1906, 348). Ibid. n. 5: „Tertio ex usu ecclesiae. Nam communis animi conceptio Christianorum est peccata omnia, sive occulta sive manifesta, oportere in sacramento poenitentiae confiteri. Et ad hoc est determinatio generalis concilii primo Lateranensis [IV]..., quod *omnis utriusque sexus confiteatur peccata sua omnia*" (l. c. 348).

[11] *Ambrosius Catharinus Politus*, Annotationes in Commentaria Caietani denuo multo locupletiores... redditae, de sacramento poenitentiae: „Fatetur apud Ioannem c. 20 [23] a Domino institutam fuisse confessionem, non tamen auricularem, sed hoc ecclesiae arbitrio relictum, an ad aurem an publice facienda est. Quod absurdissimum est; non enim ecclesiae arbitrio relinquitur, quod certo modo servari et ratio et scriptura docet. Nec enim posset ecclesia statuere, ut occulta peccata publice quisque prodat ob innumera scandala, quae inde orirentur. Ergo instituta a Domino confessione suapte sponte venit institutio quoque modi confitendi, videlicet ut publica publice, occulta occulte, et morosum est omnia velle explicite esse in scripturis. Si enim Dominus confessionem instituit, credibile est etiam confitendi modum docuisse nec alium, quam qui servatus semper fuit et quem suadet ipsa ratio, videlicet ut publica publice et occulta occulte confiterentur" (Lugduni 1542, 446).

Digitized by Google

olim peccantes saltem publice, non semper soli sacerdoti et secreto confessos fuisse, ut tamen canon innuere videtur.

In octavo post verba: *peccata mutant* videtur addendum: *aut aggravant*. Item post verbum *imponendam* videtur addendum: *seu peragendam*. Nam adversarii pro se Cyprianum[12] et Ambrosium[13] detorquent[14], qui *exomologesin* ipsam appellant *satisfactionem*. Item videtur omittenda clausula finalis: *aut demum non licere confiteri peccata venialia*. Nam hoc non videntur asserere adversarii[15].

In nono articulo videntur verba illa in fine: *presertim vero tempore quadragesimae* omittenda esse. Nam in c. *Omnis utriusque*[16] ista determinatio: *ad minus in pascha* determinat tantum susceptionem *eucharistiae sacramenti*, prout etiam proxime[a] sessione idem canon innovatus est[17]. Et multi sunt peregre constituti seu alias impediti, qui precise in quadragesima confiteri non possunt, qui, si semel tantum in anno quocunque tempore magis oportuno[a] confiteantur, canoni satisfecisse videntur. Et an propter transgressionem solius iuris positivi quis anathemate notari debeat, cogitandum. |

In decimo loco verborum: *sed ioco* videtur ponendum: *sed manifeste iocans*. Quid enim, si 3v
confessus peccatum existimet sacerdotem forma ecclesiae utentem, sed tamen animo iocantem, serio eum absolvere, et quid, si talis sacerdos dicat revelare se velle, quod ioco audiverit, confessus vero revelationi obsistat, se serio confessum esse peccatum asseverans?

In undecimo post verbum *confessionem* in fine addendum videtur: *ut nulla postea sacerdotali absolutione sit opus, anathema sit*, et hoc propter quorundam veterum interpretationes, qui hec verba ad claves precise non restringunt, inter quos est Theophylactus[18].

Articulus duodecimus omittendus videtur, donec de origine reservationis casuum, et quo illa se porrigat, statuatur. Aut saltem ita ponendus apparet:

Si quis dixerit episcopos non habere ius reservandi sibi reconciliationem publice poenitentium nisi quoad externam politiam, atque ideo reservationem eiusmodi non prohibere, quominus sacerdos contra prohibitionem episcopi reconciliet poenitentem coram Deo, anathema sit.

In decimo quarto post verba: *poenis ab eo inflictis* addendum videtur: *et ab ipso poenitente patienter et cum gratiarum actione tanquam admissorum peccatorum iusta vindicta sustentis*. Item pro verbis: *sed nec voluntarie* videtur ponendum: *vel suapte sponte susceptis*. Nam et quae a sacerdote iniunguntur poenae, voluntarie suscipi debent. Et pro verbis: *et aliis etiam* videtur ponendum: *vel aliis etiam etc.* propter differentiam operum supererogationis ab operibus proprie poenitentialibus. Item post verbum: *novam vitam* maioris claritatis gratia apponendum videtur: *sine defletione et deprecatione preteritorum peccatorum*. |

In decimo sexto articulo videtur esse menda in illis verbis: *contra finem*[b] *clavium;* forte 4r
erit: *contra usum clavium*.

Circa canones de extremae unctionis sacramento[19]

Videtur hoc sacramentum in canonibus potius appellandum esse *unctionis infirmorum*, sicut appellatur a patribus[20], quam *extremae unctionis*.

[a] *cod. sic* [b] *cod.* fidem

[12] De lapsis c. 16. 28. 31 (CChr. III l.c. supra p. 265, adn. 24). *Idem*, epist. 15, 1; 16, 2; 17, 2 etc. (CSEL III 514, 10; 518, 18ss.; 522, 9). Cf. *B. Poschmann*, Paenitentia secunda, Bonn 1940, 286s. 400s. 419s.

[13] Potius *Caesarius Arelat.*, serm. 62: „qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur" (CChr. CIII 271, 10s.).

[14] Cf. *Io. Calvinus*, Institutio relig. christ. c. 9, 28: „Haec etiam forma confitendi in veteri ecclesia fuit, quemadmodum et Cyprianus meminit: *Poenitentiam*, inquit [epist. 16, c. 2, CSEL III 518, 17–20], *agunt iusto tempore; deinde ad exomologesin veniunt et per manuum impositionem episcopi et cleri ius communionis accipiunt*. Aliam confitendi vel rationem vel formam scriptura prorsus ignorat" (l. c. 704s.).

[15] Cf. vero Conc. Trid. VI, I 9, 13ss. cum adn. 6–7; 13, 15ss.

[16] C. 12 X de poenit. et remiss. V 38 (*Friedberg* II 887).

[17] Sess. XIII, can. 9 de eucharistia (Conc. Trid. VII, I 204, 9s.).

[18] *Theophylactus*, Enarr. in evang. Matth. c. 18, 18: „Non enim solum quae solvunt sacerdotes, sunt soluta, sed quaecunque et nos iniuria affecti vel ligamus vel solvimus, et ipsa erunt ligata vel soluta" (*Migne*, PG CXXIII 343/44 B).

[19] Quos vide Conc. Trid. VII, I 326, 45ss.

[20] Potius a theologis scholasticis prioribus; cf. *Hugo de S. Victore*, De sacramentis II, p. 15, c. 2 (*Migne*, PL CLXXVI 577 D). *Idem*, Summa sententiarum tr. 6, c. 15 (l. c. 153 B). *Petrus Lombardus*, Sent. IV dist. 23, c. 1 n. 228 (Ad Cl. Aquas² II 889). *Innocentius III*, Professio fidei Durando de Osca et Waldensibus praescripta (18. XII. 1208, *Migne*, PL CCXV 1512 A). *P.*

Digitized by Google

Quartus articulus sic ponendus videtur:

Si quis dixerit per presbyteros ecclesiae non esse intelligendos sacerdotes etc.

Sic enim adversarii loquuntur[21].

15.

Fridericus Nausea, episcopus Viennensis Sententiae super canonibus sacramentorum poenitentiae et extremae unctionis[1]

Tridenti, die 20. Novembris 1551

Schaffhusiae, Bibl. civitatis, *cod. gener. 40*, 175r–179v *(copia coaeva*, ab auctore subscripta). — Monachii, Bibl. rei publ., *cod lat. 11053*, 89v–96r *(copia coaeva)*. — Arch. Vat., *Conc. 106*, 126r–129v *(copia saec. XVIII)*

Schaffhusiae 175r Ad R^{mos} et Ill^{mos} DD. deputatos et canonum super poenitentiae et extremae unctionis sacramentis conditores

Etsi tam super poenitentiae quam extremae unctionis sacramento praescripti canones[2] in universum recte concepti iidemque (meo nimirum iudicio) prorsus esse catholici censeantur, quia tamen ipsi canones super rebus fidei, cuiusmodi sunt res sacramentorum ecclesiae, sint quasi signa quaedam, quibus ut plurimum contradici soleat, debent propterea ipsi non minus in dictione et compositione quam in sententia et veritate puri esse et tersi. Atque hoc est, quod ego non cavillandi studio, sed verae religionis zelo ductus minutula[a] quaedam in ipsis adnotavi. Quas quidem adnotationes instar mearum sententiarum R^{mae} et Ill^{mae} D^{tiones} VV. paucis audire et aequi bonique consulere dignentur, oro.

[Super canonibus sacramenti poenitentiae]

Canon 1

Si quis dixerit in ecclesia sancta Dei poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. N. institutum, a. s.

Sententia: Licet ego hunc canonem vere catholicum existimem, ad evitandas tamen frivolas Momorum[3] cavillationes | 175v et impugnationes ego ipsum in haec verba pronuntiarem:

Si quis dixerit poenitentiam in ecclesia non esse verum ecclesiae catholicae sacramentum, nec fidelibus post baptismum in peccatum lapsis ad reconciliationem divinam prodesse, nec a Iesu Christo, servatore nostro, esse institutum, a. s.

Canon 2

Si quis baptismi et poenitentiae sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi duo distincta sacramenta non sint, atque ideo poenitentiam non recte ‚secundam post naufragium tabulam'[4] appellari, a. s.

Sententia: Is licet quoque canon catholicus sit, meo tamen iudicio latinius ita legeretur:

Si quis baptismi et poenitentiae sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasique non duo esse distincta sacramenta, proptereaque poenitentiae sacramentum non recte ‚secundam post naufragium tabulam' adpellari, a. s.

[a] *Clm* minutulo, *Sch.* minutila

Schanz, Die Lehre von d. hl. Sacramenten l. c. 639. *Fr. Gillmann*, Die Siebenzahl der Sakramente bei den Glossatoren, Mainz 1909, 5–17.

[21] *M. Luther*, De captivitate Babylonica, de sacram. extr. unctionis: „Vix unus sacerdotulus nunc mittitur, cum apostolus velit multos adesse ..., quanquam incertum est mihi, an sacerdotes velit intelligi, cum dicat *presbyteros*, id est seniores" (WA VI 569, 27–30).

[1] Excerpta ex his sententiis Massarellus Actis inseruit, Conc. Trid. VII, I 328, 1–5. Cf. Frid. Nauseae Sententias super articulis de poenitentiae et extr. unctionis sacramentis, supra p. 287–299.

[2] Canones de sacramentis poenitentiae et extr. unctionis a deputatis formatos, quorum exemplum die 19. Nov. patribus datum est, vide Conc. Trid. VII, I 325ss.

[3] Cf. *Des. Erasmus*, Adagia I, cent. 5, 74 (Opera II 210s.). *A. Otto*, Die Sprichwörter d. Römer 226, n. 1129.

[4] Cf. supra p. 289, 15ss.

Digitized by Google

Canon 3

Si quis dixerit verba illa Domini salvatoris: „Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt“[6]*, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem ad authoritatem praedicandi evangelium, a. s.*

Sententia: Quamvis hunc canonem esse catholicum profiteor, ego | tamen ipsum in haec 176r
verba clarius esse legendum existimo:

Si quis dixerit etc., sed detorserit ad auctoritatem et commissionem praedicandi evangelium, — obmisso verbo *autem* — *a. s.*

Canon 4

Si quis negaverit ad integram peccatorum remissionem non requiri tres actus in poenitente, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur et sunt pro materia sacramenti poenitentiae, dixerit autem duas tantum esse poenitentiae partes: terrores incussos conscientiae agnito peccato et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, a. s.

Sententia: Hic canon catholice sentit ac damnat, quamvis ob congruitatem hisce cum verbis ipsum esse situm velim:

Si quis negaverit etc., quae tres poenitentiae partes dici solent haberique pro materia sacramenti poenitentiae etc., a. s.

Canon 5

Si quis dixerit contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, non esse verum dolorem nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et peccatorem, demum ita esse dolorem coactum, ut non sit liber et voluntarius, a. s.

Sententia: Quintum ego canonem quoad phrasim et sensum prorsus esse latinum et catholicum diiudicaverim. |

Canon 6 176v

Si quis negaverit per contritionem, qua poenitens cooperante divina per Christum Iesum gratia dolet de peccatis propter Deum cum proposito confitendi et satisfaciendi, non remitti peccata, a. s.

Sententia: Ita plane totum hunc canonem sextum esse catholicum recteque pronuntiatum censeo.

Canon 7

Si quis negaverit confessionem vocalem sacramentalem vel iure divino institutam vel ad salutem necessariam esse, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, a. s.

Sententia: Et is in sensu mihi probatur canon vere catholicus, sed ita clarius et latinius esse legendus:

Si quis vocalem et sacramentalem confessionem nec iure esse divino institutam nec ad salutem necessariam nec soli sacerdoti secreto confitendum, sed hunc confitendi modum a Christi Iesu instituto et mandato alienum et humanum esse inventum dixerit, a. s.

Canon 8

Si quis dixerit ad remissionem peccatorum in sacramento poenitentiae necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccata mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum | poeni- 177r
tentem et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam, aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia, a. s.

Sententia: Atque canon ille octavus meo quidem iudicio catholicus est, modo tamen legatur ipse sub illis verbis:

et quae sunt contra duo postrema decalogi praecepta, et circumstantias, quae vel peccata vel peccatorum species mutant etc.

[6] Io. 20, 22 s.

Digitized by Google

Canon 9

Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles iuxta magni concilii Lateranensis constitutionem[6] *semel in anno, praesertim vero tempore quadragesimae, a. s.*

Sententia: Iuste condemnatur huius canonis contradictor, quia christianus idemque catholicus hic est canon etc.

Canon 10

Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, [aut] remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, etiam si non sit contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat, immo etiam sine confessione poenitentis sacerdotem ipsum absolvere posse, a. s. |

177v Sententia: Canon iste decimus recte sibi contradicentem anathematizat, quia vere christianus et catholicus est.

Canon 11

Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: „Quaecumque alligaveritis super terram, ⌈erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram⌉[a]*, erunt soluta et in coelo“*[7]*, quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, a. s.*

Sententia: Tametsi ego hunc canonem esse verum putem, in haec tamen illum verba rectius esse legendum arbitror:

Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solum sacerdotes esse ministros absolutionis, sed et omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: „Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo“[7]*, atque horum quidem verborum virtute quemlibet absolvere posse peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, a. s.*

Canon 12

Si quis dixerit episcopos non habere ius reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam, atque
178r *ideo casuum reservationem non prohibere, quominus* | *sacerdos contra prohibitionem episcopi vere absolvat coram Deo, a. s.*

Sententia: Catholicum equidem hunc esse canonem crediderim, necessitate tamen et ignorantia legitima non aliud suadente cum ponderatione sententiae, quam ego pronuntiavi super nono[b] articulo nuper disputato[8].

Canon 13

Si quis dixerit totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt[c] *Christum pro eis satisfecisse, a. s.*

Sententia: Rectiore ordine videtur hic canon legi posse in haec verba:

Si quis dixerit totam poenam et culpam simul et semper a Deo remitti.

Canon 14

Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo satisfieri poenis ab eo inflictis vel a sacerdote iniunctis, sed nec voluntarie susceptis ut[d] *ieiuniis, orationibus, eleemosynis et aliis etiam pietatis operibus, quae supererogationes dicuntur, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, a. s.*

Sententia: Huic canoni censuerim ego addendum esse: *concurrente dominica Iesu Christi passione*, ut videlicet ita legeretur:

Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem concurrente dominica Iesu Christi passione Deo nequaquam satisfieri etc.

[a] *om. Clm* [b] *Scb.* undecimo [c] *Clm* apprehendit [d] *Clm* vel

[6] Conc. Lateranense IV, c. 21 *Omnis utriusque sexus* (*Mansi* XXII 1007 E).
[7] Matth. 18, 18.
[8] Vide supra p. 295, 1ss.

Digitized by Google

Canon 15

Si quis dixerit satisfactiones, quibus poeniten|tes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, a. s. 178v

Sententia: Rite religioseque conceptus est hic canon nec a quoquam facile cavillandus.

Canon 16

Si quis dixerit claves esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, atque ideo sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata poena aeterna poena temporalis exsolvenda remaneat, a. s.

Sententia: Huic ego canoni ante clausulam *poena temporalis* adicerem voculam *plerunque semper*. Siquidem ex scripturis constet aliquoties simul et poenam aeternalem et temporalem remitti, veluti factum esse credimus cum latrone in cruce[9], ut ita legeretur:

et fictionem esse, quod virtute clavium sublata poena aeterna plerumque semper poena temporalis exsolvenda remaneat.

Sententiae eiusdem Friderici [Nauseae] super canonibus sacramenti extremae unctionis

Canon 1

Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo institutum, sed ritum tantum acceptum a patribus aut figmentum humanum, a. s. |

Sententia: Hic canon etsi catholicus sit idemque verus, ego tamen legerem: 179r

Si quis dixerit extremam unctionem non esse verum ecclesiae catholicae sacramentum, nec a Christo institutum etc.

Canon 2

Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata nec alleviare infirmos, sed iam in ecclesia cessasse, quasi olim tantum fuerit ‚gratia curationum'[10]*, a. s.*

Sententia: Canon hic secundus haud opus habet, nisi fallor omnino, censura vel emendatione.

Canon 3

Si quis dixerit extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, a. s.

Sententia: Tertius hic canon recte sibi contradicentem condemnat, quia canon ipse recte positus est.

Canon 4

Si quis dixerit presbyteros ecclesiae, quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab[a] *episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, atque ideo extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, a. s.*

Sententia: Postremus idemque quartus hic in ordine canon per omnia recte habet, ut equidem sentio, relinquens omnia censurae sacrosanctae[b] huius synodi. 179v

Est autem in his omnibus praefatis canonibus magnopere cavendum, ne aliquid inibi statuatur aut decernatur, quod aliter in canonibus et decretis super articulis de iustificatione statutum sit aut decretum. In quo ego non tam censere quam monere possum, quando illis in negotio iustificationis decretis et canonibus tractandis haud interfuerim[11].

⌜Fridericus, episcopus Viennensis, subscripsit⌝[c].

[a] *Clm* ab ipso [b] *om. Clm* [c] *Scb. Nauseae manus propria*

[9] Cf. Luc. 23, 42s.
[10] Cf. 1 Cor. 12, 28. 30.
[11] Nausea die 30. Aug. 1551 Tridentum advenit, Conc. Trid. II 242, 4s.; VII, I 82, 8. Antea concilio non aderat; cf. *J. G. Mayer*, Bischof Nausea von Wien auf dem Konzil v. Trient, Hist. Jahrb. VIII (1887) 3.8.

Digitized by Google

16.

[Sebastianus de Heusenstamm, archiepiscopus Maguntinus[1]] ⌜Canones de sacramento poenitentiae cum emendationibus⌝[a]

[Tridenti, post diem 20. Novembris 1551]

Wirceburgi, Arch. rei publ., *Mainzer Urk.*, *Geistl. Schr. L. 19*, fasc. 3, 5 *(copia coaeva)*

Canones de sacramento poenitentiae[2]

Wirceburgi 1r Canon 1

Si quis dixerit in ecclesia sancta Dei poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

Ne quis adversariorum opponat esse penitentiam, que non sit sacramentum pro relapsis, qualis est venialium peccatorum, item penitentia baptismalis seu baptismum in adultis antevertens, videtur canon sic explicandus:

Si quis dixerit in ecclesia Dei non esse sacramentum tamquam verum, proprium et ordinarium remedium reconciliandis Deo fidelibus post baptismum in graviora peccata relapsis ab ipso Christo institutum, anathema sit.

Canon 2

Si quis baptismi et poenitentiae sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi duo distincta sacramenta non sint, atque ideo poenitentiam non recte ‚secundam post naufragium tabulam' appellari, anathema sit.

⌜Tercio loco damnandi sunt Anabaptistae a sacra synodo, iis forte verbis:

Damnat sacrosancta synodus perniciosum Anabaptistarum errorem asserentium[3] homini post acceptam baptismi gratiam relapso nullam peccatorum remissionem nullamque consequendae veniae spem esse reliquam, sed expectandum inexorabile Dei iudicium[4]⌝[b].

Canon 3

Si quis dixerit verba illa Domini salvatoris: „Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt“[5], non esse intelligenda ‹1› de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit, ‹2› detorserit autem ad authoritatem praedicandi evangelion, anathema sit.

1. *De potestate etc.* expressius sic poni posset: *de spirituali dono traditae potestatis remittendi et retinendi peccata.*

2. *Detorserit autem ad etc.* dicatur: *ad solam autoritatem praedicandi evangelium et fidem, qua sola remittantur peccata.*

[a] *Haec rubrica legitur f. 6v*

[b] *Haec in marg. sinistra adnotata hoc in loco inserenda esse signis in forma crucis* (+) *indicatur*

[1] In codice desunt indicia nominis auctoris, loci, diei, quo hae *emendationes* scriptae vel secretario traditae sunt. Quia vero exstant inter acta e curia Maguntina provenientia, archiepiscopo Maguntino attribuendae esse videntur, qui erat inter patres deputatos pro conficiendis canonibus de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, Conc. Trid. VII, I 324, 23. Hi deputati diebus 17. et 18. Nov. *censuris patrum maxima discussione examinatis* perfecerunt priorem canonum formam, cuius exemplum die 19. Nov. omnibus patribus dabatur, l. c. 325, 2ss. 10ss. Cum hae *emendationes* ad formam omni parte cum priore congruentem spectent, non ante 19. Nov. conscriptae esse possunt. In congregatione die 20. Nov. habita archiepiscopus Maguntinus *canones laudavit* promittens se DD. deputatis significaturum esse, *si quae notanda occurrent* (l. c. 327, 18s.). Hae *emendationes* ergo, quas eadem fuisse atque illa *notanda* coniciendum est, paulo post diem 20. Nov. deputatis datae esse videntur.

[2] Eandem canonum formam vide ibid. 325–327.

[3] Cf. Enchiridion christ. institutionis in concilio provinciali Coloniensi editum, de poenitentia: „Inventi sunt autem haeretici, qui primam tantum poenitentiae actionem ante baptismum concederent, poenitentiam vero post baptismum penitus negarent, a Novato authore *Novatiani* dicti, qui et *Cathari*, quorum impietatem nostris temporibus phanatici *Anabaptistae* renovare conati sunt“ (Parisiis 1547, 82v). *M. Butzer*, Handlung in dem offentlichen gesprech zu Straßburg (1533), Irthumb Melchioris Hoffmann: „Der drit, das allen denen, die Christum erkennet haben und seines geystes teylhafftig worden sind und demnach wissentlich sundigen, keine verzeihung mer zu erwarten sye“, quem errorem Hoffmann defendit utens locis Hebr. 6, 4–6 et Hebr. 10, 26–27 (Straßburg 1533, Bv. *M. Krebs*, Quellen zur Geschichte der Täufer VIII. Elsaß II, Gütersloh 1960, 115, 1ss. 17s.). *Idem*, Responsio ad Iac. Ziegleri Synodum (1534): „Melchior Hoffmann [dixit] ... post perceptam veritatem evangelii, si quis gravius peccet, non esse ei sperandam veniam“ (*Krebs* l. c. 275, 28s.).

[4] Cf. *Cicero*, Tusculan. I, c. 5, 10.

[5] Io. 20, 22s.

Digitized by Google

Canon 4

Si quis negaverit ad ‹1› *integram peccatorum remissionem non requiri tres actus in poenitente,* 1v
videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur et sunt pro materia sacramenti poenitentiae, ‹2› *dixerit autem duas tantum esse poenitentiae partes: terrores incussos conscientiae agnito peccato et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.*

1. Cum hic non de remissione peccatorum agatur, sed de sacramento poenitentiae, quod via est in remissionem peccatorum, canon sic videtur formandus:

Si quis negaverit ad integritatem sacramenti poenitentiae non requiri hos tres actus: contritionem, confessionem, satisfactionem tanquam partes sui, dixerit autem duas tantum esse poenitentiae partes etc., ut in littera.

Canon 5

Si quis dixerit contritionem, que paratur per discussionem, collectionem et detestationem, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, ‹1› *non esse verum dolorem,* ‹2› *nec preparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem,* ‹3› *demum ita esse dolorem coactum, ut non sit liber et voluntarius, anathema sit.*

1. *non esse verum dolorem:* hanc particulam submovendam censemus, cum non sit verbum Lutheri.

2. *non preparare ad gratiam:* addendum est: *presertim si spem aliquam venie coniunctam habeat.*

3. *demum ita esse dolorem etc.* expungendum et hoc quoque, quia nihil ad rem nec reperitur apud adversarios in ea intelligentia etc. et possit commodum habere sensum.

Canon 6 2r

‹1› *Si quis negaverit per contritionem, qua poenitens cooperante divina per Christum Iesum gratia dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi et satisfaciendi, non remitti peccata, anathema sit.*

1. Redundat articulus. Nullus enim Lutheranorum hoc negat, quod quidem ad veram contritionem attinet. Item si contrarium asserimus, videbimur patrocinari adversariis dicentibus sacerdotem non vere absolvere, sed tantum declarare etc.[6]

Quin etiam negacio in fine posita officit sensui, nisi hoc scriptoris vicium sit.

Canon 7

Si quis negaverit confessionem ‹1› *vocalem sacramentalem vel iure divino institutam vel ad salutem necessariam esse, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quam ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum, anathema sit.*

1. *vocalem:* velim hanc voculam expunctam, cum interim scripto fieri soleat confessio sacramentalis.

Canon 8

Si quis dixerit ‹1› *ad remissionem peccatorum in sacramento poenitentiae necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia,* | *quorum memoria cum debita et diligenti prae-* 2v
meditatione habeatur, ‹2› *etiam occulta,* ‹3› *et quae sunt contra ultima duo decalogi praecepta* ‹4› *et circumstantias, quae peccata mutant,* ‹5› *sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam, aut eos, qui omnia peccata confiteri student, nichil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum,* ‹6› *nec licere confiteri peccata venialia, anathema sit.*

[1.] Ultima particula aut expungatur, cum non sit Lutheri, aut huc transferatur ad modum statim dicendum.

2. *eciam occulta:* ambiguus est sermo; an de confitenti occultis an de aliis occultis intelligi debeat, prius non consistit. Repugnat enim, quod additur: *quorum habeatur memoria.* Ponatur ergo sic: *eciam aliis occulta.*

3. *et quae sunt contra duo ultima praecepta:* ociose additum videri potest. Si enim omnia confitenda mortalia, ergo et ea, quae contra duo ultima praecepta. Addendum itaque videtur: *quasi non sint proprie peccata.*

[6] Cf. art. 7 de poenitentia, Conc. Trid. VII, I 236, 7s., et supra p. 328, 14s.

Digitized by Google

4. *et circumstantias, quae peccata mutant:* addendum: *aut notanter aggravant*, vel sic: *sed neque circumstancias peccatum vel notanter aggravantes vel novam peccati speciem constituentes*[7], quod in idem redit.

5. *sed eam confessionem etc.* magis quadrat ad superiora coniunctio *aut* quam adversativa *sed*, sic: *aut dixerit eam confessionem.*

Ex his formari posset canon:

Si quis dixerit ad remissionem peccatorum in sacramento poenitentiae consequendam non licere confiteri venialia, aut necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia sive manifesta sive aliis occulta, quorum memoria cum debita et diligenti premeditatione habeatur, neque ea, quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, quasi scilicet non proprie sint peccata, sed neque circumstancias peccatum vel notanter aggravantes vel novam peccati speciem constituentes, aut dixerit eam confessionem tantum utilem ad erudiendum et consolandum penitentes, olim item fuisse observatam tantum ad satisfactionem canonicam imponendam et peragendam, aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere divinae misericordiae ignoscendum, anathema sit.

Canon 9

Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles iuxta magni concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, ‹1› *praesertim vero tempore quadragesimae, anathema sit.*

1. Quum canon concilii Lateranensis[8] tempus non assignet seu prescribat, rectius dici videtur: *presertim ipso communionis tempore.*

3r

Canon 10

‹1› *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi,* ‹2› *aut remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, etiam si non sit contritus, nec sacerdos serio, sed ioco absolvat, imo etiam sine confessione poenitentis ipsum absolvere posse, anathema sit.*

1. Is canon sic formari potest explanacius:

Si quis huic sacramento derogans dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi[6], *nec aliter sacerdotem absolvere hominem a peccatis, quam legalis sacerdos purgaverit a lepra*[8a], *id est ostendere tantum et declarare absolutum, non etiam vere absolvere, anathema sit.*

Certe utrumque facit sacerdos; nam et absolvit et absolutum esse pronuntiat; alterum negant, alterum asserunt haeretici.

2. *aut remissa esse etc.* Novus canon his verbis constitui potest:

Si quis dixerit remissa esse confitenti peccata, modo credat se esse absolutum, etiam si non sit contritus, nec sacerdos serio, sed noxio ioco absolvat, anathema sit.

Reliqua verba: *imo etiam sine etc.* non coherent superioribus; ideo rescindenda a canone.

Canon 11

Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: ‚Quecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quecumque solveritis etc.'[9], *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, anathema sit.*

3v

Canon 12

‹1› *Si quis dixerit episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quo ad externam politian, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos contra prohibitionem episcopi vere absolvat coram Deo, anathema sit.*

1. Cum reducendus sit populus, non magis exasperandus, et videamus omnia plena esse sediciosi tumultus, omnia exulcerata, sitque verendum, ut is canon viam sternat ad maiorem rebellionem et inobedientiam, prestiterit fortassis hec verba aut eximi prorsus ex albo canonum aut moderari.

[7] Cf. quae archiep. Maguntinus in congregatione die 24. Nov. habita de circumstantiis dixit, ibid. 338, 11s.

[8] Conc. Lateranense IV, c. 21 *Omnis utriusque* = c. 12 X de poenit. et remiss. V 38: *ad minus in pascha.*

[8a] Cf. Lev. 14, 2ss.; Matth. 8,4.

[9] Matth. 18, 18.

Digitized by Google

Canon 13

Si quis dixerit totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

Canon 14

Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo satisfieri poenis ‹1› *ab eo inflictis vel a sacerdote iniunctis,* ‹2› *sed neque voluntarie susceptis ut ieiuniis, orationibus, eleemosinis* ‹3› *et aliis etiam pietatis | operibus,* ‹4› *quae supererogationes dicuntur,* ‹5› *atque ideo optimam* 4r *poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.*

1. *ab eo inflictis* addendum: *et pacienter cumque gratiarum actione sustentis,* tametsi malim hanc particulam omitti, cum hic agatur de sacramentali tantum satisfactione.

2. *sed neque voluntarie etc.* hoc ita sonat, quasi iniuncta a sacerdote poenitentia non sit voluntarie suscepta. Clarius proinde poni posse videtur, si dicatur: *sed neque suapte sponte susceptis.*

3. loco *et* ponatur *vel.*

4. *quae supererogaciones dicuntur* durius sonat, quasi dicantur et non sint. Dicatur ergo: *operibus supererogacionis.*

5. *atque ideo etc.* Haec particula derogat satisfactioni. Proinde explicacius ponenda est: *atque ideo optimam poenitentiam esse novam vitam sine preteritorum peccatorum deprecatione ac gemitu.*

Post 14. canonem opere pretium fuerit damnare temerarium errorem certitudinariorum, qui capite 9 de iustificatione leviter attactus est[10], sed nullo canone condemnatus. His autem verbis damnandus videtur:

Si quis pertinaciter dicere presumpserit, quemcumque hominem absque speciali revelatione Dei scire posse, etiam certitudine fidei, se esse in gratia, excommunicationis sententia percellatur.

Canon 15

Si quis dixerit satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.

Canon 16

Si quis dixerit claves esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, atque ideo sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere ‹1› *contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata poena aeterna poena temporalis [exsolvenda] remaneat, anathema sit.*

1. *contra finem* rectius: *contra usum clavium*[11].

Canones de extremae unctionis sacramento 4v

Canon 1

Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo institutum, sed ritum tantum acceptum a patribus aut figmentum humanum, anathema sit.

Canon 2

Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare ‹1› *infirmos*[12], ‹2› *sed iam in ecclesia cessasse, quasi olim tantum fuerit ‚gratia curationum'*[13], *anathema sit.*

1. *infirmos* adde: *si expediat.* Sic enim loquitur concilium Florentinum[14].

2. *sed iam in ecclesia etc.*, imo nihil hic de *gracia curationum* loquitur apostolus. Alioquin videbitur allusisse ad ritum apostolorum, de quo Marc. 6 [13], quod nulla ratione dicendum est. Consequens enim esset infirmorum unctionem, de qua Iacobus [5, 14s.] loquitur, non esse sacramentum, aut non solos presbyteros huius sacramenti esse ministros.

Fiat proinde, si videtur, specialis canon:

Si quis dixerit apostolum loqui de speciali quadam ‚gracia curationum'[13], *qua olim apostoli infirmos adhibito oleo sanaverint, sive illa hodie cessaverit sive non, excommunicationis sententia feriatur etc.*

[10] Sess. VI, decr. de iustificat. c. 9 (Conc. Trid. V 794, 21ss.).

[11] Cf. sententiam archiepiscopi Coloniensis, supra n. 13, p. 329, 34s.

[12] Cf. Iac. 5, 15.

[13] Cf. 1 Cor. 12, 28. 30.

[14] Decr. pro Armenis c. 5, 5 (*Mansi* XXXI 1058 C. *Denzinger*, Enchiridion l. c. n. 1325).

Digitized by Google

Canon 3

Si quis dixerit extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.

Tertius canon explicacius poni posse videtur ex verbis concilii Florentini[14]:

Si quis dixerit b. Iacobum de levi et cito sanabili [infirmitate], et non potius de graviori et quae mortem minatur, loqui, ac proinde extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi apostoli, atque adeo esse mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.

Inde enim *extrema* dicitur, quia teste concilio Florentino non *nisi infirmis, de quorum morte timetur*[15], dari debet.

5r

Canon 4

Si quis dixerit presbyteros ecclesiae, quos beatus Iacobus [5, 14] adducendos esse ad infirmos inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, atque ideo extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.

Quartus clarius dici possit:

Si quis dixerit per presbyteros (vel presbyterorum nomine), quos b. Iacobus adducendos esse dicit ad inungendum infirmos, non intelligendos esse sacerdotes etc.

Cum[a] spes sit aliquos renuntiatis erroribus ad ecclesiae gremium redituros, non videtur consultum illos deterrere terribilibus illis anathematibus, ut iam dicunt nos multa constituere decreta et nihil aliud quam *crepare anthemata*[16]. Satis esset ⌜meo quidem iudicio⌝[b] articulos erroneos damnari, ac ipsis hereticorum verbis, ut in concilio Constanciensi factum videmus etc.[17]

[a] *cod. perg.* bona *(del.)* [b] *del.*

[15] Ibid. (*Mansi* l. c. 1058 B. *Denzinger* l. c. n. 1324).

[16] *Io. Calvinus*, Acta synodi Tridentinae cum antidoto, in sextam sessionem: „Caeterum, ne cui obscurum foret venerandos patres ex eorum esse numero, quorum *os maledictione plenum esse* clamat David [Ps. 10, 7], totidem fere, quot ipsi sunt homines, anathemata truculentis buccis despumant, quibus honorificum et plausibile imponunt *canonum* nomen" (Corp. Ref. XXXV 473). Ibid. in can. 32 de iustificatione: „Nos ergo crepare sinamus patres istos meritum a gratia separando ... Quid porro mereantur opera, qui ex superioribus censuris nostris didicerit, non magnopere praesentem anathematis crepitum exhorrescet" (l. c. 486). Ibid. in septimam sessionem: „Quisquis autem scintilla virilis animi praeditus erit, contemptis nihili crepitaculis, quid tandem contineant eorum placita, intrepidus ... inquiret" (l. c. 491). Ibid. in can. 11 de sacramentis in genere: „Et adhuc sua anathemata, hoc est suos crepitus, nobis minari porci isti non verentur, nisi mox subscribamus talibus blasphemiis (l. c. 496s.). Ibid. in can. 2 de confirmatione: „Crepent igitur licet, nihil proficient negando se in spiritum Dei esse contumeliosos, eius virtutem dum ad putidum oleum transferunt" (l. c. 502).

[17] Conc. Constantiense, sess. VIII, errores Io. Wicleff damnati; sess. XV, errores Io. Hus damnati (*Mansi* XXVII 1207ss. *Denzinger* l. c. n. 1151ss.; 1201ss.).

Digitized by Google

17.

Christophorus Metzler, episcopus Constantiensis Sententia super canonibus de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis[1]

Tridenti, die 21. Novembris 1551

Caroliruhae, Arch. rei publ. gener., *Abt. 82, n. 454,* 104v *(autogr.[a])*

Sub examinatione canonum positorum Caroliruhae 104v

Rmi et Illmi Patres et DD.

Canones isti in medium producti sunt[2], et quidem meo iudicio usque adeo sancte, docte et canonice conditi, ut eosdem non possum[b] non laudare, quoque etiam Rmis Patribus gratiam quam maximam agere et habere. Utcumque sit, si aliquid *hesterna luce*[3] vel etiam hodie in medium deductum foret, quod istiusmodi canones ulterius desiderare possint, id totum Illmi et Rmi D. legati et reliquorum DD. deputatorum acri iudicio et examini et submitto et committo etc.

18.

Iulius de Pflug, episcopus Naumburgensis [Emendationes ad formam priorem doctrinae de sacramento poenitentiae additae[4]]

[Tridenti, die 24. Novembris 1551]

Citii, Bibl. collegii canonicorum, cod. Catalogi *pag. 34, n. 11/1,* 27–36 *(copia coaeva cum emendationibus ab ipso Iulio Pflug scriptis)*

[Ad capitulum 1 = Conc. Trid. VII, I 344, 8–345, 6] Citii 34, n. 11 28

L. c. 344, 17: *loco del.* lugerent *Pflug in marg. corr.* detestarentur

L. c. 344, 23: *loco* enim *in marg. corr.* autem
ibid. poenitentiae *supra lin. add.:* tunc precipue

L. c. 345, 6: annunciandi *in marg. add.:* contra huiusmodi sacramenti institutionem

[Ad capitulum 2 = ibid. 345, 7–23]

L. c. 345, 8: *loco del.* verbo et elemento *in marg. add.:* materia et forma

[Ad capitulum 3 = ibid. 345, 24–346, 8] 29

L. c. 345, 24: *loco del.* Sacramenta omnia veteres patres in elementum et verbum tanquam in materiam et formam dividere consueverunt. Declarat igitur nunc *in marg. add.:* Docet praeterea sancta synodus sacramenti formam ...

L. c. 346, 1: *loco del.* et plenum eius fructum percipiendum *in marg. add.:* ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem 30

L. c. 346, 3: *loco del.* remissionem peccatorum esse atque reconciliationem *corr.:* reconciliatio est

[a] *in marg. auctor haec adn.:* Hec viva voce die 21. Novembris anno 51 praesentibus Maguntino et Coloniensi [archiepiscopis], comite de Montfort et ceteris patribus etc. [b] *cod. sic*

[1] Cf. quae de hac sententia Massarellus in Actis rettulit, Conc. Trid. VII, I 331, 33.

[2] Deputati die 18. Nov. canones perfecerant, quorum exemplum postero die patribus datum erat, ibid. 325, 8ss. [3] *Ovidius,* Amorum II 2, 3.

[4] Has emendationes Iulius Pflug a deputatis die 24. Novembris accepisse videtur, qui eas in formam ultimam doctrinae receperant, ubi eaedem lectiones ad verbum inveniuntur; cf. Conc. Trid. VII, I 344–350 locis allegatis. In congregatione generali die 23. Nov. habita episcopus Numburgensis *super doctrinam se excusavit, quia nuper venit et eam animadvertere non potuit,* ibid. 336, 9s. Cf. *J. V. Pollet,* Johann Gropper l. c. [supra p. 63, adn. 1] 235, adn. 37.

Digitized by Google

Canon 3

Si quis dixerit extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.

Tertius canon explicacius poni posse videtur ex verbis concilii Florentini[14]:

Si quis dixerit b. Iacobum de levi et cito sanabili [infirmitate], et non potius de graviori et quae mortem minatur, loqui, ac proinde extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi apostoli, atque adeo esse mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.

Inde enim *extrema* dicitur, quia teste concilio Florentino non *nisi infirmis, de quorum morte timetur*[15], dari debet.

5r

Canon 4

Si quis dixerit presbyteros ecclesiae, quos beatus Iacobus [5, 14] adducendos esse ad infirmos inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, atque ideo extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.

Quartus clarius dici possit:

Si quis dixerit per presbyteros (vel presbyterorum nomine), quos b. Iacobus adducendos esse dicit ad inungendum infirmos, non intelligendos esse sacerdotes etc.

Cum[a] spes sit aliquos renuntiatis erroribus ad ecclesiae gremium redituros, non videtur consultum illos deterrere terribilibus illis anathematibus, ut iam dicunt nos multa constituere decreta et nihil aliud quam *crepare anthemata*[16]. Satis esset ⌜meo quidem iudicio⌝[b] articulos erroneos damnari, ac ipsis hereticorum verbis, ut in concilio Constanciensi factum videmus etc.[17]

[a] *cod. perg.* bona *(del.)* [b] *del.*

[15] Ibid. (*Mansi* l. c. 1058 B. *Denzinger* l. c. n. 1324).

[16] *Io. Calvinus*, Acta synodi Tridentinae cum antidoto, in sextam sessionem: „Caeterum, ne cui obscurum foret venerandos patres ex eorum esse numero, quorum *os maledictione plenum esse* clamat David [Ps. 10, 7], totidem fere, quot ipsi sunt homines, anathemata truculentis buccis despumant, quibus honorificum et plausibile imponunt *canonum* nomen" (Corp. Ref. XXXV 473). Ibid. in can. 32 de iustificatione: „Nos ergo crepare sinamus patres istos meritum a gratia separando ... Quid porro mereantur opera, qui ex superioribus censuris nostris didicerit, non magnopere praesentem anathematis crepitum exhorrescet" (l. c. 486). Ibid. in septimam sessionem: „Quisquis autem scintilla virilis animi praeditus erit, contemptis nihili crepitaculis, quid tandem contineant eorum placita, intrepidus ... inquiret" (l. c. 491). Ibid. in can. 11 de sacramentis in genere: „Et adhuc sua anathemata, hoc est suos crepitus, nobis minari porci isti non verentur, nisi mox subscribamus talibus blasphemiis (l. c. 496s.). Ibid. in can. 2 de confirmatione: „Crepent igitur licet, nihil proficient negando se in spiritum Dei esse contumeliosos, eius virtutem dum ad putidum oleum transferunt" (l. c. 502).

[17] Conc. Constantiense, sess. VIII, errores Io. Wicleff damnati; sess. XV, errores Io. Hus damnati (*Mansi* XXVII 1207ss. *Denzinger* l. c. n. 1151ss.; 1201ss.).

Digitized by Google

17.

Christophorus Metzler, episcopus Constantiensis Sententia super canonibus de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis[1]

Tridenti, die 21. Novembris 1551

Caroliruhae, Arch. rei publ. gener., *Abt. 82, n. 454,* 104v *(autogr.[a])*

Sub examinatione canonum positorum Caroliruhae 104v

Rmi et Illmi Patres et DD.

Canones isti in medium producti sunt[2], et quidem meo iudicio usque adeo sancte, docte et canonice conditi, ut eosdem non possum[b] non laudare, quoque etiam Rmis Patribus gratiam quam maximam agere et habere. Utcumque sit, si aliquid *hesterna luce*[3] vel etiam hodie in medium deductum foret, quod istiusmodi canones ulterius desiderare possint, id totum Illmi et Rmi D. legati et reliquorum DD. deputatorum acri iudicio et examini et submitto et committo etc.

18.

Iulius de Pflug, episcopus Naumburgensis [Emendationes ad formam priorem doctrinae de sacramento poenitentiae additae[4]]

[Tridenti, die 24. Novembris 1551]

Citii, Bibl. collegii canonicorum, cod. Catalogi *pag. 34, n. 11/1,* 27–36
(copia coaeva cum emendationibus ab ipso Iulio Pflug scriptis)

[Ad capitulum 1 = Conc. Trid. VII, I 344, 8–345, 6] Citii 34, n. 11 28

L. c. 344, 17: *loco del.* lugerent *Pflug in marg. corr.* detestarentur
L. c. 344, 23: *loco* enim *in marg. corr.* autem
ibid. poenitentiae *supra lin. add.:* tunc precipue
L. c. 345, 6: annunciandi *in marg. add.:* contra huiusmodi sacramenti institutionem

[Ad capitulum 2 = ibid. 345, 7–23]

L. c. 345, 8: *loco del.* verbo et elemento *in marg. add.:* materia et forma

[Ad capitulum 3 = ibid. 345, 24–346, 8] 29

L. c. 345, 24: *loco del.* Sacramenta omnia veteres patres in elementum et verbum tanquam in materiam et formam dividere consueverunt. Declarat igitur nunc *in marg. add.:* Docet praeterea sancta synodus sacramenti formam . . .
L. c. 346, 1: *loco del.* et plenum eius fructum percipiendum *in marg. add.:* ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem 30
L. c. 346, 3: *loco del.* remissionem peccatorum esse atque reconciliationem *corr.:* reconciliatio est

[a] *in marg. auctor haec adn.:* Hec viva voce die 21. Novembris anno 51 praesentibus Maguntino et Coloniensi [archiepiscopis], comite de Montfort et ceteris patribus etc. [b] *cod. sic*

[1] Cf. quae de hac sententia Massarellus in Actis rettulit, Conc. Trid. VII, I 331, 33.
[2] Deputati die 18. Nov. canones perfecerant, quorum exemplum postero die patribus datum erat, ibid. 325, 8ss. [3] *Ovidius,* Amorum II 2, 3.
[4] Has emendationes Iulius Pflug a deputatis die 24. Novembris accepisse videtur, qui eas in formam ultimam doctrinae receperant, ubi eaedem lectiones ad verbum inveniuntur; cf. Conc. Trid. VII, I 344–350 locis allegatis. In congregatione generali die 23. Nov. habita episcopus Numburgensis *super doctrinam se excusavit, quia nuper venit et eam animadvertere non potuit,* ibid. 336, 9s. Cf. *J. V. Pollet,* Johann Gropper l. c. [supra p. 63, adn. 1] 235, adn. 37.

Digitized by Google

L. c. 346, 8: *del.* Licet enim sacramentum nullum consistere absque fide possit, ipsa tamen fides nullius pars constituitur nec forma nec materia cuiusquam est. Terrores vero valent illi quidem ad excitandam poenitentiam; eius tamen pars dici nequaquam possunt, quia ad futura suppliciorum pericula tantum spectant, poenitentia vero in praeteritorum peccatorum recordatione et luctu versatur.

31 [Ad capitulum 4 = ibid. 346, 9–347, 15]

L. c. 346, 12s.: *loco del.* est fructuosus, si cum voto praestandi reliqua coniunctus sit, *in marg. add.:* praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit

L. c. 346, 16: *del.* illud: „Memento, unde excideris, age poenitentiam et prima opera fac“[5]. Propheta etiam dixit

L. c. 346, 23: reconciliare soleat *in marg. add.:* cum et per fiduciam innitatur misericordiae eius et merito Christi per fiduciam innitata est *(del.)*

L. c. 347, 1: *loco del.* non nisi per sacramenti virtutem, cuius votum in contritione concipitur *in marg. add.:* sine sacramenti voto, quod in illa includitur

32 L. c. 347, 4s.: *loco del.* et dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat *in marg. add.:* cum spe veniae

L. c. 347, 7: *loco del.* munit *in marg. add.* parat

L. c. 347, 9: poenitentiae *del.* facilius

L. c. 347, 15: *loco* ut non sit libera *corr.:* non liberam

33 [Ad capitulum 5 = ibid. 347, 16–350, 14]

L. c. 347, 18: lapsis *in marg. add.:* iure divino

L. c. 348, 2: *loco* pronunciarent *corr.:* pronuncient
loco debuisse *in marg. corr.:* potuisse

L. c. 348, 3: *loco* in mulctandis poenitentibus *in marg. add.:* in poenis iniungendis

L. c. 348, 4s.: *loco* Nemo autem est, qui non videat necessaria etiam ratione ex his colligi enumerari *in marg. add.:* Ex his colligitur opportere

L. c. 348, 6: *loco* oportere *supra lin. corr.:* recenseri

L. c. 348, 9: *loco* hinc *in marg. corr.:* in quae

L. c. 348, 11: *loco del.* usus et religionum recte institutarum probata consuetudo demonstrat *corr.:* usus demonstrat
loco noxam possunt, quod non sine huius sacramenti necessaria materia *in marg. add.:* culpam

L. c. 348, 12: *loco* etiam quae sola cogitatione patrantur *corr.:* etiam cogitationis

34 L. c. 348, 13: necessarium est *del.:* haud dubie

L. c. 348, 14: *loco del.* exposci *in marg. add.:* quaerere

L. c. 348, 14s.: *loco* Quare qui omnia ... confiteri volunt *in marg. add.:* Itaque dum ... Christi fideles confiteri student

L. c. 348, 19: *loco* aut speciem actus immutant aut delictorum culpam vehementius augent *corr.:* speciem peccati mutant

L. c. 349, 1: *loco del.* et nisi illae iudicibus innotescant *in marg. add.:* nec iudicibus innotescant

L. c. 349, 3–5: *loco del.* Cum autem apud prophetas et apostolos in arguendis populi delictis Dominus circumstantiarum huiusmodi rationem maximam habeat easque ad excutiendum pudorem et scelerum gravitatem exaggerandam peccatoribus ob oculos ponat, alienum a ratione est *in marg. add.:* Unde alienum a ratione est docere

35 L. c. 349, 11: *loco del.* Quod si quandam mentis nostrae cogitationem aut memoriam effugiunt, fideliter *in marg. add.:* pro quibus fideliter

L. c. 349, 12: Ipsa vero confessionis *supra lin. add.:* huiusmodi

L. c. 350, 8: *loco* traditam fuisse *in marg. add.:* initium habuisse

[5] Apoc. 2, 5.

Digitized by Google

19.

Friderici Nauseae episcopi Viennensis Sententia super canonibus tam sacramentorum poenitentiae et extremae unctionis quam reformationis et doctrinis recognitis[1]

Tridenti, die 24. Novembris 1551

Schaffhusiae, Bibl. civitatis, *cod. gener. 40*, 180^{r-v} *(copia coaeva)*. —
Monachii, Bibl. rei publ., *cod. lat. 11053*, 111^{v}–112^{r} *(copia coaeva)*. —
Arch. Vat., *Conc. 106*, 130^{r} *(copia saec. XVIII)*

Canones[2] ipsos super sacrosanctis poenitentiae et extremae unctionis sacramentis per Rmos DD. deputatos ita recognitos, revisos, emendatos et ad amussim correctos agnosco, ut illis posthac nulla ulteriore recognitione, revisione, emendatione et correctione opus nec esse nec fore censeam, atque propterea ne nunc quidem mihi displicere possunt, qui tot mihi nominibus antea placuerunt. Schaffhusiae 180^{r}

Idem ego pariformiter iudicaverim de doctrina[3] in eosdem canones non minus sancte et docte quam religiose diserteque concepta.

Nec insuper possum non probare canones reformationis[4] ad conservandam inter episcopos et eorum clericos iustitiam, aequitatem, concordiam, obedientiam et ad honestam denique in utrisque vitam in timore Domini tuendam modis omnibus necessariae.

Non restare igitur mihi nunc aliud esse videtur, quam quidquid in hoc ipso conciliari negotio per DD. deputatos recte pieque constitutum est, per hanc sacrosanctam oecumenicam synodum in omnium salutem et utilitatem in lucem proferatur. Quod vero reliquum est, habeo et ago gratias Rmis et Illmis DD. deputatis[5] pro tam | laboriosis, piis, sanctis planeque necessariis eorum laboribus, quos Dei huiusque sanctae synodi nomine tam impigre constanterque sustinuerunt, suam quandoque mercedem a Deo opt. max., cuius imprimis causam egerunt, copiose recepturi. 180^{v}

Dixi.

[1] De hac sententia Massarellus in Actis mentionem facit, Conc. Trid. VII, I 338, 14.
[2] Canonum de poenitentia et extr. unctione reformatorum (quos vide ibid. 357–359) exemplum patribus die 23. Nov. datum erat, ibid. 337, 32s.
[3] Exemplum doctrinae de poenitentia et extr. unctione patres acceperunt die 22. Nov., ibid. 334, 3s.
[4] Articulorum de reformatione in 15 capita distinctorum exemplum patribus die 21. Nov. datum est, ibid. 332, 8ss.
[5] Quorum nomina vide ibid. 324, 23ss.; inter eos Paulus episcopus Zagrabiensis erat, Nauseae collega.

Digitized by Google

L. c. 346, 8: *del.* Licet enim sacramentum nullum consistere absque fide possit, ipsa tamen fides nullius pars constituitur nec forma nec materia cuiusquam est. Terrores vero valent illi quidem ad excitandam poenitentiam; eius tamen pars dici nequaquam possunt, quia ad futura suppliciorum pericula tantum spectant, poenitentia vero in praeteritorum peccatorum recordatione et luctu versatur.

31 [Ad capitulum 4 = ibid. 346, 9–347, 15]

L.c. 346, 12s.: *loco del.* est fructuosus, si cum voto praestandi reliqua coniunctus sit, *in marg. add.:* praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit

L. c. 346, 16: *del.* illud: „Memento, unde excideris, age poenitentiam et prima opera fac“[5]. Propheta etiam dixit

L. c. 346, 23: reconciliare soleat *in marg. add.:* cum et per fiduciam innitatur misericordiae eius et merito Christi per fiduciam innitata est *(del.)*

L. c. 347, 1: *loco del.* non nisi per sacramenti virtutem, cuius votum in contritione concipitur *in marg. add.:* sine sacramenti voto, quod in illa includitur

32 L. c. 347, 4s.: *loco del.* et dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat *in marg. add.:* cum spe veniae

L. c. 347, 7: *loco del.* munit *in marg. add.* parat

L. c. 347, 9: poenitentiae *del.* facilius

L. c. 347, 15: *loco* ut non sit libera *corr.:* non liberam

33 [Ad capitulum 5 = ibid. 347, 16–350, 14]

L. c. 347, 18: lapsis *in marg. add.:* iure divino

L. c. 348, 2: *loco* pronunciarent *corr.:* pronuncient
loco debuisse *in marg. corr.:* potuisse

L. c. 348, 3: *loco* in mulctandis poenitentibus *in marg. add.:* in poenis iniungendis

L. c. 348, 4s.: *loco* Nemo autem est, qui non videat necessaria etiam ratione ex his colligi enumerari *in marg. add.:* Ex his colligitur opportere

L. c. 348, 6: *loco* oportere *supra lin. corr.:* recenseri

L. c. 348, 9: *loco* hinc *in marg. corr.:* in quae

L. c. 348, 11: *loco del.* usus et religionum recte institutarum probata consuetudo demonstrat *corr.:* usus demonstrat
loco noxam possunt, quod non sine huius sacramenti necessaria materia *in marg. add.:* culpam

L. c. 348, 12: *loco* etiam quae sola cogitatione patrantur *corr.:* etiam cogitationis

34 L. c. 348, 13: necessarium est *del.:* haud dubie

L. c. 348, 14: *loco del.* exposci *in marg. add.:* quaerere

L.c. 348, 14s.: *loco* Quare qui omnia ... confiteri volunt *in marg. add.:* Itaque dum ... Christi fideles confiteri student

L. c. 348, 19: *loco* aut speciem actus immutant aut delictorum culpam vehementius augent *corr.:* speciem peccati mutant

L. c. 349, 1: *loco del.* et nisi illae iudicibus innotescant *in marg. add.:* nec iudicibus innotescant

L. c. 349, 3–5: *loco del.* Cum autem apud prophetas et apostolos in arguendis populi delictis Dominus circumstantiarum huiusmodi rationem maximam habeat easque ad excutiendum pudorem et scelerum gravitatem exaggerandam peccatoribus ob oculos ponat, alienum a ratione est *in marg. add.:* Unde alienum a ratione est docere

35 L. c. 349, 11: *loco del.* Quod si quandam mentis nostrae cogitationem aut memoriam effugiunt, fideliter *in marg. add.:* pro quibus fideliter

L. c. 349, 12: Ipsa vero confessionis *supra lin. add.:* huiusmodi

L. c. 350, 8: *loco* traditam fuisse *in marg. add.:* initium habuisse

[5] Apoc. 2, 5.

Digitized by Google

19.

Friderici Nauseae episcopi Viennensis Sententia super canonibus tam sacramentorum poenitentiae et extremae unctionis quam reformationis et doctrinis recognitis[1]

Tridenti, die 24. Novembris 1551

Schaffhusiae, Bibl. civitatis, *cod. gener. 40*, 180^{r-v} *(copia coaeva)*. — Monachii, Bibl. rei publ., *cod. lat. 11053*, 111^{v}–112^{r} *(copia coaeva)*. — Arch. Vat., *Conc. 106*, 130^{r} *(copia saec. XVIII)*

Canones[2] ipsos super sacrosanctis poenitentiae et extremae unctionis sacramentis per R^{mos} DD. deputatos ita recognitos, revisos, emendatos et ad amussim correctos agnosco, ut illis posthac nulla ulteriore recognitione, revisione, emendatione et correctione opus nec esse nec fore censeam, atque propterea ne nunc quidem mihi displicere possunt, qui tot mihi nominibus antea placuerunt. Schaffhusiae 180^{r}

Idem ego pariformiter iudicaverim de doctrina[3] in eosdem canones non minus sancte et docte quam religiose diserteque concepta.

Nec insuper possum non probare canones reformationis[4] ad conservandam inter episcopos et eorum clericos iustitiam, aequitatem, concordiam, obedientiam et ad honestam denique in utrisque vitam in timore Domini tuendam modis omnibus necessariae.

Non restare igitur mihi nunc aliud esse videtur, quam quidquid in hoc ipso conciliari negotio per DD. deputatos recte pieque constitutum est, per hanc sacrosanctam oecumenicam synodum in omnium salutem et utilitatem in lucem proferatur. Quod vero reliquum est, habeo et ago gratias R^{mis} et Ill^{mis} DD. deputatis[5] pro tam | laboriosis, piis, sanctis planeque necessariis eorum laboribus, quos Dei huiusque sanctae synodi nomine tam impigre constanterque sustinuerunt, suam quandoque mercedem a Deo opt. max., cuius imprimis causam egerunt, copiose recepturi. 180^{v}

Dixi.

[1] De hac sententia Massarellus in Actis mentionem facit, Conc. Trid. VII, I 338, 14.
[2] Canonum de poenitentia et extr. unctione reformatorum (quos vide ibid. 357–359) exemplum patribus die 23. Nov. datum erat, ibid. 337, 32s.
[3] Exemplum doctrinae de poenitentia et extr. unctione patres acceperunt die 22. Nov., ibid. 334, 3s.
[4] Articulorum de reformatione in 15 capita distinctorum exemplum patribus die 21. Nov. datum est, ibid. 332, 8ss.
[5] Quorum nomina vide ibid. 324, 23ss.; inter eos Paulus episcopus Zagrabiensis erat, Nauseae collega.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google